This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

5895
4/
36 G 32.
1817
ARTES SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE


J
CT
776
.S66





IACOBUS USSERIVS ARCHIEPISCOPUS
ARMACHANUS TOTIVS HIBERNIÆ PRIMAS

VITÆ

Quorundam

ERUDITISSIMORUM

ET

ILLUSTRIUM VIRORUM.

Quorum Nomina exſtant in pagina ſequenti.

Scriptore

THOMA SMITHO,

S. Theol. Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

LONDINI,

Apud DAVIDEM MORTIER in Via dicta *de Strand* ad Inſigne *Eraſmi.*

MDCCVII.

I. JACOBUS USSERIUS, Archiepiſcopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas;

II. JOANNES COSINUS, Epiſcopus Dunelmenſis;

III. HENRICUS BRIGGIUS, Geometriæ in Academia Oxonienſi Profeſſor Savilianus;

IV. JOANNES BAINBRIDGIUS, Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſor Savilianus;

V. JOANNES GRAVIUS, Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſor Savilianus.

VI. PETRUS JUNIUS, Ser. Regis JACOBI, primi *Britanniarum* Monarchæ, Præceptor, & magnus *Scotiæ* Eleemoſynarius;

VII. PATRICIUS JUNIUS, Ser. R. R. JACOBO I. & CAROLO I. *Britanniarum* Monarchis à Bibliothecis;

VIII. JOANNES DEE, Mathematicus Anglus.

Hist. of Sci.
Bowes
8-22-35
30809

LECTORI.

ANtequam ad perlegendas haſce, quæ ſequuntur, in hac Sylloge comprehenſas Vitas admittaris, ut pauca quædam in anteceſſum, præmiſſo hoc brevi prologo quaſi galeato, noris, & tua & mea non parum intereſſe, facilè mecum pro prudentia & candore tuo judicabis.

Non opus erit, heic laboriosè demonſtrare conari, cùm id cuivis ex exteris, qui apud nos aliquanto tempore moram facientes, linguæ & moribus noſtris aſſueverint, ſit perſpectiſſimum, Gentem *Anglorum* pro genio à natura inſito, pro amore & admiratione virtutis, ubi ubi eminuerit, proque ſenſu pietatis & religionis, cives ſuos, cujuſcunque ordinis, gradus, aut profeſſionis, quotquot de patriâ, ſive munificentia, ſive in pace & bello geſtis, ſive ſtudiis literarum, ſive ingenii longè ſupra mediocritatem evecti monimentis, ſive ſapienti propagandæ aut contra quoſlibet hoſtes defendendæ Veritatis zelo, ſive pulcherrimis ſolidæ & ab omni fuco vacuæ ſanctimoniæ exemplis, aut qualicunque modo, præclarè meriti ſunt, debitis elogiis, non ſolis orationibus & concionibus, in exequiis ſolenni ritu habitis, in quibus defuncti pro roſtris laudantur, ſed iiſdem, quæ alioqui inter pronuntiandum penitus evaneſcerent, aut publica luce donatis, aut juſtis ampliſque interdum commentariis editis, ne diuturnitate tempo-

ris & ex vitio humanæ fragilitatis, cui non aliter ſuccurri poſſit, ex hominum memoria penitus exciderent, utpote quovis marmore & ære perennioribus, proſequi, famamque in omne ævum duraturam, tum ut ipſis inter cœlites receptis iſtiusmodi parentationes laudi, tum ut aliis ad eandem metam anhelantibus, ad eaſdem ſummas virtutes ſive æmulandas, ſive attingendas, ſive auſu planè heroico ſuperandas, incitamento forent, ad ſeros nepotes tranſmittere, egregiiſque præconiis illuſtrare gratiſſimo mentis affectu conſueviſſe. Quod non de oratoriis amplificationibus tritiſque commendationibus, è communibus locis peti ſolitis, ſed de Hiſtoricis notitiis, in quibus illorum proſapia, educatio, mores, & excelſæ animi dotes, ſtudiorum & totius vitæ ratio, erga ſanctiſſimum Numen pietas, in Eccleſiam & Rempublicam literariam merita, dignitates, & memorabilia, quæ ad illos propiùs ſpectant, brevi compendio, tanquam in tabula, coram omnium oculis repræſentantur, intelligi velim. Hoc, tum conciones funebres propemodum innumeræ, tum enarrationes, illa omnia complexæ, aut ſeparatim editæ, aut illorum operibus ſæpenumerò ſimul collectis præmiſſæ, teſtatiſſimum faciunt.

Interim diffiteri non licet, tum illorum, tum patriæ honori meliùs conſuli poſſe, ſi ea quoque Latinè exſtitiſſent, quo inter omnes gentes, quibus pietatis & eruditionis amor ſtudiumque curæ & cordi ſunt, tantarum virtutum fama, non anguſtis unius regionis limitibus coarctata, ſed communi iſta lingua, immortali quidem & mutationis experte, vulgata diffunderetur. Sed neſcio quo fato obvenit, quod pleriſque noſtratium, qui Latinè eleganter, & quidem optimè, ſcribere norint, ſive popularium commodo unicè intentis, ſive alienos plauſus, neutiquam, præ modeſtia vix excuſabili, captantibus, cùm nos nobis ipſis amplum ſatis theatrum ſimus, longè aliter viſum ſit: ſed ut omnibus ingenuis, harumque rerum curioſis, qui ſummarum virtutum divinorumque chariſmatum,

tum, ubi ubi per univerſum Artium & Scientiarum orbem in quibuſcunque extenduntur, imagines, non lividis maligniſve, ſed lætis placidiſque, oculis intuentur, palam fierēt, tum in Patriæ decus, tum in commune literarum bonum, officii debiti jus & ratio à grata poſteritate exigere videntur, ne fideli deſcriptore carentes, longa nocte oppreſſi ignotique jaceant. Hac ex parte de univerſis penè ſui temporis viris, ingenio & doctrina præſtantibus, & potiſſimùm de ſuis *Gallis* illuſtriſſimus *Thuanus*, de *Italis Paulus Jovius*, de *Germanis Melchior Adamus*, præclarè admodum meriti ſunt: ut à cæteris recenſendis in præſenti abſtineam. Hoc autem opprobrium, quo à rigidis invidiſque cenſoribus aſpergimur, amoliri ſatagebat admodum reverendus in Chriſto Pater, D. *Joannes Fellus*, Epiſcopus *Oxonienſis*, de univerſa re literaria pariter ac de iſta celeberrima Academia optimè meritus, quorundam Academicorum, quos iſti negotio non impares & inidoneos judicavit, in duobus tribuſve voluminibus virorum apud nos maximè celebrium, qui in iſthoc & ſuperiori ſeculo floruerunt, vitas complexuris edendis operâ uſurus: & ſanè id in effectum dediſſet ille, cujus entheæ menti ac indefeſſæ induſtriæ nihil erat inacceſſum, impervium nihil, niſi infauſta tempora tunc ex malè ſanis ſeditioſiſque Schiſmaticorum & Democraticorum technis & inſultibus ingruentia, ipſiuſque mors, quæ paulo poſt ſecuta eſt, viz. x° *Julii* die A. M. DC. LXXXVI. ineunte magno vitæ ſuæ climacterico, protenus obſtitiſſent: de qua re in præfatione ad D. *Camdeni* Epiſtolas *Londini* 1691 editas fusè egi.

Ab illo tempore ſanctum iſtud (ſic enim appellabo) conſilium, quod tunc penitus interciderat, intimis medullis infixum adeo indivulſè hærebat, ut huic Viri optimi propoſito aliquatenus promovendo ſymbolam meam conferre magis magiſque propenderem, poſt maturam ſeriamque deliberationem ſatis animo convictus horas ſubſecivas non poſſe aut de-

decentiùs aut utiliùs, quàm in contexendis magnorum Virorum Vitis, collocari.

Horum famæ dum litaverim, conſcientia recti, & bonis literis benè pro virili mea merendi deſiderio animatus, id melius ceſſurum, nec temerè quidem, credidi, ſi eorundem opuſculis hactenus ineditis, ſed ejuſmodi, quæ decus & honorem in Auctores refunderent, & publicæ literarum utilitati eſſent inſervitura, narrationes iſtæ, quas molitus ſum, præfigerentur. In horum enim pretioſis, quæ aut in Bibliothecarum archivis, aut in privatorum Muſeis latuere, reliquiis eruendis non ſegnem impendi operam, nec induſtriam & curioſitatem felix deſtituit eventus. Quo conſilio, ſi non unicè, ſaltem præcipuè, ductus, inter tot Heroas, quos utraque *Britannia*, major minorque, produxit, omnium ſeculorum memoria digniſſimos, paucorum Vitas, quas jam damus, illuſtrandas ſuſcepi; ut brevi indicabo, hac unica monitione præmiſſa, eas non eodem, quo exhibentur, ordine, nec ſimul, ſed aliquot annorum intervallis, prout ſiverit opportunitas, conſcriptas fuiſſe.

In fronte hujus Collectionis reverendiſſimi Viri, D. *Jacobi Uſſerii*, Archiepiſcopi *Armachani*, & totius *Hiberniæ* Primatis, vitam, non ita pridem ſcriptam, tanquam πρόσωπον τηλαυγὲς, collocavi, tum ob eminentiſſimam, quam in iſta Eccleſia merito ſuo adeptus eſt, dignitatem, tum ob ſummam doctrinam, quam Chriſtianus orbis dudum agnovit & miratus eſt: in qua me non pauca ex amplâ Reverendi Viri, *Richardi Parri* S. T. P. D. *Uſſerio* à ſacris domeſticis, & cujus fidei & curæ Collectanea vaſtæ molis, ingenſque Schedarum ſtrues à moriente Patrono concredita erant, commentatione, vernaculo noſtro ſermone exaratâ, Epiſtolis *Uſſerianis* A. 1686. *Londini* publicatis præfixa, adnotaſſe ingenuè & lubens fateor. Sed quàm multa ex iiſdem Collectaneis, & præſertim Epiſtolis, quas, antequam in lucem pro-

du-

ducerentur, accuratè perlegi, item ex Schedis aliis, propria magni Auctoris manu deſcriptis, in Bibliotheca *Bodleiana* repoſitis, denique ex iſtorum temporum Hiſtoriis, quæ elucidandæ illius vitæ maximè inſerviunt, in Adverſaria mea, olim in privatum uſum, cùm de iis edendis ne vel minima mentem ſubiiſſet cogitatio, congeſta, addiderim, Tu ex levicula collatione, ſi ſapis, & rectè judicare potes, facilè coram videbis. Et ſanè, licèt tot tantiſque ſubſidiis inſtructus, ab hoc labore quali quali omninò ſuperſediſſem, niſi ante quadriennium aut circiter Vir clariſſimus, *Jacobus Tyrellus* Armiger, D. *Uſſerii* ex filia nepos, famæ Avi ſui propagandæ ſtudioſiſſimus, ut id muneris implere vellem, me exoraſſet, cujus ſuaſibus precibuſque, & iis quidem crebrò repetitis, tandem ceſſi, quamprimùm à ſeverioribus ſtudiis, quibus tunc implicabar otium, & intermiſſionem obtinuiſſem.

Sequitur Vita reverendiſſimi Viri, D. *Joannis Coſini*, Epiſcopi *Dunelmenſis*, cujus ſcribendæ hæc origo & cauſa fuit.

Cùm ineunte anno 1692. illuſtriſſimus Vir *Henricus* Comes *Clarendonienſis*, Viri maximi, *Edwardi*, meritò ad dignitatem & titulum Comitis à ſereniſſimo Rege, *Carolo* II. poſt reſtauratam Monarchiam evecti, & Cancellarii *Angliæ*, quorundam Aulicorum, quorum malè ſanis conſiliis & machinationibus illius inconcuſſa & incorrupta fides ſummæque virtutes obſtruxerant, invidia proſtrati, & à Patria, de qua optimè meruerat, iniquiſſimè proſcripti, filius primogenitus, pro ingenti, quo erga me tunc ferebatur, & adhucdum fertur, affectu, in familiari, quo me dignari ſolet, ſermone, ſe libellum autographum ejuſdem *Coſini* de *ſtatu & conſtitutione Eccleſiæ Anglicanæ*, Parentis rogatu *Pariſiis* 1652. ſcriptum, in Bibliotheca ſua habere retuliſſet, facilè impetravi, ut uſus illius mihi concederetur. Hunc ſumma cum delectatione lectum relectumque cum venia illius exſcripſi, utpote animo, ſeria deliberatione habita, convictus, illum præcipuè

in exterorum, quo de noſtræ Eccleſiæ politia, diſciplina, doctrina, cultu ſacro, aliiſque cognati argumenti, meliùs informari poſſent, gratiam, in publicam lucem edi oportere. Sed fervor iſte tunc propediem publicandi ex multis remoris, ab iniquitate temporum injectis, paulatim intermiſſus eſt, nec de illo amplius cogitatum. Poſt aliquot verò annos prius iſtud ſtudium tamdiu ſopitum revixit: & quo meliori & decentiori apparatu prodiret, quædam de Auctoris natalibus, educatione, ſtudiis, muneribus, tum in Academia *Cantabrigienſi*, tum in Eccleſia adminiſtratis, de perpeſſionibus ſub infauſtiſſimis Parlamentariæ rebellionis temporibus, de exilio in *Gallia*, de invicta adverſus tum *Romanenſes* tum *Puritanos* fortitudine & Veritatis contra utroſque tuendæ zelo, de illius poſt reditum in *Angliam* promotione ad Epiſcopalem ordinem, curaque paſtorali planè admiranda, denique de univerſæ vitæ, quantum expiſcari licuit, ratione præmittere, apud me conſtitui. Harum rerum notitiam qualem qualem reverendus Vir, D. *Iſaacus Baſirius*, Archidiaconus *Northumbriæ*, in appendice ad concionem funebrem menſe *Aprili* 1672. habitam, & ſequente anno typis excluſam ſuppeditavit: ſed hiſce memoriis non ſatis contentus, duos treſve nobiliſſimos viros, alioſque, qui illum tum *Pariſiis*, tum poſtea *Londini* & *Dunelmi*, familiariter norant, conſului, quicquid, quod ad hoc propoſitum faceret, certiùs pleniùſque edocendus. Explorato quoque Teſtamento, in quo plura memorabilia continentur, quod in Archivis Curiæ Prærogativæ ſervatur, inſpectiſque & ad incudem revocatis tum libris propriis, vel ab ipſo vel poſt cineres conditos ab aliis editis, tum aliorum, ad eundem quoquo modo ſpectantibus, obſervationibus, libertate judicandi, prout Veritatis amor ſtudiumque juſſerint, interdum interpoſita; inde deductis, animo recto & ſincero, publicis malis, deplorando Schiſmate in publicæ pacis & communionis Eccleſiaſticæ

ſticæ detrimentum invectis, obviam eundi, &, ſi id per Presbyteranorum aliorumque hujus ævi Sectariorum obſtinationem licuit, aliquatenus medendi, compendiariam iſtam, quam jam edere placuit, narrationem contexui. Sed huic longæ & laborioſæ inveſtigationi parcendum fuiſſet, ſi, quod admodum ſerò poſt hiſtoriolam diligentia noſtra abſolutam cognovi, exſtitiſſet libellus, ab ipſo D. *Coſmo*, compoſitus ſub hoc titulo, *Vitæ meæ ab initio i. e. ab anno* 1595. *uſque ad annum* 1665. *brevis enarratio*: cujus fragmentum verè aureum *Anglicè* exaratum, de *Marci Antonii de Dominis*, Archiepiſcopi *Spalatenſis*, primo in *Angliam* adventu, illiuſque cum D. *Overallo*, Epiſcopo *Norwicenſi*, collatione, cui juſſù Patroni interfuerat, de ſtatu Eccleſiæ *Anglicanæ*, déque fidei & doctrinæ articulis in illa juxta antiquam fidem & religionem Eccleſiæ Catholicæ agnitis aſſertiſque, in palatio *Lambethano* habita, in muſeo reverendi Viri D. *Joannis Tong*, *Branſpethæ* propè *Dunelmum* Rectoris hodie reperitur: quod in mei gratiam unà cum altero *Notitiæ Eccleſiæ Anglicanæ*, qua de agitur, authentico exemplari, *Londinum* ſecum adtulit, utendum benigniſſimè & humaniſſimè permiſit. Si integer, inquam, libellus ille manſiſſet, fruſtrà mea, fruſtrà aliorum deſudaſſet induſtria, nihilque aliud nobis relictum fuiſſet, præter laudationes, quibus Vir ſummus eſſet cumulandus.

Cùm poſt mortem D. *Coſmi*, de pretio & valore Schedarum, quas reliquit, hæredibus non ſatis conſtaret, vel neſcio quo infeliciſſimo caſu, ſacræ iſtæ reliquiæ ſparſæ & diſtractæ erant, quarum tamen pars in illorum, qui quanti æſtimandæ eſſent benè norant, auſpicatò tandem devenit, ut favore, beneficio & perquam inſigni humanitate reverendi & doctiſſimi Viri, D. *Joannis Smith*, Sacræ Theologiæ Profeſſoris Eccleſiæ *Dunelmenſis* Præbendarii, quocum frequens hac de re commercium literarum, occaſione data, (opportunè intercedente

prænobili & reverendo, D. *Georgio Whelero*, Equite aurato, & Eccleſiæ *Anglicanæ* Presbytero, ejuſdem quoque Eccleſiæ Cathedralis Præbendario) habui, duos libellos (tanquam pretioſas tabulas, ab iſthoc infami naufragio ſervatas) à D. *Coſmo*, dum in Gallia exularet, *Anglicè* conſcriptos jam poſſideam: quorum unus *Vindicias ordinationum Eccleſiæ Anglicanæ* contra exceptiones & cavillationes cujuſdam Pontificii Sacerdotis è gente noſtra; alter *reſponſionem ad epiſtolam*, nobili feminæ *Anglæ*, ab alio Sacerdote *pro defenſione communionis ſub unica ſpecie adminiſtrandæ* inſcriptam, complectitur, unà cum *epiſtola* eruditiſſima D. *Coſini*, tunc temporis Collegii S. *Petri* apud *Cantabrigienſes* Præfecti, ad D. *Samuelem Collinſium*, Collegii Regalis Præpoſitum A. 1635. *de Sabbato:* quo tempore acerrimæ apud noſtrates de iſta re lites incaluere; quæ inter D. *Coſini* opuſcula *Anglica*, ſi quando nova editio fiet, inſeri merebuntur. Nec hîc reticendum puto, præclarum libellum, ſub *Selectæ Bibliothecæ Hiſtoricorum, tam Eccleſiaſticorum, quàm Secularium*, titulo, olim ab eodem D. *Coſino Pariſiis* exaratum fuiſſe, quem ab Auctore acceptum mihi Vir clariſſimus, *Carolus Hattonus* Armiger, pro veteri amicitia benevolè impertitus eſt.

Inter Schedas *Gravianas*, de quibus mox dicam, duas, longas quidem, ſed eruditiſſimas, D. *Henrici Briggii*, Geometriæ apud *Oxonienſes* Profeſſoris *Saviliani*, ad *Chriſtianum Severini Longomontanum* de opere illius Cyclometrico, in quo Auctor iſte ſibi mirè blanditus eſt, Epiſtolas, D. *Gravii* manu eleganter & accuratè exſcriptas, uti & inter Schedas *Uſſerianas*, olim à D. *Tyrello* pro egregia humanitate ſua mihi commodatas, quaſdam D. *Joannis Bainbridgii*, Aſtronomiæ in eadem Academia Profeſſoris *Saviliani*, Diſſertationes varii argumenti, pridem prelo deſtinatas, reperi. Hinc anſam lætus arripui in edendis hiſce poſthumis Opuſculis de utriſque diſſerendi,

ut

ut quales quantique eſſent, poſteritati clariùs innoteſceret.

D. *Joannis Gravii* vitam quorundam Virorum doctiſſimorum è Societate Regia *Londinenſi*, in quam ante multos annos, quod hîc gratus agnoſco, impar licèt & indignus, adſcitus fuerim, rogatu, ducentis tantum exemplaribus è prelo excluſis, inter Amicos diſtribuendis, quorum ne unum quidem in Bibliopoliis vænire juſtis de cauſis volebam, ſumptibus propriis edendam curavi. Ab illo tempore, quando de noſtratibus eruditionis fama ubique inclareſcentibus, per ætatem, percepto bonarum literarum guſtu, pro modulo meo quali quali judicium ferre liceret, ingenti erga D. *Gravii* memoriam, ob Scientiarum Mathematicarum, Linguarum Orientalium, politioriſque literaturæ ſtudia, (quæ omnia in illo non leviuſculè aut exiliter aut ſuperficie tenus, ſed pari perfectione ad miraculum uſque convenerunt) celeberrimum, reverentia, cultu, & admiratione, potenti quaſi genio impulſus, ferebar. Quod ut tandem aliquando teſtatum facerem, felicem obtigiſſe opportunitatem mihi ſeriò gratulabar. Cùm enim reverendus Vir, D. *Richardus Stubbeſius*, Eccleſiæ de *Eaſt-Hamſted* in agro *Bercherienſi* Parochus, & Collegii *Wadhamenſis Oxonii* pridem ſocius, ſchedas aliquot noſtri *Gravii*, è vidua D. *Nicolai Gravii* fratris, Eccleſiæ Cathedralis *Dromorenſis* in *Hibernia* Decani, ejuſque hæredis teſtamentarii, illiuſque ultimarum tabellarum, ut nos appellamus, *Executoris*, quæ ex communi patriæ incendio, rebelliumque deprædationibus & rapinis ſalvæ evaſerint acceptas, præſtantiſſimo Viro, D. *Edwardo Bernardo*, *Gravii*, poſt ſummos Viros, D. *Sethum Wardum*, poſtea Epiſcopum *Sarisburienſem*, & D. *Chriſtophorum Wrennum*, Equitem auratum, in *Saviliana* Aſtronomiæ Cathedra tertio ſucceſſori, communicaſſet, ille eaſdem pro amicitia ſua, qua ab ineunte juventnte eramus conjunctiſſimi, mihi perlegendas utendaſque ſta-

tim dedit. Illæ autem jam in Muſeo *Saviliano*, ad quod, illius & magni *Walliſii*, integerrimi quoque Amici, benevolentia, frequens, prout occaſio ferebat, mihi concedebatur aditus, tanquam in æterna, ſic enim augurari libet, ſede, ſapienti D. *Bernardi* cura repoſitæ, ſervantur. Sed cùm poſtea inaudiviſſem, D. *Stubbeſium* alias D. *Gravii* ſchedas, non minoris habendas, apud ſe retinuiſſe, illum de hac re literis conſului, qui petitioni meæ facilis annuebat, iis ad me promptè & benevolè tranſmiſſis, ut inde quicquid ad commune literarum bonum & *Graviani* nominis decus & honorem foret, ad libitum exſcriberem. Ex hiſce utriſque multa hauſi excerpſique, quæ ſub *Opuſculorum Joannis Gravii* titulo, unà cum D. D. *Briggii* & *Bainbridgii*, lucubrationibus poſthumis, quibus ſequentes vitæ erant præfigendæ, edere pro certo apud me ſtatuebam. Sed Bibliopolæ, quibus munus iſtud ſine aliqua difficili conditione, imò gratis, obtuleram, planè recuſarunt, inter alia, id ex novorum vectigalium impoſitione, præſertim flagrante, quo commercium tranſmarinum non parum interrumpitur, bello, cum ſuis commodis neutiquam conſiſtere cauſſati. Ita, ut, quod res eſt, dicam, hiſce ſpecioſis, & planè frivolis excuſationibus ſuam avaritiam & μικροψυχίαν texuere. Ideo cùm per hoſce homunciones Opuſcula iſta in lucem publicam protrudere non liceret, ea ad auſpicatiora tempora reſervare, triſtis & invitus licèt, cogor. Penè hiſce minutiis te interpellare diſpuderet, niſi juſta indignatio compuliſſet.

Quo pacto quibuſque rationibus ad contexendas V V. Cl. D. *Petri Junii* Patris, & *Patricii Junii* filii, quas jam damus, Vitas, fuerim inductus, paucis accipe.

Cùm *Patricii Junii* Epiſtolas, puta ad *Frontonem Ducæum*, *Lucam Holſtenium*, *Claudium Salmaſium*, alioſque magnos, qui orbem literarium ſcriptorum ſuorum fama impleverint, Viros, ſcriptas, (de quibus, ut acceperam, reve-

ren-

rendiſſimus in Chriſto Pater, *Guilielmus Sandcroftus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, erat non parum ſolicitus) cum illorum reſponſoriis integras adhuc apud Virum Clariſſimum, *Guilielmum Atwoodum* Juriſconſultum, ejuſdem *Patricii* ex filia nepotem, ſervari ex certa fide didiciſſem, illum in ædibus *Cottonianis* quas codices MSS. ibi repoſitos inſpiciendi cauſa ſæpe adibat, circa annum 1691. conveni, prolatiſque hac de re ſermonibus, promptè ſe illas mihi cum reliquis ſchedis communicaturum ſpopondit. Quod mox pro eximia ſua humanitate & benevolentia abundè præſtitit, meque novo beneficio ultra votum & exſpectationem cumulavit. Aperta enim ciſta ad me tranſmiſſa, ingentem ſchedarum non ſolius Avi, ſed etiam Proavi, in quibus poſterioribus, præter Epiſtolas elegantiſſimo ſtylo exaratas, multa Politica & Hiſtorica de *jure Regum Scotiæ in inſulas Orcadicas*, *& de legationibus illius in Daniam & Germaniam*, præſertim de nuptiis inter Regem *Jacobum* VI. & *Annam Danicam* ineundis, occurrunt, ſimul congeſtarum molem lætiſſimis oculis vidi, quas cùm ab invicem, quò faciliori opera majorique cum ſtuctu legerentur, ſeparaſſem, de hoc theſauro literario reperto, & quaſi ex tenebris eruto, admodum ſeriò triumphare cœperam. Ut verò omnes harum rerum cupidi & ſtudioſi in hujus beneficii partem ope & induſtria mea admitterentur, multa, quæ rem literariam illuſtrarent, ex cumulo ſelecta, in unum volumen collegi, ea tunc temporis edendi conſilio, ni mala tempora & Bibliopolarum pervicacia, quo minus voti compos fierem, omninò obſtitiſſent.

Cùm in Commentario de Vita *Joannis Dee*, quem *Devum* Latiniori vocabulo appellare placet, ultimo quidem & recenti laboris noſtri fœtu, unde præcipuam materiam ſummaque illius capita, i. e. tum ex ipſius ſchedis MSS. autographis in Bibliotheca *Cottoniana* & Muſeo *Aſhmoliano Oxonii* re-

repoſitis, & libris ab ipſo editis, tum ex iſtorum temporum Hiſtoriis aut aliunde, hauſerim, paſſim pro re nata ibi pateat, eademque hîc repetere omnino ingratum & tædioſum foret: *Relationis actionum, quas idem Joannes Devus cum quibuſdam ſpiritibus* ab anno 1581. ad finem uſque vitæ habuit, fidem & veritatem contra quorundam malè feriatorum hominum, qui exiſtentiam, operationes, & apparitiones Dæmonum in dubium vocantes, iſtiuſmodi narrationes pro fabulis commentiſque, aut ex verſutia, quâ credulorum menti oculiſque illudi ſolet, excogitatis, aut ex melancholia & læſo cerebro ortis, habent, vindicare omninò neceſſarium videbitur: nec quidem temerè, iniquè, & abſque juſtis cauſis id à me exſpectabis: quod quidem paucis, neque enim prolixa defenſione opus erit, præſtabo, totum hoc negotium tuæ prudentiæ, pietati, & judicio permiſſurus.

Aliqui, *Kellæum* hæc omnia excogitaſſe, *Devo*que præ verſutia & aſtu fucum feciſſe, utpote cui ſoli apparitiones iſtæ in Chryſtallo factæ erant; & reſponſa & oracula inde enunciata, dum *Devus* qui totus ex ſola hujus Interpretis & Internuntii, quicquid animo adlubuerit, pro more dictantis, fide pendebat, nihil horum aut viderit, aut audiverit, ſuſpicantur; ac ideo omnem fidem & auctoritatem huic *Relationi*, licet propria manu, omnibus temporis, rerumque, quæ in iſtis actionibus intervenere, circumſtantiis accuratiſſimè notatis, illo ipſo tempore conſcriptæ, ac ſi ſolerti vafri impoſtoris ingenio eſſet adſcribenda, abrogari volunt. Ita naſuti iſti homines, temerè re neutiquam ſeriò perpenſa, aut ad ſeverum examen revocata, ſibi & aliis, de doctrina Dæmonum perperam ſentientibus, ludos faciunt: ſed quàm inſulſè, quàm præter omne jus faſque, brevibus hiſce probationibus, quas nemo prudens, aut modeſtus, ni fallor, niſi Rationi in iſtiuſmodi rebus juxta communes diſſerendi regulas exerendæ vim facere velit, jam producendis, oſtendam.

De-

Devum hac ex parte nimium credulum agnoſcimus, eò quod ad uſque extremum vitæ halitum hos malignos Spiritus, quibuſcum per plurimos annos frequens commercium congreſſumque ſolennem in modum habuit, pro bonis Dei angelis reputaverit, ab iſthoc inveterato, eoque impio, errore neutiquam dimovendus. Sed quod ad fictam *Kellæi*, quam venditant, impoſturam ſpectat, multa, quæ ſuſpiciones iſtas frivolas & omni ratione vacuas funditus ſubvertere, inque nihilum difflare poſſint, intercedunt. *Kellæus* enim ille vix aut parum Latinam linguam intellexit, & Græcarum literarum erat penitus rudis. Unde ergo Latinas, Græcaſque ſententias, easque interdum longas, hiſce Actionibus pro re nata, non rarò intermixtas, præſertim in illa, cui *Stephanus* Rex *Poloniæ* interfuit, Latinè peractâ? Unde admonitiones, exhortationes, prolixos ſermones, interlocutiones, quavis occaſione interpoſitas, revelationes de rebus metaphyſicis, & potiſſimùm Theologicis abſtruſioris naturæ & argumenti, quæ ipſi in hoc literarum genere penitus inexercitato, aut fortaſſe cuiquam mortalium in mentem nunquam antea veniſſent, nec venire potuiſſent? & denique unde reſponſiones quæſitis accommodas, niſi aliundè acceptas, illius auribus ab aſſiſtentibus ſpiritibus clam infuſas, & quaſi ſecreta inferni halitus inſuſurratione commiſſas, expromere, & quidem expeditè & ſubtiliter, potuit? *Devo* maximè intento, & interdum nova dubia, quibus confeſtim erat ſatisfaciendum, pro re nata proponente, qui hæc univerſa dictata in charta ſubjecta exceperit. Ad hæc addi poſſit, tum alia planè mira, intervenientibus hiſce ſpiritibus, quæ paſſim in Actis adnotantur, à *Devo* conſpecta, in quibus cùm oculis objicerentur, decipi nullatenus potuit, tum actiones haſce, relicto in *Bohemia Kellæo*, poſt reditum in *Anglia* fuiſſe continuatas; adeo ut commentum iſtud, quaſi ille harum fraudum inventor & Architectus fuiſſet, evaneſcere neceſſe ſit. Sed in hiſce, de

***

quibus

quibus fuſiùs in commentario egi, repetendis diutiùs immorari planè piget. Attamen nondum dimittendus es, antequam paucula alia addidero.

Dum nuper præclariſſimi Viri, D. *Roberti Hookii*, Geometriæ in *Greshamenſi* Collegio Profeſſoris, grande operum poſthumorum volumen, paulò ante editum, diligenti manu verſavi, Prælectionem, ab eodem coram Societate Regia olim habitam, ibi inſertam reperi, in qua acriter quidem contendit, hiſtoricam *Devi* narrationem juxta literalem ſenſum intelligi non oportere, ſed omnes iſtas apparitiones cum ſpirituum nominibus, & univerſo varii veſtitus, quem induiſſe perhibentur, & figurarum apparatu, dialogos, collocutiones, & qualeſcunque voces, ſive articulatas, ſive ſonos inconditos, à chryſtallo ſacrato prolatos, item preces & doxologias ad ſingularum actionum finem additas, aliaque illic memorata, ad Cryptographiam referenda eſſe; ſub hiſce involucris *Devum* longè aliud innuiſſe, & in animo habuiſſe; quem comminiſcitur, (neque enim molliori vocabulo uti licet, cùm ſit putidiſſimum commentum) à Regina *Eliſabetha*, illiuſque Conſiliariis, in *Poloniam* & *Bohemiam*, ut arcana iſtorum Principum, quos adibat, conſilia vafrè exploraret, miſſum fuiſſe: ideo hoc obſcuriſſimo commentandi genere, quo minus, ſi fortè in illorum manus ipſius ſchedæ, de quibus jam agitur, incidiſſent, ſuſpicioni obnoxius foret, ſibi pro prudentia ſua caviſſe; *Kellæum* ab illo in *Angliam* reverſuro, ut idem propoſitum perſequeretur, relictum; chryſtallum illud ſacratum, quod iſtiuſmodi phænomena repræſentare, cæteraque mira ex vi artis Mechanicæ, ut credi voluit, producere ſtatuit, illius ſummæ in Mathematicis Scientiis peritiæ adſcribendum; denique famoſum iſtum *Enochi* librum eſſe merè Cryptographicum, & Cabbalæ myſteriis refertum, claviumque, quas rimatus eſt *Devus*, ope, qualiacunque arcana in ejus commentariis ubique ſparſa, & ſive numeris ſive myſticis ſenſibus,

ſibus, ultra nimirum, quàm verba præ ſe ferant, comprehenſa, explicari poſſe. Obſtupui ſanè, cùm hæc legerem, virum tam profundæ in rebus Phyſicis & Mathematicis eruditionis, neſcio quo malo genio, & æſtu animi abreptum, hæc inſomnia, meraſque affanias in iſthoc ſapientiſſimorum Virorum conſeſſu proferre aut potuiſſe aut voluiſſe. De rationibus, quibus ad id audendum inductus fuerit, conjecturam hîc facere nolo. Illum autem è ſepulchro, ad quod, ad ultimum iſtud amicitiæ officium præſtandum ab hærede invitatus, quamplurimiſque iſtius Societatis Adſeſſoribus ipſe quoque immiſtus, deduxi, non effodiam, neque Amici mei, de quo, quod præfiſcini dixerim, omni tempore, & præſertim quando lethali morbo decubuit, bene mereri ſtudueram, memoriam dura & mordaci cenſura lædam & exagitabo. Illius verò famæ, ita audacter ſtatuo, longè melius fuiſſet conſultum, ſi Diſſertationem iſtam, de qua vel ab ipſo Auctore, qui mecum de ſtudiis ſuis familiares miſcere ſermones non rarò ſolebat, nec à quoquam alio ne verbum quidem unquam antea inaudiverim, clariſſimus Editor perpetuis tenebris aut flammis addixiſſet. Harum objectionum, quarum aliquæ ſunt manifeſtò falſæ, cæteræ pura puta ingenii in phænomenis iſtis obſtupeſcendis, excluſo omni ſpirituum interventu, quaſi vulgaris illa hypotheſis, licèt divina & infallibili Scripturarum auctoritate firmata, licèt certa neutiquamque infida experientia, millies demonſtrata, Philoſopho profundioris judicii & indaginis eſſet prorſus indigna, hac ex parte infelicitèr laborantis commenta, vel nuda repetitio ad refutationem abundè ſufficere videtur, ut perlecto commentario meo, in quo, iſtis tunc penitus mihi incognitis, obviam iverim, pro ſapientia tua facilè confiteberis.

Non quicquam valet ad elevandam horum Actorum fidem, quod ſimilia quædam, h. e. quoad numerorum tabulas, barbaras voces, arcanorumque naturæ oſtentationes in Steganographia

graphia *Trithemii*, addant ſi velint, in *Cornelii Agrippæ* & *Paracelſi* libris, in quibus legendis *Devus* non erat parum verſatus, reperiri poſſint; cùm apud iſtos Auctores, an rectè an falsò Magiæ ſuſpectos, jam non inquiro, ne milleſima quidem pars documentorum & probationum, quæ in *Devianis* Actis elegantiſſimè & accuratiſſimè continua rerum geſtarum ſerie referuntur, occurrat.

Hæc in genere & quaſi tumultuariò, ſine omni fuco doloque malo, huic Vitarum Collectioni præmittenda eſſe duxi. Tu verò, Lector, bene vale, & laboribus hiſce noſtris, quales quales ſint, ad Dei gloriam tuamque utilitatem fruere.

Weſtmonaſterii decimo
Aprilis die A. Ch.
MDCCVI.

T. S.

CATALOGUS
LIBRORUM

Qui venales proſtant *Londini* apud DAVIDEM MORTIER in via dicta de *Strand* ad Inſigne *Eraſmi*.

THeſaurus Antiquitatum Romanarum, Continens Lectiſſimos quoſque Scriptores qui Romanæ Reipublicæ Rationem, Diſciplinam, Leges, Inſtituta, Sacra, Arteſque Togatas ac Sagatas illuſtrarunt: Congeſtus à Jo. Geo. Grævio, cum variis Tabulis Æneis. 12. vol. *Fol.*

Theſaurus Antiquitatum Græcarum, in quo continentur effigies Virorum & Fœminarum illuſtrium. Item Variarum Regionum miranda, quæ celebrata apud antiquos ſaxiſque & ære expreſſa occurrunt; adjecta brevi Deſcriptione Singulorum, quæ aut in eorum vita aut in horum proprietate ſpectabilia percipi & intelligi refert, Auctore Jac. Gronovio. 13. vol. *Fol.*

Atlas

CATALOGUS.

Atlas Antiquus Sacer, Eccleſiaſticus & Profanus collectus ex Tabulis Geographicis Nic. Sanſonis Tabulas ordine collocavit & emendavit Joan. Clericus. *Amſt.* 1706. *Fol.*

Patini (Carol.) Imperatorum Romanorum Numiſmata & Ære Mediæ & Minimæ formæ. *Par.* 1696. *Fol.*

Begeri (Laurent.) Theſaurus Palatinus ſive Gemmarum & Numiſmatum quæ exſtant in Electorali Cimeliarcho. *Heidelb.* 1685. *Fol.*

Begeri Regum & Imperatorum Romanorum Numiſmata. *Coloniæ.* 1700.

J. Bapt. Cottelerii, S. S. Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Barnabæ, Clementis, Hermæ, Ignatii, Polycarpi, &c. Opera. Notulas diſperſit J. Clericus. 2. vol. *Amſt.* 1700. *Fol.*

Cypriani Opera recognita & Illuſtrata à J. Fello Oxonienſi Epiſ. Accedunt Annales Cypriani, & Diſſertationes Cyprianicæ Henr. Dodwelli. *Amſt.* 1700. *Fol.*

Etmulleri (Mich.) Opera Medica Theoretico-Practica; hoc eſt Exercitationes & Collegia omnia, ab eodem tam Publice quam Privatim & Privatiſſime quondam habita. 3. vol. *Amſtelod.* 1696. *Fol.*

Stucki (Joan. Guil.) Operum circa Antiquitates Conviviales, Libri tres. Sive Hebræorum Græcorum, Romanorum, aliarumque Nationum conviviorum genera. *Lugd. Bat.* 1695. *Fol.*

Vaillant Numiſmata Imperatorum, Auguſtorum & Cæſarum in Coloniis, Municipiis & Urbibus jure latio donatis. 1695. *Fol.*

Vaillant (Joan.) Numiſmata Imperatorum, &c. à Populis Rom. Ditionis Græcè loquentibus, ex omni Modulo percuſſa. *Amſt.* 1700. *Fol.*

Vaillant (Joan.) Hiſtoria Ptolemæorum Ægypti Regum, ad fidem Numiſmatum accommodata. *Amſt.* 1701. *Fol.*

Vaillant (Joan.) Nummi Antiqui Familiarum Romanarum perpetuis Interpretationibus illuſtrati. 2 vol. *Amſt.* 1703. *Fol.*

Voſſii (Ger.) Opera in ſex Tomos diviſa. Tomus I. in quo Etymologicon Linguæ Latinæ. Tomus II. de Arte Grammatica. Tomus III. Tractatus Philologici de Rhetorica, de Poetica, de Artium & Scientiarum natura ac conſtitutione. Tomus IV. Hiſtoricus & Epiſtolicus. Tomus V. de Theologia Gentili, Phyſiologia Chriſtiana, de Origine ac Progreſſu Idololatriæ. Tomus. VI. Theologicus. 6 vol. *Amſt.* 1701. *Fol.*

Geographia Sacra ex V. & N. Teſtamento deſumta & in Tabulas quatuor concinnata, Auctore Nic. Sanſon, Acceſſerunt Notæ Joan. Clerici. *Amſt.* 1701. *Fol.*

Caroli A S. Paulo Geographia Sacra, ſive Notitia antiqua omnium Patriarchalium, Metropoliticarum & Epiſcopalium veteris Eccleſiæ in Tabulas X. concinnata, cum Notis Lucæ Holſtenii. *Amſt.* 1703. *Fol.*

Arriani Expeditionis Alexandri Magni, Libri Septem, & Hiſtoria Indica. Ex Bonav. Vulcanii interpretatione Latina poſt variam aliorum induſtriam ita Lacunis vel cognitis vel ignotis etiamnum & obſcuris ſuppletis, ita Auctoris in Græcæ Linguæ nativo uſu præſtantia & facultate reſtituta ex plurium MSS. & præ-

& præſertim unius optimi collatione, ut nunc demum prodire hic Auctor videri debeat, opera Jacobi Gronovii. In Charta minori & Charta majori. *Lugd. Bat.* 1704. *Fol.*

Grotii de Jure Belli ac Pacis cum Commentariis G. vander Muelen, Auctoris, nec non Joh. Fred. Gronovii. 3 vol. *Ultraj.* 1703. *Fol.*

Imhof. Hiſt. Italiæ & Hiſpaniæ Genealogica. *Norib.* 1701. *Fol.*

Limborch (Phil.) Theologia Chriſtiana. *Amſt.* 1700. *Fol.*

Joannis Forbeſii à Corſe Opera omnia inter quæ plurima Poſthuma, reliqua ab ipſo Auctore interpolata, emendata atque Aucta. 2 vol. *Amſt.* 1703. *Fol.*

Grotii (Hug.) Epiſtolæ. *Amſt.* 1687.

Voet (Joh.) Commentarius ad Pandectas in quo præter Romani juris principia ac controverſias illuſtriores. 2 vol. *Hag. Com.* 1704. *Fol.*

Biblia Sacra ex Seb. Caſtellionis Interpretatione. *Francof.* 1697. *Fol.*

Dolæi (Joh.) opera omnia, exhibentia non modo Encyclopædiam Medicam & Chirurgicam rationalem, adjecta nova appendice, de Theriaca cœleſti obſervationes Auctoris rariores &c. 2 vol. *Francof.* 1703. *Fol.*

Præſtantium ac Eruditorum Virorum Epiſtolæ Eccleſiaſticæ & Theologicæ Jac. Arminii, Uytenbogardi, Vorſtii, Voſſii, Grotii, Epiſcopii, & Barlæi, Charta Major. *Amſt.* 1704. *Fol.*

Martini (Mat.) Lexicon Philologicum cum Notis Grævii, & Joannis Clerici diſſertatione Etymologica. Editio Nova. 2 vol. *Amſt.* 1703. *Fol.*

Theatrum Hiſpaniæ, Exhibens Regni Urbes, Villas ac Viridaria magis Illuſtria. *Amſt.* 1705. *Fol.*

Pariſiii Magnæ Græciæ Numiſmata accurante Joh. Georg. *Volkamero.* 1683. *Fol.*

Deſiderii Eraſmi Roterodami Opera Omnia, emendatiora & auctiora, ad optimas editiones præcipuè quas ipſe Eraſmus poſtremo curavit ſumma fide exacta, Doctorumque Virorum notis illuſtrata. In decem tomos diſtincta, quorum primo, in hac Editione, præfixa ſunt Elogia & Epitaphia Eraſmi. à Viris Doctis conſcripta, nec conjunctim unquam antea ſic edita, cum indicibus totius operis copioſiſſimis. Quid porro huic editioni præ ceteris acceſſerit, Præfationes ſingulorum voluminum docebunt. 10 vol. 1703. *Fol.*

Guſſetii Commentarius Linguæ Ebraicæ, in quibus primarius ſignificatus, loca inſignia Scripturæ explicantur, parallela Vet. & Nov. Teſtamenti, cum peculiari diſcuſſione, tum mutua collatione firmantur & vindicantur. *Amſt.* 1702. *Fol.*

Bibliotheca Germanica ſive Notitia Scriptorum Rerum Germanicarum IV. Praxibus Abſoluta, Erfurt. *Fol.*

Riverii (Laz.) Opera Medica Univerſa. *Lugd.* 1698.

Miſchna, ſive totius Hebræorum Juris, Rituum, Antiquitatum, ac legum oralium Syſtema cum Clariſſimorum Rabbinorum Maimonidis & Bartenoræ Commentariis integris, Latinitate donavit ac Notis illuſtravit Guil. Surenhuſius. 6 vol. *Amſt.* 1703. *Fol.*

VITA JACOBI USSERII.

VITA
JACOBI USSERII

Archiepiſcopi Armachani, & totius Hiberniæ Primatis:

Scriptore

THOMA SMITHO,

Sacræ Theologiæ Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

VITA JACOBI USSERII ARCHIEPISCOPI ARMACHANI,

& totius Hiberniæ Primatis.

IACOBI USSERII, viri omnium ſeculorum memoria digniſſimi, vitam literis mandare aggredior, tum ſummâ erga illum, quem in roſtris perorantem olim adoleſcente ætate ſæpe audivi, reverentiâ, tum honeſto de Republica literaria, & de Eccleſiis *Anglicana* & *Hibernica*, quarum omnium ingens erat lumen & ornamentum, aliquantillum, ſaltem pro virili, benè merendi ſtudio & deſiderio incenſus. Animum diu reluctantem planè abſterrebat difficultas operis propoſiti, in quo de rebus maximi momenti, tam ad civile regimen, quàm ad Religionem ſpectantibus, ſubinde pro neceſſitate temporum intermiſcendis, erit agendum. Verebar etiam, ne meritiſſimas illius laudes, ſummasque excelſæ mentis dotes ineleganti ſtilo, frigidis narrationibus, & tenuitate ingenii detererem. Sed tandem vicit pietas, vicêre importunæ & crebrò repetitæ Amicorum preces, qui memoriis elogiiſque, de *Uſſerio* Anglicè pridem editis, parum acquieſcentes, ut quicquid alii ſcripſerint, quicquid è ſchedis manuſcriptis, aut aliunde propriâ induſtriâ collectum apud me habuerim, ea omnia in publicos uſus depromere, & ſeræ poſteritati, & Latinè quidem, præcipuè in Exterorum gratiam, commendare vellem, impenſè expetierunt. Quod utinam ſatis pro dignitate argumenti exequi, inque effectum dare poſſem! Hoc enim in anteceſſum quaſi præfiſcini dicendum arbitror, non ad captandam Lectoris benevolentiam, neque nimio affectu abreptus, ſed re ſeriò perpenſa, juſtiſque notitiis inſtructus, *Hiberniam* in quâ *Uſſerio* naſci contigerat, ex quo prædicationibus, indefeſſâ vigilantia, ſanctiſſimiſque & ſapientiſſimis curis & conſiliis *S. Patricii*, jure merito *Hibernorum Apoſtoli* nuncupati,

cupati, quinto æræ Chriſtianæ ſeculo, fide & doctrina Evangelii imbuta fuerit, licèt innumeros ferè Præſules, alioſque, tum ſanctitate vitæ, tum literarum cultu & ſtudiis, ab iſthoc tempore, nondum agreſti morum feritate introducta, & deinceps, tanquam ex fertili gremio produxerit, inque ſuo ſinu refocillaverit, de nemine aut magis aut meliùs gloriari poſſe, quàm de hoc noviſſimo Alumno ſuo, in poſtremis hiſce ad finem vergentis mundi temporibus, feliciſſimè in lucem edito, quem, utpote ſacrum ac cœleſte depoſitum, in commodum univerſæ Gentis *Hibernorum*, ſi icti monitique ſapere ſuiſque bonis uti didiciſſent, terris faventiſſimo Numine commodatum, ſummis quibuſcunque ex Anteceſſoribus illa ſine invidia, vel præſens objicere poteſt. In cujus geſtis enarrandis, omni adulatione & partium ſtudio ſepoſitis, proculque habitis, ſolo diæ Veritatis, quam ſacram ſemper habui, & habebo, amore ductus, probi Biographi munere & partibus fungi conabor: nec quicquam ſive laudis, ſive cenſuræ, quod ad res, ſive in *Anglia*, ſive in *Hibernia*, ipſius vitæ intervallo peractas, attinet, intertexam aut admiſcebo, niſi quod ipſa fides, aut tabulis publicis, aut unanimi teſtium, omni exceptione majorum, conſenſu firmata, exegerit.

Uſſerii natales. JACOBUS USSERIUS primos vitales ſpiritus hauſit in parochia S. *Nicolai*, *Dublinii*, *Eblanæ* veterum, *Hiberniæ* Metropoleos, Januarii quarto die A. MDLXXX. Verbi incarnati, juxta computum Eccleſiæ *Anglicanæ*, parentibus ex antiqua & nobili ſtirpe prognatis ortus. Quod ut ut fortuitum videatur, inter præclara divinæ Providentiæ beneficia referri meretur. Licèt enim viri magni è caſis tuguriiſque obſcuris & humilibus prodire poſſint, & frequentes quidem prodierint, quod illorum bonæ indoli, ſublimi ingenio, induſtriæque indefeſſæ, omnia obſtacula, quæ res anguſtæ ſolent objicere, viam ad perfectam virtutem contendentibus quaſi præcluſura, perrumpenti, maximè, ſecundùm Deum, debetur: tamen exploratiſſimum eſt apud omnes, benè & auſpicatò natis feliciora ab ingenua & accurata educatione petita adipiſcendæ eruditionis ſubſidia, frequentioraque otii literarii intervalla faciliùs quidem ſuccedere, omni tædio, impedimentis, moleſtiisque amotis, quibuſcum adoleſcentibus tenuioris ac plebeiæ ſortis, ineluctabili quadam neceſſitate ſæpenumerò conflictandum eſt.

Genus paternum. Paterni generis origo deducitur à temporibus R. *Henrici II. debellatoris Hiberniæ*, qui in *Angliam* redux, quò ſecuriùs meliùſque Regulos

ac

ac populum ferocientem, in fide, quam ſolenni jurejurando unanimes ſpoponderant, retineret, legibuſque æquiſſimis, cum rigore ſubinde temperandis, quoſdam refractarios, priſtinis incultis moribus, agreſtique vitæ ferino ritu mordicus adhæreſcentes, ab omni ſeditione, tumultu, mutuiſque cædibus coerceret, filium ſuum natu juniorem, *Joannem*, Comitem *Moritoniæ*, ſumma omnia diſponendi & pro re nata moderandi poteſtate auctoratum, jure regnandi in illum ſub certis conditionibus tranſcripto, totius Inſulæ *Dominum* A. MCLXXXV. conſtituit. Qua ſimplici appellatione Reges *Angliæ*, longa ſerie ſuccedentes, contenti erant uſque dum R. *Henricus* VIII. auguſtiori & ſonantiori *Regis* titulo, in Comitiis Parlamentariis *Dublinii*, A. MDXLI. qui erat Regni triceſimus tertius, habitis, commutaverit. *Joannem* ad novam hanc & planè exſortem dignitatem capeſſendam, in *Hiberniam* properantem, inter alios viros nobiles comitatus eſt eximius quidam vir, ex illuſtri gente *Nevillorum*, in ipſius clientelam pridem admiſſus, & mox in Aula Admiſſionalis, (*Huiſſier*, ſive pauxilla mutatione, Anglicè *Uſher*) ex favore Principis conſtituendus, cujus muneris nomen, prout uſu antiquo venerat, abjecto altero, in cognomentum familiæ, quam illic relicto natali ſolo, inſtauraturus erat, poſtea tranſibat. Supervacanei foret laboris, & à re noſtra alienum, in iſtius familiæ per varias *Hiberniæ* Provincias ſparſis propaginibus indagandis, eque Heraldorum archivis eruendis, ſolicitè immorari, aut genealogicam ſtirpem, ſive rectâ lineâ, ſive ex matrimoniis initis deſcendentem, curioſiùs ſcrutari. Ad Parentes igitur *Jacobi* noſtri rectà & properanter venio.

Patrem habuit *Arnoldum Uſſerium*, virum clariſſimum qui opes ſatis amplas jure hæreditario nactus, in artibus, quibus imbui ſolent pueri generoſioris proſapiæ, in ſcholis probè educatus, ſe totum, poſtquam pubertatem exceſſerat, Legum municipalium *Anglicanarum*, quæ illic quoque ex Statutorum Parlamentariorum vi ubivis obtinent, ſtudio addicebat, in quarum cognitione tantos fecerat progreſſus, ut illarum profunda penetranti oculo rimatus, matura ætate, unus è ſex Clericis Cancellariæ conſtitueretur. Pater *Arnoldus Uſſerius.*

Mater ipſi erat *Margarita*, filia *Jacobi Stanihurſti*: ille verò inſignis Jurisconſultus, in claſſe *Magiſtrorum Cancellariæ* recenſitus, & Civitati *Dublinienſi* à *memoriis & actis publicis* conſtitutus, tanta ſapientiæ fama & exiſtimatione inclaruit, ut in Comitiis Parlamentariis, regnantibus R. R. Mater *Margarita Stanihurſta*, filia *Jacobi Stanihurſti.*

Maria & *Eliſabetha*, ab Adſeſſoribus inferioris Cameræ communi ſuffragatione *Orator* ter eligeretur. Mutata, pro varia rerum conditione, Religionis publica profeſſione, *Hiberni*, ne à ſuis muneribus abdicarentur, minusque dominantium *Anglorum* ſuſpicionibus ac cenſuris fierent obnoxii, ſacris cœtibus, ſine ſcrupulo & offenſa Conſcientiæ, ſive rituum Eccleſiaſticorum varietatem nuper introductam, pro nihilo habentes, ſive ex profunda diſſimulatione, ſecularis commodi cauſâ, intereſſe ſoliti, non aliud præ ſe ferebant, quàm parem cum cæteris concivibus, ſincero pioque animo, Reformatæ Religionis dogmata & cultum amplectentibus, communionem, opinandique rationem; licèt antiquæ, & quantùm per leges fieri potuit, exterminatæ ſuperſtitionis amorem intus in pectore retinerent. In quorum numero, *Stanihurſtum* collocandum eſſe ex literis *Edmundi Campiani* (a), poſtea famoſi Jeſuitæ, tunc ex *Anglia* profugi, quem domi ſuæ aluit, & dein illum, ne à ſatellitibus deprehenderetur, ob violatas regni leges, & præpoſterum præcipitemque incautos ſubditos à fidelitate Reginæ debita ſub ſpecioſo Religionis *Catholicæ*, hoc eſt, *Romanæ*, prætextu, abalienandi zelum, in jus vocandus, rure Amico, ubi tutus deliteſceret, commendavit, A.Ch.MDLXX. ad eundem ſcriptis, manifeſtè liquet. (b) Interim ille pro verſipelle, quo pollebat, ingenio muneris demandati partes probè impleviſſe viſus eſt: neque Proregi neque Senatoribus ullatenus ſuſpectus. Quo tempore cùm inter tot tumultus ac rebelliones, quas quidem Magnates, numeroſis clientelis *Hiſpanorum*que ſubſidiariis copiis nimium quantum freti, ſubinde prout frequens occaſio ſeſe obtulerit, ciebant, de bonis literis propagandis conſulere neutiquam vacaret; cumque ſcholæ publicæ hactenus deficerent, in quibus, ſive in amœnioribus, ſive ſeverioribus diſciplinis, juvenes pro dignitate natalium inſtitui poſſent, in exteras Regiones, & potiſſimùm in *Angliam* ad capiendum ingenii cultum non ſine ingenti rei domeſticæ jactura & diſpendio, itum erat: quò meliùs huic incommodo iretur obviam,

(a) Epiſt. III. in Opuſculis ejus ſelectis à *Silveſtro Petra Sancta* S. J. *Antuerpiæ* editis: A. MDCXXXI.

(b) Illius laudes meritò, tum ob egregiam humanitatem & hoſpitalitatem, tum ob eruditionem & *Hibernicarum* Antiquitatum cognitionem celebrat idem *Campianus* in Præfatione ad hiſtoriam *Hiberniæ*, quam ex Bibliotheca D. *Jacobi Uſſerii* quem ibi *reverendiſſimum noſtrum & exquiſitiſſimè eruditum Primatem* appellat, imprimendam curavit D. *Jacobus Waræus Dublinii* MDCXXXIII. uti & ex eadem Bibliotheca, *Conſpectum ſtatûs Hiberniæ* ab *Edmundo Spenſero* A. 1596. per modum Dialogi deſcriptum & etiam viri doctiſſimi, D. *Meredithi Hanmeri* Chronicon: quod Auctor peſte correptus imperfectum reliquit. *ibid.*

viam, de reſtituenda quam olim, h.e. A. Ch. MCCCXX. *Alexander Bicknorus*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, fundandam curavit, veteri Academia penitus everſa in Urbe principe, in generalibus Comitiis circa A.Ch. MDLXIX. habitis, initis conſiliis, ſeriaque deliberatione diſceptaretur, *Stanihurſtus* ille, ſive ad captandam Reginæ gratiam, ſive verò erga Patriam amore exardeſcens, primus propoſuit, ut libellis ſupplicibus hac de re ſereniſſimæ Reginæ exhibitis, illius opem & benevolentiam ad ſanctum hoc propoſitum conſummandum, commendantibus Concilii ſanctioris Adſeſſoribus, implorare vellent, quo nihil aut Reginæ benigniſſimæ, bonarum literarum pariter ac Religionis, à ſordibus errorum defæcatæ, fautrici & patronæ, gratius, aut univerſæ *Hibernorum* Genti utilius contingere potuit. Hujus autem monitis ſuaſibusque, quos omnes boni impendiò & certatim approbarunt, utque in effectum darentur, favente Numine, & auſpice Regina, ſummis ingenii & induſtriæ, quisque pro facultate ſua, nervis contenderunt, ut tanti beneficii & felicitatis, in ultimos Inſulæ receſſus quaquaverſum omnibus futuris ſeculis diffundendæ, fierent compotes, inſtaurationem ſuam debet præſens Academia *Dublinienſis*: tandem poſt aliquot annos, omnibus obſtaculis amotis, ex munificentia Reginæ, reditibus, (quos poſtea auxit ſereniſſimus Rex *Jacobus I.* quibus Præpoſitus, Lectores Theologiæ, & Philoſophiæ, Socii, adoleſcentesque Candidati eſſent in perpetuum alendi) dotata, privilegiisque ſub Regii diplomatis auctoramento A. MDXCI. ſtabilita. Nobiliſſimum ſanè illud eſt Eccleſiæ *Hibernicæ* ſeminarium, è quo tot venerandi Præſules, aliique, egregiis animi dotibus cumulati, & omnigenæ eruditionis & ſanctitatis vitæ ſtudiis maximè inſignes, ab iſthoc tempore prodierunt &, uti fas eſt augurari, in æternum prodibunt.

Academiæ *Dublinienſis* reſtauratio.

A Patre neutiquam ſejungendus videtur *Richardus Stanihurſtus*, *Jacobi* noſtri Avunculus, vir quidem inſigniter doctus, & in patriis Antiquitatibus, quæ tanto eguerunt illuſtratore, eruendis maximè induſtrius & felix. Hic verò, ut paucis de illo agam, florente juventa, in Collegio Univerſitatis apud *Oxonienſes* ſtuduit: & non multò poſt, pro genio iſtius ævi, quod *Ariſtotelicam* doctrinam, inutilibus perplexisque difficultatibus mirè obſitam, ex ignoratione melioris ſaniorisque Philoſophiæ, non ex otioſorum hominum, quidlibet pro laſciviâ ingenii fingentium cerebellis, ſed ex natura rerum eruendæ, deperibat, *Commentarios* ſive *Catenam Dialecticam* in *Porphyrianas* Conſtitutiones *Londini* MDLXX. edidit. Sed matureſcente cum annis judicio, ex veterno quaſi expergefactus,

Richardus Stanihurſtus Avunculus.

ctus, excuſſis Scholaſticorum nugis, poeticisque, quibus ſe indulſerat, præſtigiis, relictoque etiam, cui à Patre deſtinabatur, Legum municipalium ſtudio, veterum ſeculorum hiſtoriis, (ut hîc omittam *Deſcriptionem*, quam adornavit, *Hiberniæ*, inſcriptam D. *Henrico Sidneio* Proregi, & in Hiſtoricis & Chronicis *Raphaelis Hollinshedi* Collectaneis *Londini* editis A.MDLXXXVI. inſertam) majorum geſta ſtilo inornato & planè barbaro referentibus, legendis, quæ carie, ſitu & tineis exeſæ, in tenebroſis Bibliothecarum receſſibus hactenus delituerant, intenta oculorum & mentis acie invigilavit, quatuorque libros, in eodem volumine congeſtos, *de rebus in Hibernia geſtis*, *cum Hibernicarum rerum appendice*, ex *Silveſtro Giraldo Cambrenſi* collecta, cum adnotationibus ad finem ſingulorum capitum additis, Typis *Plantinianis Antuerpiæ* juris publici fecit A.MD.LXXXIV. Nam ante paucos annos, larva, quam induerat, detracta, in *Hiberniam* reverſus eſt; deinde in *Belgium* ſe ſubduxerat, & poſt mortem uxoris ſacris ordinibus initiatus, tandem ſereniſſimis Principibus, *Alberto* Archiduci & *Claræ Iſabellæ Eugeniæ*, factus eſt à ſacris, quorum munifica liberalitate nobile otium nactus, vitam jucundè ſuſtentavit; obiitque *Bruxellis* A.MDCXVIII (a). Interim iſtud ſententiarum de dogmatibus religionis divortium non obſtabat, quominus cum Avunculo de rebus ad Hiſtorias & Antiquitates *Hibernicas* ſpectantibus literarium exercere commercium ſibi licere, pro æquitate & prudentia ſua *Uſſerius* noſter judicaverit, uti poſtea videbimus.

Uſſerii mater deluſa religionem Romanam amplectitur.

Non diſſimulandum arbitror, matrem *Jacobi* noſtri, dum ille aberat in *Anglia*, quorundam Emiſſariorum verſutiis captioſisque technis, quibus retundendis planè impar erat muliebre ingenium, miſerè deluſam ac circumventam, cujus conſcientiam diris votis, ne meliùs docta reſipiſceret, illigaverant, ad Romanæ Eccleſiæ communionem tranſiiſſe: quod nati pientiſſimi animo non mediocrem luctum doloremque incuſſit; eò quidem acriorem redditum, cùm poſt reperiſſet illam, utpote feminam pervicacem & obſtinatam, nullis ſuaſionibus, argumentis nullis ad ſanam mentem revocari potuiſſe. Hi quidem zelotæ de victoria, fraudulentis malisque artibus reportata, triumphos egere, & *Uſſerio* hanc matris obſtinationem, quam conſtantiam inflexilemque mentis firmitatem interpretati ſunt, editis libellis exprobrarunt: ſed quàm iniquè, quàm abſurdè, judi-

(a) De reliquis illius ſcriptis vide D. *Jacobum Waræum* de Scriptoribus *Hiberniæ* pag. 86. & *Uſſerii Armachani* ad *Stanihurſtum* Epiſtolam primam in *Sylloge Londini* edita M.DC.LXXXVI.

judicent omnes æqui bonique amantes & ſtudioſi. Non parùm ipſi doluit, quod ſacris Eccleſiæ negotiis in Urbe detentus, matri dilectiſſimæ in agone mortis *Droghedæ* ex improviſo fatiſcenti non adeſſet, quo abiturientem animam, prius ſpiritualibus conſiliis adjutam, precibus ſuis Deo commendaret: hoc tamen commodi ex malo domeſtico Eccleſiæ accrevit, quod ille novo quaſi zelo animatus contra Pontificiorum inſidias, ne alii, ſive ſanguinis, ſive amicitiæ, ſive communi Chriſtianæ charitatis nexu conjuncti, quorum ſaluti maximè conſuluit, ab integra fide abducti, iſta labe contabeſcerent, ſolicitiore animo ſatageret.

Unicum habuit *Jacobus* fratrem, nomine *Ambroſium*, qui aliquanto tempore ſtudiorum cauſâ apud *Cantabrigienſes* commoratus eſt. Vir ſanè Linguæ Hebraïcæ & Arabicæ quoque, admodum peritus, quod teſtatur, qui, ex intima conſuetudine optimè & noverat, & judicare potuit, *Gulielmus Eyrius*, Collegii *Emmanuelis* in iſta Academia ſocius, in literis (a) ad *Jacobum* circa annum MDCVIII. ſcriptis; teſtatiſſimum verò faciunt magna V. Inſtrumenti pars ex Hebraïco codice in Linguam Anglicanam verſa, Surata *Cæverne* ex Alcorano Latinè reddita, Collectanea Arabica & Hebraïca, & Lexicon Arabicum (ut hîc quosdam tractatus & diſputationes de variis capitibus Theologicis omittam) quæ in Archivis Bibliothecæ Collegii S Trinitatis *Dublin.* hodie ſuperſunt: à quo, ex editis hiſce reconditæ eruditionis ſpeciminibus, uti ex bonis primitiis lætam amplamque ſegetem, ſumma quæque, & excelſo, quo præditus erat, ingenio perquam digna, exſpectarunt amici, niſi illum annis juvenilibus mors peracerba præripuiſſet. *Ambroſius Uſſerius* frater.

Quod ad propinquos *Jacobi* noſtri ex paterno genere ortos ſpectat, patruum habuit *Henricum Uſſerium*, Theologicis diſciplinis *Cantabrigiæ* innutritum, & aliquanto tempore ſtudiorum cauſâ *Pariſiis* morantem, Deo & Eccleſiæ ex ordinatione ſacra devotum, qui tandem cùm multos annos Archidiaconatum Eccleſiæ *Dublinienſis* adminiſtraſſet, ut quod rarum & inſolitum erat, Reginæ *Eliſabethæ* auſpiciis & indulgentia, ob ſapientiam, ſanctitatem morum, eruditionem, reliquaſque dotes, tam excelſæ dignitati pares congruaſque, ad primatialem ſedem *Armachanam*, menſe Auguſto A. C. MDXCV. promovebatur; *Henricus Uſſerius* Patruus Archiepiſcopus *Armachanus.*

(a) Exſtant in *Sylloge* epiſt. III. *Interea vero loci, agnoſco me valdè oberatum eſſe, & tibi, & doctiſſimo fratri tuo*, Ambroſio, *qui peritiſſima manu ſua quædam in meum uſum ex Alcorano Arabicè exſcripſit.* pag. 3.

obiit verò Aprilis II. MDCXIII. Crimen piaculare non immeritò videbitur, ſi hîc penitus tacerem, quantum de univerſa Gente & Eccleſia *Hibernica* meruerit vir ille reverendiſſimus.

Henrici Uſſerii Laudes.

Non defuere quidem in *Hibernia*, qui in ſummis dignitatibus conſtituti, ad fortunas ſive augendas, ſive reparandas, latifundiis patrimoniiſque ſacris avidiſſima mente inhiaverint. De Eccleſia Cathedrali S. *Patricii* penè actum fuerat, cujus reditus, ſub plauſibili & ſpecioſo eoſdem fiſco regio addicendi prætextu ſibi in proprios uſus *Perottus Deputatus*, uti appellatur, convertere ſtudebat; niſi interceſſiſſet Reginæ pietas, & *Henrici Uſſerii*, tunc temporis Archidiaconi *Dublinienſis*, prudentia & ſedulitas, qui miſſus à Decano aliiſque, quorum maximè intererat, in *Angliam*, iſtius Eccleſiæ jura adeò dilucidè & tanta argumentorum vi tutatus eſt, ut dirum iſtud omen, malis, in pleraſque omnes redundaturis, gravidum, penitus averteretur. Sed non multò poſt ſanctior cura, (ſi quidem ſanctior dari potuit) longè neque majoris momenti, illum occupavit. In condenda enim Academia *Dublinienſi* lentè admodum per plures annos proceſſum erat, etiamſi optima Regina id in documentis duobus Proregibus, alteri poſt alterum, in *Hiberniam* ituris, dediſſet; ex difficultatibus, quæ ſubindè intervenerunt, haud facilè ſuperandis, longæ nectebantur moræ; quarum tandem pertæſum eſt omnes, quibus hoc ſanctum propoſitum, è quo *Hiberniæ* felicitas pendebat, curæ & cordi erat, & qui aſſiduis poſtulationibus rem iſtam urſere. Ideo Conſiliariis *Hibernis*, quicquid hac de re, crebris ſeriiſque conſultationibus habitis, hactenus inter ipſos conveniſſet, Reginæ cum debita commendatione, ut dixi, referre viſum eſt, ut ipſa conſentiente ratumque habitura, hiſce optimis conatibus, quibus omnes boni benè cupiebant, ingrata cunctatione hucuſque productis, felix imponeretur coronis, nec quenquam alium, qui cauſam iſtam coram Regina, Conſiliariiſque *Anglis* ageret, *Henrico Uſſerio* tunc temporis, cujus fides & ſapientia ipſis erant exploratiſſimæ, aut digniorem, aut magis idoneum reperiri poſſe, hi Summates cenſuerunt. Ille verò itinere in *Angliam* maxima animi cum lætitia, A. MD. XC. ſuſcepto, nullis parcens ſumptibus, nullosque labores ſubterfugiens, ita ſtrenuè & præclarè iſthoc munere functus eſt, ut (a) chartam fundationis triceſimo die Martii A. MDXCII. datam, & Regio

(a) Vide epiſtolam CXLV. *Jacobi Uſſerii Armachani* ad D. *Gulielmum Laudum*, tunc temporis Epiſcopum *Londinenſem*, in *Sylloge*.

Regio ſigillo munitam, tandem auſpicatiſſimè impetraverit, cujus certiſſima ſpe fretus, in patriam redux, immortali hoc beneficio jam donandam, ſummis omnium gratulationibus excipitur. Reliquit *Henricus* filium *Robertum*, paternæ eruditionis & pietatis ex aſſe hæredem, qui in iſthoc Collegio educatus, inque ſociorum numerum adſcriptus, poſtea ex commendatione Conſobrini ſui, *Jacobi* noſtri, & inſigni elogio illius virtuti debito, & quod ipſa veritas, nullo reſpectu ad cognationem habito, exegerat, quod dederat (a) in literis ad D. *Laudum*, qui multum in rebus ad Eccleſiam Academiarumque diſciplinam apud Sereniſſimum Regem, *Carolum I.* potuit, & unanimi ſociorum conſenſu, præfectura iſtius, A. MDCXXIX. donatus eſt. Hic vero, quinquennio elapſo, ad Epiſcopatum *Kildarienſem* merito ſuo evectus, ſe ſacrâ infulâ fideli paſtoralis curæ adminiſtratione omnino dignum præſtitit. Tandem ex crudeliſſima & quàm maximè execranda *Hibernorum* Pontificiorum rebellione & laniena eluctatus, in *Angliam*, inſanis motibus tunc agitari incipientem, auſugit, ubi ſummis ob patriam, horrendum in modum deſolatam, mœroribus confectus, vergente ad finem anno MDCXLII. *Pontabirſleiæ* in provincia *Salopienſi* diem ſuum obiit.

Robertus Uſſerius, Epiſcopus *Kildarienſis*, *Jacobi* conſobrinus.

Non hic prætereundum eſt ſilentio, quod *Jacobus* noſter familiari apud amicos ſermone, tanquam ſingulare & rari exempli, commemorare ſolebat, nempe ſibi duas Materteras, an vitio naturæ, an morbo, incertum, ab ipſis cunabulis omni oculorum lumine, & uſu carentes, obtigiſſe, quarum inſtitutione & cura, dum puer erat, legere edoceretur. Quod quidem intellectu haud facile videtur, niſi dixerimus, illum, nominibus figuriſque literarum, non prorſus incognitis, quomodo in ſyllabas & verba connecti debeant, ab iiſdem, aut vocem moderantibus, aut malam lapſantis linguæ pronuntiationem corrigentibus, didiciſſe. Illæ verò, quod aliis quoque cæcis frequenti uſu venit, adeò felici tenacique pollebant memoria, ut aliquammulta integra ſacrarum Scripturarum capita abſque aliquo errore & cæſpitatione, rogatæ experiundi cauſâ, repetere valerent. Hiſce præloquiis defunctus, ad preſſiorem vitæ *Uſſerii* noſtri hiſtoriam venio.

Materteræ.

Prima fuit cura parentibus, quibus exploratum erat, ſemina pietatis ac reverentiæ erga ſanctiſſimum Numen exhibendæ, in ipſis primæ puritiæ

Educatio in ſtudiis pietatis.

(a) *Ibid.*

ritiæ temporibus, jacta, in bonam frugem maturioribus annis adoleſcere, characteresque in animo, vanis falſisque præjudiciis & opinationibus vacuo, tanquam in raſa tabula, impreſſos ſignatosque, vix, aut ægrè quidem, obduci & obliterari, aut poſſe, aut ſolere, ut illius mens ſenſu religionis, ab omni ſuperſtitionis labe purgatæ, quantum tenella ætas ferret, imbueretur: proxima verò, ut doctrinæ, quæ puerilibus annis convenit, rudimentis erudiretur. Cujus exquiſitæ educationis fructus poſtea per univerſam vitam maximè erat conſpicuus. Nemo enim ſacræ religionis inſtituta ſanctiori zelo excoluit: nemo bonarum literarum ſtudia impenſiori diligentia proſecutus eſt.

Et literarum.

Octo annorum puer ad Scholam Grammaticalem, ſub cura & inſtitutione *Fullertoni & Hamiltoni.*

Octennis, quaſi jam domeſticis inſtitutionibus ſuperior, ad ſcholam Grammaticalem, quæ tum in Urbe natali, ſub cura & diſciplina duorum nobilium *Scotorum*, *Jacobi Fullertoni* & *Jacobi Hamiltoni*, inclarescere cœperat, miſſus eſt, linguâ Latinâ erudiendus.

Commodum enim accidebat, ut quo tempore Urbs iſta ingenti Ludimagiſtrorum inopia laboraret, hi Advenæ humaniori literaturâ perpoliti, quo rem illam maximi momenti, cujus cauſa ex patria huc migraſſent, meliùs celarent, laborioſum iſtud docendi pueros & adoleſcentes munus in ſe ſuſceperunt; hoc modo, tum induſtria ſua laudabili, tum ſuaviſſimis moribus, blandisque artibus, in gratiam *Anglorum* & *Hibernorum*, cujuscunque ſortis & conditionis, ſeſe inſinuaturi. Vera enim itineris ſuſcepti ratio hæc fuit. Sereniſſimus *Scotorum* Rex, *Jacobus*, iſtius nominis ſextus, de ſucceſſione ad *Angliæ* & *Hiberniæ* regna ineunda, quæ poſt obitum R. *Eliſabethæ*, omni jure, tam divino, quam humano, illi competebat, impendiò ſolicitus, veritusque, ne aut maleſanis technis aut aperta vi & armis Pontificiorum, aliorumve, qui novis rebus ſtuderent, moræ & difficultates, haud facilè ſuperandæ interponerentur, ſecundùm gratiam benevolumque affectum Reginæ, à nominando ſucceſſore, ut illum magis redderet obnoxium, præfractè quidem abhorrentis, (neque enim, ut ſæpe ſolebat, ſuo more, h. e. perquam eleganti dicere, *ſepulchrale linteamen ſibi coram oculis perpetuò objici* ſuſtinuerit) non ſolum *Anglorum*, præſertim Aulicorum, animos quoquo modo conciliare, ſed *Hibernos* tum veteris tum novæ proſapiæ, à quibus non leve ob diverſos mores & ſimultates inter *Scotos* & *Hibernos* olim à longo tempore ortas, & usque productas, & ob duriſſimam in patriis ritibus retinendis obſtinationem, impendebat periculum, in ſuas partes trahere omni niſu contendebat. Sub hac larva, *Fullertonus* & *Hamiltonus* in *Dublinium*

nium tanquam tutelares genii, qui liberis probè & feliciter educandis præeſſent, recepti, clam Regis ſui cauſam egêre & tutati ſunt, initâ cum nobiliſſimis viris, ſive Romanæ, ſive Reformatæ Communionis, qui aut propè & in vicinis Regionibus ampla poſſederant latifundia, aut negotiorum forenſium cauſâ, illuc ſubinde convenerant, amicitiâ. Non parum ſapientiſſimis R. *Jacobi* conſiliis in iſta Inſula promovendis conducebat, illorum explorata fides, ſolers prudentia, & ſagax ingenium: quod benè noverat, & expertus eſt Rex ipſe, illos, prout meruere, longè ſplendidioribus dignitatibus, quibus ſuſtinendis erant pares, admoturus. D. *Fullertonus* mox à Rege *Jacobo*, jam primo *Magnæ Britanniæ* Monarchâ, dignitate Equeſtri ornatus: deinde primus è cubiculariis ſecundi Ordinis ſereniſſimi *Caroli*, tum Principis *Walliæ*, tum Regis conſtitutus: inter *Aulicæ* vitæ pompas & delicias conſummatæ virtutis exemplum ubivis dedit, famæ ſatur, licèt non annorum, (non enim ſenilem ætatem attingebat) magnum ſui deſiderium reliquit, in ſacello *Paulino* in Abbatiali Eccleſia *Weſtmonaſterienſi* honorificè ſepultus, cujus pene invidendas laudes in eleganti Marmore ad borealem murum affixo incidi curarunt ſuperſtites Amici. Alter verò D. *Hamiltonus*, primò ad parem Equeſtrem dignitatem, deinde verò ad titulum, gradum, & honorem Vice-Comitis de *Clandebois* in *Hibernia* evehebatur.

Fullertonus & Hamiltonus à Rege *Jacobo*, de quo bene meruerant, ad dignitates promoti.

Sub hisce Magiſtris Diſcipulus, tam bonæ indolis tantæque induſtriæ, in bonis literis non potuit non proficere quotidiè: nec opus erat ſtimulis, quibus ad penſum illud diurnum, quod imperatum fuerit, abſolvendum incitaretur. Illorum præceptionibus avida aure & mente aliquatenus capaci imbibitis, poſt comprehenſas digeſtasque Artis Grammaticæ & Rhetoricæ regulas, expeditumque Linguæ Latinæ uſum, claſſicis Auctoribus, Poetis, Oratoribus, & Hiſtoricis aſſuefieri jam incipiens, hisce fundamentis jactis, planam facilemque fore ad eruditionem viam ſentiebat: ſemperque hanc felicitatem ſibi gratulatus, illud inter benignioris Providentiæ munera recenſere ſolitus erat, quod in tales Præceptores feliciſſimo auſpicio incidiſſet, quos, dum vixerint, omni cum debito honore proſecutus eſt, quorumque memoriam charam habuit, meritiſſimisque elogiis ex grati animi tenerrimique affectus ſenſu exornavit.

Uſſerii in bonis literis felix progreſſus.

Cùm verò integrum quinquennium, in ſchola, ſub ſapientiſſimorum Præceptorum diſciplina, acquiſita præcocis ingenii laude, expleviſſet *Uſſerius*, inde ad novum, illudque nobilius, altioris doctrinæ ſeminarium ex conſilio eorundem transplantatur.

Collegii *Dublinienſis* Status.

Anno MDXCIII. Fabrica Collegii *Dublinienſis*, de quo ſupra egi, ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis honori & gloriæ dicati, abſoluta, cujus præfectura pro tempore primo fungi dignatus eſt reverendiſſimus Vir, *Adamus Loſius*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*. Primus autem Cancellarius *Gulielmus Cecilius*, Baro *Burghleius*, *Angliæ* Theſaurarius, ob ſummam in rebus maximi momenti adminiſtrandis prudentiam, optimè de Regina *Eliſabetha* & patriâ meritus, æternis elogiis memorandus. De ſociis alumnisque, qui in juſtam ſocietatem, juxta chartam fundationis, coaleſcerent, eligendis admittendisque erat deliberatum. Non amplum ſtudioſorum numerum primò illic recipi paſſus eſt novellus iſte & incompoſitus Collegii ſtatus, qui ſubinde auctis reditibus, erat augendus. Non plures enim ſocii, quàm quatuor in ipſis initiis admittebantur, qui Philoſophiam, aliaſque liberales Scientias docerent; viz clariſſimi & doctiſſimi viri, *Lucas Challonerus*, *Gulielmus Daniel*, *Jacobus Fullertonus*, & *Jacobus Hamiltonus*, quorum duo poſteriores nuper, ut paulò ante memini, ſcholæ fuerant meritiſſimi Rectores. Cùm verò ad Alumnos ſubſtituendos deventum fuerit, Commiſſarii, penes quos erat harum rerum cura & arbitrium, *Uſſerium* noſtrum admittendum eſſe, illiusque nomen in matricula, certa & fideli rerum geſtarum cuſtode ad ſeram poſteritatem continuanda (a) inter primos inſcribendum maxima cum animorum conſpiratione ſtatuere: quod quidem ab iisdem conſultò factum fuit, tum ut ſe erga Avi materni, qui hoc Collegium exſtrui oportere olim in Comitiis Parlamentariis propoſuit, memoriam, tum erga Patruum, ex cujus indefeſſa diligentia ad auſpicatiſſimam hujus ſancti propoſiti conſummationem non leve acceſſerat momentum, gratos præſtarent, tum ut naſcenti Academiæ novus exſurgeret ſplendor ex tali Alumno, ingenii dotibus longè ſupra ætatem cumulatiſſimo, de quo lætam, eamque firmam ſpem optimæ frugis inde proventuræ ex ejusmodi primitiis primordiisque concepiſſent, quod Deo Opt. Max. vitam prorogante, non ſolius *Hiberniæ*, ſed totius etiam *Europæ*, lumen & ornamentum eſſet evaſurus.

Inter primos alumnos admiſſus *Uſſerius*.

Uſſerius jam ex anguſtis ludi literarii parietibus ad liberiora Collegii ſpatia ſubductus, dum Logices & Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* inſtitutionibus, prout ratio diſciplinæ exigebat, ſub regimine D. *Hamiltoni*, cujus fidei &

(a) V. Epiſtolam D. *Uſſerii* ad *J. Hevelium Londini* Kalend. Novembr. 1650. datam: Epiſt. CCXL. Hoc autem ordine tres alumni primum ſoli admiſſi erant, ut D. *Wæus* in Annalibus ſuis refert, viz. *Abel Walsh*, *Jacobus Uſher*, & *Jacobus Lee*.

& curæ à Parentibus peculiarem in modum erat concreditus, ſedulam navaverit operam, lectioni hiſtoriarum, ad quam potenti naturæ genio, mirè propendebat, horas ſubceſivas impendit. Interim celari neutiquam debet, huic pertinaci ſtudio tum poeſeos, tum chartarum luſoriarum amorem, ſive ex æmulatione ſive ex ſodalium lenociniis ſenſim irrepentem, frigidam ſuffudiſſe: ſed mox recollectis animi viribus, præſtigiatricem iſtam artem, omnemque luſum, quibus utriſque ab utiliſſimis maximique momenti rebus ſerio proſequendis mens planè avertitur, adjutrice divina gratia, penitus excuſſit, nunquam ad ejusmodi ſtudiorum oblectamenta, vel potius impedimenta, poſtea reverſurus. Dum verò præclariſſimam iſtam *Ciceronis* ſententiam, *Neſcire, quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum*, animo ſæpè ſæpiùs volviſſet, illiuſque veritate percepta, aureum illum *Sleidani*, *de quatuor ſummis imperiis*, libellum ingenti cum delectatione legiſſet, ab iſthoc tempore, vitæ ſecuturæ, ſi Deus dederit, curſu, reliquis ſtudiis non inſuper habitis, omnium ſeculorum hiſtorias, tandem aliquando complecti apud ſe conſtituit. Prodigio ſimile videbitur, adoleſcentem præter propter quatuordecim annorum res maximè memorabiles juxta ſeriem temporum ex libris hiſtorici argumenti, quos nanciſci licuit, in facilem ſynopſin contrahere potuiſſe; quæ, licèt vix quicquam accurati & penſi continere rigidis cenſoribus habeatur, & cujus fortaſſè ipſum poſtea puduit, ipſius tamen ſolers & acre ingenium, induſtriam igneumque mentis vigorem, luculento iſthoc documento, quod in iſta ætate neutiquam erat exſpectandum, oſtendit.

In primis literarum tyrocinii lectioni hiſtoriarum addictus.

Creſcentibus annis, vitæ piè juxta S. Scripturarum, quas ſumma reverentia erga iſtum *Librum Librorum*, uti appellare ſolebat, impulſus, aſſidua manu verſavit, normam agendæ, ſtudium quoque pariter crevit: quod ex piorum librorum, & præſertim *Meditationum* S. *Auguſtini*, frequenti lectione aluit; inde occaſione de rebus divinis ſacriſque Religionis Chriſtianæ officiis, quod præcipuum erat, recolendi captata, ut dum cæteri, aut luſibus, aut deambulando ſimul ſe ſe recreaverint, ille ſolus, ſive in avia, ſive juxta ripam fluminis non rarò ſeceſſit, cœleſtium rerum contemplationi intentus, præcipuè verò, pro more ſolenni, nec intermittendo, pridie, antequam ad ſacram ſynaxin accedens, ſacroſancta Euchariſtiæ ſymbola eſſet perceptu-rus.

Summa reverentia erga S. Scripturas accenſus.

Anno

Artium Baccalaureus XVII. ætatis anno in controverſias de dogmatibus Theologicis agitatas inquirere cœperat.

Anno ætatis decimo ſeptimo gradum Baccalaureatûs in Artibus juxta formam ſtatutorum capeſſivit : circa quod tempus & deinceps, haud modica linguarum Græcæ & Hebraïcæ cognitione, priùs acquiſita, de ſententiarum & opinionum, quibus variæ Chriſtianorum ſectæ, in ſacris inter ſe commiſſæ erant, divortiis & diſſidiis mœſtus & ſolicitus, quo melius quale quale judicium, quatenus Veritatis amantem & ſtudioſum in iſta juvenili ætate decuit, libratis rerum momentis, informaret, controverſiarum, quæ tum acerrima cum mentis contentione alterutrinque agitarentur, præcipuæ notæ libros ſtudioſè pervolutavit. Vix quippiam laudis in ſe continere videbatur, communionis Reformatæ, quam amplexus eſt, profeſſionem ſolis natalibus, caſui, primæ educationi, aut præceptis & exemplo aliorum, ſine aliqua exploratione, deberi. Veritas quippe, quo ſeverius examen ſubit, eo magis diligitur, mordicuſque retinebitur, cùm nihil tam certum ſit, quod omnes experiundo fatentur, quam quod ex dubio certum & teſtatiſſimum eſt. Quod quidem *Uſſerio* opportunè & feliciter admodum ceſſit. Ne verò partium ſtudio admiſſiſque præjudiciis ſibi illuſiſſe, aut nimiùm facilè credere, quicquid animo allubuerit, videretur, Romanarum partium maximi nominis Theologos, & præcipuè *Stapletonum* noſtratem, (cujus librum Anglicè editum, inſcriptumque, *Fortalitium fidei inter Anglos primum plantatæ*, plusquam ſemel legebat) conſulere non recuſavit, imò potius prompto animo geſtiebat. Non diu animi dubius hærebat, ſed indies confirmatior factus, veritatis Evangelicæ dogmata contra eorundem ſtrophas certa ſcientia doctoque zelo ex ſacris ſcripturis ſeriaque meditatione inſtructus, pro re nata tueri non ſegniter detrectavit. Cum verò *Stapletonus* iſte veteris Eccleſiæ Chriſtianæ cum hodiernæ Eccleſiæ Romanæ placitis concordiam & conſenſum in Patrum ſcriptis ubivis comparere venditaſſet, intentato noſtris graviſſimo novaturiendi in rebus fidei & doctrinæ reatu, ille ex cauta & ſapienti ſuſpicione veritus, ne jactabundus iſte Patrum, quos ubivis crepat, teſtimonia, aut falſa pro veris ſupponendo, malè citaret, aut in alienum ſenſum detorquendo pejus interpretaretur, omnium *Patrum*, quotquot exſtabant, ſcripta, tandem aliquando accuratè perlegere obfirmato animo ſtatuebat, tam in Doctrinæ Chriſtianæ puritate per continuam ab Apoſtolorum temporibus ſucceſſionem ad Concilium *Tridentinum*, cùm nondum typhus ſecularis & ſuperſtitio in Eccleſiam Occiden-

dentalem fraudibus & tyrannide *Romanorum* Pontificum irrepſiſſent, exploranda, quàm in Hiſtoriis ſacris & profanis, Antiquitatibuſque *Britannicis* inveſtigandis, futuræ vitæ labores & ſtudia per Dei gratiam impenſurus: quod illum optimè feciſſe, ex libris in lucem editis, univerſo orbe Chriſtiano conſentiente, abundè liquet. Sed nolo argumentum hoc intempeſtivè præoccupare, quod commodiori loco tractabitur.

A. MDXCVII. illuſtriſſimus vir, *Robertus*, Comes *Eſſexiæ*, à Regina *Eliſabetha* ad regendam *Hiberniam* ſumma cum poteſtate miſſus, *Dublinium* appulit. Non multò poſt, à primoribus novellæ Academiæ, cujus erat Cancellarius, ſolennibus Comitiis, honoris cauſâ, indictis, invitatus, facilis annuebat, orationibus utpote gratulatoriis, diſputationibus, reliquiſque exercitiis Scholaſticis, prout par erat, excipiendus. Inter cæteros *Uſſerio* provincia quasdam theſes ex interiori Philoſophia petitas defendendi erat demandata, quam multa cum Proregis & illuſtrium Auditorum coronæ laude & applauſu ſuſtinuit & ornavit, inde ob volubilitatem linguæ, ob diſputandi ſubtilitatem, & denique ob ingenii in profunda ſenſuum penetrantis acumen, in majore exiſtimatione habitus. Ad theſes quasdam Philoſophicas, coram Prorege defendendas ſelectus.

In hoc laudatiſſimo ſtadio haud intermiſſis greſſibus procurrentem ſtitit ex improviſo caſus, qui illum à compoſito mentis ſtatu penè dejecit, pectuſque graviſſima ægritudine opplevit. Cùm enim ille clam & ſecretò, non voto quidem ſolenni, ſed firma deſtinatione, quantum ipſi, nondum à Parentis tutela & poteſtate emancipato licuit, ſe Deo & Eccleſiæ addixiſſet, Pater ingenii & induſtriæ illius fama excitus, deque futuris bonis fortunis augendis non parum ſolicitus, de illo in *Angliam* mittendo cogitat, ut ibi legum municipalium, quarum accuratior ſeveriorque cultura opes, honores, & adpromittere & largiri ſolet, ſtudiis, praxique Curiarum incumbens, earumque profunda myſteria ſubtiliſſimoſque apices ſeptennali mora edoctus, in Patriam redux, Patroni & Advocati in Cauſis forenſibus agendis partes majori tum commodo tum fama ſuſtineret. In hoc conflictu, quid agier oportuerit, non adeo proclive erat ſtatuere. Propoſitum ſanè iſtud reluctante animo & averſiſſima aure primò excepit *Uſſerius*: ſed pietas juſſit, ut paternis conſiliis monitiſque, quibus neutiquam erat obſiſtendum, obſequeretur. Ideo ſe itineri *Anglicano*, prout commodum videbitur, accinctum pomptumque fore ſpondet, divina bonitate confiſus, aut Pa- Studio legum municipalium à Parente deſtinatus.

trem mutaturum esse istud consilium, aut res novas, quæ destinatum *istud iter* præcludere possent, inde emersuras. Interim Pater hoc anno viz. MDXCVIII. ultimum diem suum obiit, non sine magno piissimi filii luctu, qui jam invitus licèt, ex hoc peracerbo fato, sui juris factus, post funus elatum, de instituto & professione vitæ non longa aut perplexa deliberatione opus habuit. Jam enim omnibus remotis obstaculis, in numerum sociorum Collegii adscitus est: qua quidem in eruditam istam societatem admissione, in perpetuum, sub æquis conditionibus, duratura, nihil sibi gratius accidere potuit; eò quod jam inde Theologiæ operam navandi, & sacerdotale ministerium præfinito tempore suscipiendum obeundi, quod diu animo infixum habuerat, desiderabilis quædam necessitas illi, ni jure suo cessurus esset, fuerit imposita. Obtigerat paulò antè ipsi jure primogenituræ lauta hæreditas: in qua herciscenda & administranda, cùm sensisset gravissimam istam negotiorum civilium, quibus erat penè obruendus, molem, cum vitæ contemplativæ otio & tranquillitate consistere neutiquam potuisse, liteseque de quapiam parte peculii intricatas, & in foro decidendas, à quibus, si quis unquam, maximè abhorrebat, subinde nascituras re seriò perpensa & cum Amicis communicata, jus suum transcribit in Patruum reliquosque fideicommissarios, ut juxta ultimas Testatoris tabellas matri, fratri, septemque sororibus meliùs commodiùsque provideretur. Ne verò quippiam hac ex parte temerè, imprudenter, & inconsultò feciſse, rigidis censoribus, quasi omnem sui ipsius curam abjecisset, videretur, certam annui reditus in proprios usus, tum ad emendos libros, tum ad alia vitæ commoda, proportionem reservavit.

Sed Patre mortuo, aliud vitæ institutum eligit.

In socium Collegii electus & admissus.

Hæreditatem relictam inter matrem, fratrem & sorores dividit.

Hactenus magnam de se inter amicos & familiares excitavit exspectationem *Usserius*: quæ mox apud omnes cives *Dublinienses* magis magisque crevit, & latè propagata est, ex superveniente hoc, qui sequitur, casu.

A. MDIC, *Henricus Fitz-Simon*, Jesuita *Hibernus* ob spretas violatasque regni leges in pervertendis subditorum mentibus à religione publica auctoritate stabilita, occupatissimus, in arce regia tunc temporis detinebatur. Ille verò utpote vir profusæ loquentiæ & projectæ audaciæ, atroci & immani Ecclesiæ Romanæ placita propugnandi zelo agitatus, inconditis clamoribus & perfricta jactantia quoscunque Reformatæ Communionis Mystas ad disputandum provocavit: se ipse *Urso* assimilans, qui *palo depactus, à canibus exagitari gestiebat.* Istorum tem-

Disputationem cum quodam Jesuita init.

temporum hiſtoriam retexere aut narrationem iſtam de hiſce velitationibus, in Epiſtola dedicatoria ad *Claudium Aquavivam*, aut in præfatione ante Librum, qui, *Britannomachia Miniſtrorum in plerisque & fidei fundamentis & fidei articulis diſſidentium*, poſt quatuordecim annos *editus inſcribitur, ab ipſo conſcriptam, ineptulis cavillationibus, calidis mendaciis, putidisque convitiis in viros clariſſimos, quos Antagoniſtas habuit, effuſis, in examen revocare, utpote omninò præter hujuſce commentationis, quam aggreſſus ſum, inſtitutum, neque libet, neque convenit. Ea ſola, quæ de *Uſſerio* noſtro, nomine licèt celato, promit, hîc integra, appoſitis quidem breviculis ſtricturis cenſuriſque exhibebo.

* *Duaci* in 4. 1614.

Prodiit quidem ſemel in ſumma vocis vultusque trepidatione, octodenarius præcocis ſapientiæ (non tamen malæ, ut videbatur, indolis) juvenis, neſcio, an auræ popularis cupidior, ſaltem de abſtruſiſſimis rebus Theologicis, cùm adhuc Philoſophica ſtudia non eſſet emenſus, nec ephebis egreſſus, diſputandi avidus. Hunc autem juſſi ſuorum calculos adferre, quibus pugil ſeu agoniſta idoneus renunciaretur, & vel cum ipſo diſputationem me inituram. Sed ſicut ipſi eum minimè tanto honore dignati ſunt, ita me viciſſim ſua deinceps præſentia dignatus ipſe non fuit. Ita ille, qui in multis corrigendus eſt. Sic enim res iſta ſe habet.

Cum duo treſve è noſtris Theologi, & ætate & dignitatibus Eccleſiaſticis venerabiles, quos ille pro modeſtia ſua *Pſeudo decanos* nuncupat, experti primo congreſſu, ex iſtiusmodi tumultuariis altercationibus cum loquaciſſimo Sophiſta habitis aut habendis, non quaſi illi certamen hoc inire, quod ille perabſurdè fingit, præ metu detrectaſſent, vix quicquam commodi fructusve percipi potuiſſe, illius inſaniam caſtigare, calumniaſque refellere apologiis publici juris factis, maluiſſent, in arenam deſcendit *Uſſerius*, juvenis novemdecim annorum, non ſibi fidens placensve, non δίκαιοι σοφίας aut vanæ apud Populares ſuos captandæ gloriæ cupidus, ſed ſolo Veritatis amore, quo totus ardebat, exſtimulatus, cum iſthoc *Thraſone* manum conſerturus. Quo conſpecto, faſtu excandeſcens, præ indignatione infrenduit *Simonides*, exprobrataque illi recenti juventa, contemptim *Puerum* appellavit: licèt illo non pluribus quam undecim aut duodecim annis natu prior fuerit. Sic eadem impotenti ira contumelioſisque dicteriis puſillum *Davidem*, fortaſſis non majoris ætatis, laceſſivit *Philiſthæorum*, qui, *Iſraelis* agminibus exprobravit, pugil. Sed hunc *Puerum* in hac pugna non terga vertentem,

non ſegnem, aut meticuloſum invenit Adverſarius, ſed acrem, ictibusque repetitis inſiſtentem, ſed intrepidum bellatorem, cauſam religionis, pari tamen modeſtia & vocis moderatione ac lenitate, propugnantem, quam ille *ſummam vocis vultuſque trepidationem, invere-cundè & perverſiſſimè* interpretatus eſt. Illius autem arbitrio reliquit, de quibuscunque controverſis Theologiæ articulis, prout à *Bellarmino* erant diſpoſiti, vel qualicunque methodo, ad omnem confuſionem, quæ aliter eſſet oritura, amoliendam, diſputationes futuras inſtituere, ut de veritate illorum, in quam partem ſe inclinaverit, Auditoribus, qui intererant, aut intereſſe diſcuperent, meliùs & dilucidiùs conſtaret. Inter utroſque primò concordatum fuerat, ut concertationes iſtæ à dogmate de *Antichriſto* inchoarentur, ſemel ſingulis ſeptimanis ex pacto repetendæ. Sed finita primâ, Jeſuita, qui exindè triumphos ſibi ab Agonothetis decerni animo priùs concepiſſet, metuens, uti conjecturam facere videtur, de illo potius triumphandum eſſe, longas moras nectit. Ideo *Uſſerius* literis, (utpote quarum apographum apud ſe reſervaverat) quæ miram prorſusque ingenuam pietatem totæ ſpirant, ad illum ſcriptis, improperium de ipſius *pueritia* impactum diluit, ſe nullam juſtam inde occaſionem, cur hac de cauſa tantopere faſtidiretur, dediſſe, exemplo *Davidis* cum *Goliatho* pugnaturi, non ſuis viribus fretum, *veniſſe in nomine Domini, qui ex ore infantium & lactentium propter inimicos ipſius perficere laudem interdum ſolet*: cùm nullas ab illo, prout diſcedenti ſpoponderat, literas hactenus accepiſſet, jam cupere certiorem fieri, an collationem promiſſam ſuſceptamque renovare vellet: ſin minus, quicquid hucusque alterutrinque geſtum fuerit, publici juris fieri oportere. *Simonides* verò jam conſcius, quod audaciſſimis, iiſque crebrò repetitis, provocationibus, ſibi nodos haud facilè explicabiles innexuiſſet, à reſpondendo prorſus abſtinuit, & quaſi ſaucius à vulnere, nuper inflicto, ab omni futuro certamine ſe ſubducens, non amplius in ſcenam prodire voluit: ne verò à cauſa cadere, aut propriæ exiſtimationi apud ſuos defuiſſe videretur, *ſe*, propoſita, quam ſupra retuli, conditione, *& cum illo*, h. e. puero, *diſputationem initurum*, & quidem falſò, obtendit. Quod planè merum erat ἀρνοφύγετον, non enim opus erat alienis calculis, quod ſubdolè poſtulavit, ut cum minori infamia ex naſſa, in quam temerariis ſuis auſibus, incidiſſet, elaberetur, quibus *Agoniſta idoneus renunciaretur*. Ipſe enim vires illius expertus fuerat, & ſi huic congreſſui omninò impar eſſet faciliorem de

Puero

Puero reportaſſet victoriam. Sententiam de *Uſſerio* hactenus in pectore ſuppreſſam diſſimulatamque, ſequentibus annis, vi Veritatis victus, clarè protulit, & *Acatholicorum doctiſſimum* faſſus eſt. Hinc de iſtius elogii ipſi à *Philippo Alegambe*, nimis hac ex parte credulo, *in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu* adſcripti falſitate cuivis candido Lectore judicare licebit, *quod ad certamen provocatus à quopiam inter ipſos doctiſſimo, cum condixiſſet diem, obtinere non potuit, ut tandem prodiret, ad pugnam glorioſus provocator.*

A. MDC. Lauream Magiſtri in Artibus adipiſcitur, & poſt aliquot annos, benè aucto ſtudioſorum, ex omnibus regni provinciis *Dublinium* ad capiendos ingenii fructus confluentium, numero, fit, juxta diſciplinam regimenque in *Anglia* inſtitutum, primus Academiæ Procurator. Cujus muneris adminiſtrati, (a) ipſe ad ſupremum dignitatis Eccleſiaſticæ in *Hibernia* culmen evectus, non ſine ingenti lætitiæ & voluptatis ſenſu meminiſſe viſus eſt.

Laurea magiſtrali inſignitus. Primus iſtius, Academiæ Procurator.

Ineunte novo ſeculo, priusquam viceſimum ætatis annum exceſſiſſet, à Primoribus Collegii, è quorum arbitrio totius diſciplinæ & regiminis diſpoſitio & ratio pendebat, *Uſſerio* catechiſandi ſive juniores Academicos in doctrina & fide Chriſtiana inſtituendi munus, quod aliter præ humili de ſe opinione recuſaviſſet, erat impoſitum: quo, ut majori cum Auditorum utilitate defungi poſſet, præcipuos ſacræ Theologiæ articulos, juxta cummunes locos, pro more iſtorum temporum, ſingulis ſeptimanis in ſacello explicavit. Ita olim (b) *Origenes* ob exquiſitam in ſacris ſcripturis peritiam mirabilemque judicii in ipſa viridi juventa ſagacitatem, utpotè planè octodenarius in ſchola *Alexandrina*, eidem ſacro Catechumenos inſtruendi officio ex mandato *Demetrii*, iſtius ſedis Epiſcopi, admovebatur. Ex hiſce Theologicis prælectionibus, uti ex privatis colloquiis, liquidò conſtabat, *Uſſerio*, præter ſolidam rerum ſacrarum divinarumque intelligentiam & ſenſum, tantam copiam ordinatamque verborum ſtructuram, & facilem expeditumque dicendi uſum ſuppetiiſſe, ut aliqui ex amicis judicaverint, illum valdè idoneum eſſe, qui conſcenſis roſtris, in ſacris cœtibus verba haberet: quorum tamen ſuaſibus neutiquam cedens, in publicum pertrahi nolebat. Sed novis argumentis, quibus erat expugnandus, propoſitis, ſuperiorum voluntati & juſſi-

Anno MDCI. catechiſandi munus in Collegio obit ſuſtinetque.

(a) Vide Epiſtolam ad Archiep. *Laudum* in *Sylloge*. pag. 459.

(b) Ἔτος δ' ἤγαγεν ὁλοκληρίαν τοῦ τριακοστοῦ ἔτους ἤδη τῆς κατηχήσεως τρόπον διδάσκαλος, *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. lib VI. cap. 3.

bus non amplius obſiſtere auſus eſt. Illis enim quantum utilitatis in univerſam Eccleſiam *Hibernicam*, imò in rem Chriſtianam, in omne ævum, ex novæ Academiæ fundatione redundaturum eſſet, hoc tempeſtivo, ne dicam, præmaturo ſpecimine, quaſi in anteceſſum demonſtrare, è re ſua fore viſum eſt. Tres igitur Juvenes, magiſtrali laurea inſigniti, iique pietatis, ingenii, & doctrinæ fama inſignes, ſelecti erant, qui coram Prorege, aut, illo abſente coram Juſtitiariis Conſiliariisque Regiis, (quos Anglicè vocant *the ſtate*) ſubinde concionarentur, viz. *Uſſerius* noſter, *Abel Walshius*, (*Valeſius*) & *Joannes Richardſonus*: quorum ſingulis diſtinctæ partes fuerant demandatæ. *Richardſoni* erat die Mercurii, quasdam pericopas Prophetiæ *Iſaiæ*, juxta ſeriem capitum, quoad literalem ſpiritualemque ſenſum, interpretari, & corollaria inde deducta ad vitæ praxin applicare: de quo pauca hæc referre oportet; quod inter inſigniſſimos ſacræ Theologiæ Academiæ *Dublinienſis* Doctores non mediocrem obtinuerit locum, & tandem ſanctitatis, eruditionis, & ſapientiæ meritò ad Epiſcopatum *Ardachenſem* fuerit promotus. Flagrante impia & cruenta *Hibernorum* rebellione, perfugium in *Anglia* quæſivit, & invenit, ibique A. MDCLIV. ſenio confectus, naturæ conceſſit. Vir ſanè longè doctiſſimus, & in abditis ſcripturarum ſenſibus eruendis, inque ſacra (a) Chronologia verſatiſſimus: quod præclariſſimæ illius ſelectæ obſervationes & explanationes in V. Teſtamentum, & præſertim in librum *Geneſeos* Annotationes, paulò poſt ipſius mortem, *Londini*, MDCLV. *Folio*, inſcriptæ D. *Uſſerio*: cujus literas ad edendum iſtud opus hortatorias, quaſi in auctoramentum præmiſerat vir modeſtiſſimus, faciunt teſtatiſſimum. *Valeſius*, qui poſtea doctoratu in facultate Theologica auctus erat, ſumma quæque Theologiæ capita, è ſcripturis ſacris & ex divinæ illius ſcientiæ fontibus diebus Dominicis tempore antemeridiano expoſuit & explicavit. *Uſſerius* verò, poſt confirmatam dogmatum religionis in articulis doctrinæ & fidei Eccleſiæ *Anglicanæ*, legibus ſtabilitæ, veritatem, & errores ſuperſtitionesque *Romanenſium*, ſequioribus ſeculis introductas, redarguebat, ſalutaribus verèque Chriſtianis monitis, quibus omnes, quotquot intereſſent, non ſolum in ſancta fide

Ille duoque alii, ut publico munere concionatorio fungerentur ſelecti. Hi autem erant *Walſhius & Richardſonus.*

(a) D. *Uſſerius* in altera *Annalium* parte, editionis *Pariſienſis* 1673. pag. 620. *Publici Chriſti miniſterii Acta per quatuor Paſchata diſtincta ex quatuor Evangeliorum harmonia hic exhibemus, à Viro eruditiſſimo & in Sacrarum literarum ſtudiis longè exercitatiſſimo*, Joanne Richardſono, *S. Theologiæ Doctore*, & Ardachadenſis *in provincia noſtra* Armachana, *Eccleſiæ Epiſcopo digniſſimo concinnata.*

fide magis magisque inſtructi, ſed meliores, & vita & moribus ſanctiores redderentur, in coronide additis. Sed non multò poſt, mentem valdè dubiam perplexamque habuit, an ipſe hanc neceſſariam ſacri Miniſterii partem diutiùs obire ſalva conſcientia potuerit nec ne: ut pote cùm nondum ob defectum legitimæ ætatis ex rigore canonum fuiſſet ſacris ordinibus initiatus. Parum conducebat dixiſſe illud per modum *probationis & exercitationis*, ſive experiendi tum mentis tum corporis vires cauſa, factu licitum reddi. Ut ergo ſcrupulus iſte, quo diſtinebatur, animo penitus eximeretur, dispenſatione, quam iidem canones caſibus extraordinariis, quando nimirum defectus iſte reliquis omnibus dotibus requiſitis abundè ſuppletur, indulgere ſolent, facilè in ipſius gratiam impetrata, à Patruo, reverendiſſimo *Henrico* Archiepiſcopo *Armachano*, eodem tempore & ad Diaconatum & Presbyteratum, Dominica ante feſtam Natalis *Chriſti* *, tunc ſolenni juxta inſtitutum Eccleſiæ ordinatione facta promovetur.

Uſſerius Diaconus & Presbyter ordinatus.

Hoc Apoſtolico auctoramento munitus, & quaſi cœleſti vigore animatus, ad ſacrum iſtud opus, paulò intermiſſum, ſe alacriùs fortiùsque accingit, lucrandis *Chriſto* animabus, & Veritati Evangelicæ inter gentiles ſuos, avitæ ſuperſtitionis præjudiciis miſerè deluſos & occæcatos, propagandæ, ſi quis unquam, impendiò intentus. Ab hoc tempore, & deinceps, per univerſum vitæ curriculum, ut illud, licèt loco & tempore non ſuo, aſſumpta prolepſi, referam, quamlibet concionandi occaſionem, ſæpe non rogatus, captavit: quo frequenti & aſſiduo uſu poſthac ingentem argumentorum vim, quæ, tum ad ſuadendum morigeris, tum ad revincendos refractarios ab Oratoribus adhiberi ſolent, prout inſtituendorum intellectus lumine, ut vitæ Chriſtianæ officia clarè percipiat, aut conſcientia ſtimulis, ut ea præſtet, indigere videatur, venuſtatemque & facilitatem pronuntiandi, vehementi ardore commixtam, ſibi comparavit. Hac autem facultate prædicandi, ſive *Charismate*, ut quibusdam placet, ſi tamen hoc ævo ita appellandum ſit, quod, divina gratia adjuvante, induſtria, ſtudio, ſolertia mentis, arte, methodo, tenacique memoria acquiritur, utendi, illudque in commune bonum impendendi mox juſtiſſima dabatur opportunitas.

* Anno MDCI.

Ab iſthoc tempore frequens & diligentiſſimus Concionator.

Vergente ad finem hoc anno, exardeſcebat in *Hibernia* fœda rebellio, quam quidam Dynaſtæ Romanæ Religionis, clientelis & opibus præpotentes, arctiſſimo fœdere coeuntes; numeroſo milite conſcripto, conciverant, qui, militaribus copiis ex *Hiſpania* ſubmiſſis, *Kinſaliam*, aliaque fini-

Quorundam Procerum *Hibernorum*, opitulantibus *Hiſpanis* rebellio.

finitima munimenta, ope & proditione civium, occupantibus elati, *Hiberniam* ex *Anglorum* imperio eripiendi altas ſpes in pectoribus aluere, & de univerſa ſuorum defectione, rebus tunc in præcipiti ſtantibus, mox ſecutura, mirificè ſibi complacuere, & blanditi ſunt. Sed aliquanto poſt tempore, prudentia & fortitudine D. *Caroli Blunti*, Baronis *de Montjoy*, Proregis, rebellium vires erant proſtratæ, ac *Hiſpani* profligati, qui ad deditionem adacti, non minori militum cæde ac ignominia, pactis conditionibus, *Anglicis* navibus revecti ex inſula diſceſſerunt. Fortaſſe memoratu non indignum videbitur, eo ipſo die, viz. XXIV. Decembris, quo prælium iſtud commiſſum erat, *Uſſerium*, quintiduo, poſtquam ritè ordinatus fuiſſet Presbyter, coram illuſtriſſimis Conſiliariis tunc ad ſupplicandum Deo pro felici iſtius expeditionis exitu ſolennem in modum congregatis, in prima verba Epiſtolæ ad Angelum Eccleſiæ *Sardenſis Apocal. III.* I. directæ: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es*, peroraſſe.

Ex hac inſigni victoria opportunè reportata, poſt pauculas concuſſiones, quæ citò evanuere, tranquillitas *Hiberniæ*, utpote Ductoribus & Anteſignanis rebellium, aut ſolum vertentibus, aut ſe ad ſylvas, paludes, aliaque latibula præcipiti fuga recipientibus, aut depoſitis armis, agnito ſcelere, miſericordiam implorantibus, tota pendere videbatur: ſed ne exitiale hoc malum ex inſano Romanæ ſuperſtitionis, quam gens obſtinatiſſima, & hac de cauſa, ad ſeditiones & tumultus nimium proclivis, ſuis licèt juribus & poſſeſſionibus ſub æquiſſimarum legum moderatione & patrocinio ſecurè gaudens, & ab omni injuria & exactione, pariter ac *Angli*, ſive indigenæ, ſive advenæ libera & communis, mordicus amplexa eſt, retinuitque, ortum, denuo recandeſceret, maximè erat providendum. Cui penitus exſcindendo non aliam aut aptiorem aut commodiorem methodum, excogitari potuiſſe, ſeriò rem perpendenti facilè liquebat, quam ut *Hiberni*, ſacrarum Scripturarum penitus rudes, in doctrinæ Chriſtianæ capitibus articulisque, quatenus in Eccleſia Reformata *Anglicana* & *Hibernica*, à qua ex ſola ignoratione tantoperè aufugiſſent, exhibetur aſſerturque, accuratiùs quidem erudirentur. Proinde ſtatutum, quo ſinguli ſuas parochiales Eccleſias adire, & publicis precibus & concionibus, diebus Dominicis feſtisque intereſſe, ſub pœna pecuniaria, quotieſcunque abfuerint, exigenda, tenentur, quod in deſuetudinem abiiſſet, in uſum revocatur: Deputantur Eccleſiis, per varias Urbis regiones ſparſis, idonei viri, quisque in propria

Conſiliarii Regii de erudiendis *Hibernis* in articulis religionis ſoliciti, jubent, ut precibus publicis & concionibus interſint.

pria ſtatione defixus, qui hiſce ſacris muniis obeundis incumberent; remque iſtam peculiarem in modum urgerent. Eccleſia S. *Catharinæ* dicata *Uſſerio* quaſi ſortitò obtigebat, qui methodum prius inchoatam, quam ſupra memoravi, repetiit, quam cæteri ſymmyſtæ pro virili proſequi deberent. Præcipua uniuscujuſque concionis capita & argumenta mox brevi verborum ſumma, ut memoriæ tenaciùs infigerentur, in quæſtiones & reſponſiones digeſſit, in quorum exploranda fide & veritate quosdam adultioris ætatis ſe ſiſti ſequente Dominica examinandos, non ſine maximo adſtantium fructu, neutiquam pudebat.

Methodus qua in hoc ſacro concionandi ad populum munere obeundo uſus eſt *Uſſerius*.

Ab hiſce autem rudimentis origo prolixi, inque magnam molem excreſcentis, Catechiſmi uſibus familiæ ſuæ primò deſtinati, qui poſtea alienis, ne dicam heterodoxis, additamentis ſuffertus, ſub illius nomine, ipſo prorſus invito & reclamante, comparuit, arceſſenda videtur; de quo deinceps erit opportunior dicendi locus. *Hiberni* plerique omnes, ſive ſincera, ſive ſubdola mente conciones iſtas frequentabant, quorum aliqui, argumentis convicti, relicta *Romana*, in communionem Eccleſiæ *Anglicanæ* tandem tranſibant, & ab hiſce operariis larga bonæ frugis meſſis foret exſpectanda, niſi zizania inimicus homo clam ſuperſeminaſſet. Nulla certè gens in Chriſtiano Orbe magis, quàm *Hiberna*, pendet ab ore & arbitrio Sacerdotum, qui in illorum conſcientias planè deſpoticum exercent dominium. Horum enim technis & Optimatum, qui politicis rationibus inducti, in legibus exequendis, ſegnes & remiſſi erant, lenitati meritò adſcribendum eſt, quod poſt hanc illuminationem, mentibus illorum ex aſſiduis prædicationibus documentisque inditam, in priſtinam pertinaciam & ſuperſtitionem prolapſi ſint: unde audaciores facti, cùm id ſibi impunè licere viderint, A. MDCII. conniventibus magiſtratibus, & mulctæ ſubeundæ metu, ex poteſtate *Curiæ excelſæ Commiſſionis*, ſi non ſopita, ſaltem pro tempore ſuſpenſa, adempto, à ſacris cœtibus publicis prorſus abſtinuêre. Hoc maximè doluit diſplicuitque viris Eccleſiaſtici ordinis, & præſertim *Uſſerio*, qui in illuſtriſſimo regni Auditorio de hac indulgentia coram publicè queri auſus eſt: ſi quippiam ex juvenili impetu, ut ut ſanctiſſimo prolatum propoſito, ipſi temerè excidiſſet, non illud haberem excuſatum. Sanè non iſti ætati conveniebat, (quod poſtea inſulâ ſacrâ ornatus auctoratusque, ſimili in caſu, ſuo aliorumque Præſulum nomine meliore jure fecit) ea mala, quæ inde oritura eſſe metuerat,

Hiberni ad priſtinam ſuperſtitionem relabuntur technis Sacerdotum retracti, & ex nimia magiſtratuum indulgentia.

In quam acerrimè invehitur *Uſſerius*.

tuerat, coram iis, penes quos erat ſumma rerum adminiſtratio, & de quorum fide & diligentia Religionem ab omni ſive labe ſive periculo integram conſervandi vel leviusculè ſuſpicari nefas foret, exagitare, aut verba, quæ in viſione *Ezechielis* de *Hieroſolymorum* Gentiſque *Judæorum* excidio occurrunt, viz. cap. IV. 6. *Et cùm compleveris hæc, dormies ſuper latus tzum dextrum ſecundò, & aſſumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*, ad iſtorum temporum ſtatum referre: addito hoc epiphonemate: *Ab hoc anno peccatum* Hiberniæ *numerando deducam: ita ut ii, quos jam amplectimini, in vos perniciem illaturi ſint; Vos hanc iniquitatem portabitis:* quaſi, quod quibuſdam credulæ parumque attentæ mentis olim viſum fuit, horrendam iſtam ſtragem, quæ univerſam *Hiberniam* inundaverat, poſt quadraginta annorum ab iſta epocha numerandorum terminum expletum, obventuram eſſe, ſpiritu Prophetico impulſus, prædixiſſet. Ita aliqui, quorum temerariam ineptamque credulitatem hîc jam non exagitabo, ſenſiſſe videntur. Non hîc ſenſum verborum divini Vatis, aut literalem aut myſticum, rimari, multò minus temporum minutias excutere inque examen revocare libet. Judicent alii prout libet. Ipſe autem *Uſſerium* ex hiſce calculis, ſive rectè, ſive perperàm collectis, *Prophetam* non cenſebo: nec credo unquam illi in mentem veniſſe, ſe, quaſi divino ſpiritu afflatus hæc Dei nomine prænuntiaſſet, hoc ſacro titulo futuris temporibus dignandum eſſe. Non poſſum, quin hîc addam, ſapientes, regnante R. *Carolo* I. ex irrequietis populorum tum *Angliæ* tum *Scotiæ* mentibus, quas fraudum Architecti ſubdolis maligniſque artibus agitarunt, ſparſis ubique in optimum Principem piiſſimoſque Epiſcopos, tanquam legum religioniſque everſores, calumniis, de *Scoticana* & *Anglicana* rebellionibus, longè antequam erupiſſent, quæ cladem iſtam *Hibernicam* paulò antè præceſſerant, penè certò ominari potuiſſe: neque tamen quispiam prudens ejusmodi ominationes & conjecturas in cenſum *Prophetiarum* referri debere audacter præſtabit. Neſcio, annon paucis annis elapſis, vafri & ſeditioſi homines, qui rebus novis tunc maximè ſtuderent, credulæ plebi fucum faciendi anſam hinc arripuerint, ſuppoſito altero *Uſſerii*, cùm ex hac vita eſſet emigraturus, de noſtrorum temporum calamitatibus vaticinio: quod per univerſam *Angliam*, ſcheda typis expreſſa, ſpargi iidem curabant, ut mentes hominum, impendentium malorum metu diſtractas, ſibi

ſibi fortiùs addicere poſſent : ſed ulcus hoc tangere jam non licet.

Hibernia pacata à funeſti belli, quo diu exercita fuiſſet, cladibus ſeliciter admodum emerſis, & novo cum ſeculo novus ordo naturæ renaſci, novaque rerum facies ſplendeſcere cœperat. Jus enim per provincias erat æquiſſimè adminiſtratum; Vice-comites publicæ paci conſervandæ ubilibet admoti; latrocinia repreſſa, concordia inter *Anglos*, novos veteresque, & *Hibernos* mitioris ingenii (ſylveſtres enim in ſaltibus paludibusque, tanquam in latibulis vix inveſtigabilibus abditi, ferino ritu victitantes, ab omni humanitatis cultu adhucdum abhorruerunt) inſtaurata, &, ſi per ingratiſſimorum hominum perfidiam licuiſſet, æternum duratura; ingens rerum venalium ad neceſſarios vitæ uſus & delectationem copia aliunde advecta; artes mechanicæ in uſu & pretio habitæ; agricolationeſque in locis neglectis, aliterque incolarum ignavia ad perpetuam ſterilitatem damnatis, novis, iiſque induſtriis colonis introductis, adauctæ. Rebus ità auſpicatò geſtis ſtabilitisque, Ductores exercitus *Anglicani*, quorum fide & vigilantia atrox iſtud bellum ſopitum fuerit, prædiis penſionibusque, gregarios etiam milites ſtipendiis ſolutis ac donativis ſapientiſſima Regina, & optima meritorum remuneratrix, cumulavit. Illi verò, tum ut ſe divinæ benignitatis, ſub cujus tutela, per tot incertos periculoſosque bellorum caſus, tandem victores evaſerint, memores oſtenderent, tum ut perennem amoris ſui erga bonas literas, fœdæ ſuperſtitionis, quæ ex ignorantia & barbarie oriri ſolet, expugnatrices, apud omnem poſteritatem memoriam relinquerent, incertum, quorum conſilio inducti, ex pecuniis ſibi debitis partem quiſque nimirum pro rata proportione deducendam eſſe unanimi conſenſu certatim voluere, ſummamque, ad mille octingentas libras ſterlingicas excreſcentem, Academiæ *Dublinienſi* dono dederunt, ut in augenda Bibliotheca publica, vix ſatis tunc temporis iſthoc nomine digna, inque libris omne genus in perpetuum Studioſorum uſum coemendis impenderentur. Ad haſce verò pretioſas merces comparandas, V. Cl. *Lucas Challonerus* S. T. D. & *Uſſerius* A. M. DCIII. in *Angliam* literarum ſtudiis, & magnorum Theologorum copia tunc maximè florentem, mittuntur. Hic verò negotium iſtud, à Superioribus injunctum commiſſumque, tanquam ſacrum, læto & prompto animo ſuscepit : quod juſtis de cauſis credidit, tam ſibi ex familiari cum viris doctis converſatione, inſpectisque MSS. codicibus,

Pacificus *Hiberniæ* ſtatus ineunte ſuperiori ſeculo.

Prima Bibliothecæ in Academia *Dublinienſi* occaſio.

Uſſerii primum in *Angliam* iter.

tum in Bibliothecis publicis, tum apud quosdam Nobiles ejusmodi cimeliorum poſſeſſores, quàm patriæ, invectis melioris notæ & perpetui uſus omnium facultatum omniumque linguarum libris, fore utiliſſimum. Quo tempore *Londinum* appulere, D. *Thomas Bodleius*, Eques Auratus, in coemendis quoque libris, quotquot ab ipſis typographiæ incunabulis aut domi, aut in exteris Regionibus ab inſtaurata, poſt depulſam Scholaſticorum barbariem, humaniori literatura, typis exſcriberentur, erat occupatiſſimus. Ille enim Vir optimus & omni, qualicunque aut quantocunque elogio ſuperior majorque, magna animo molitus, & quæ vires hominis privatæ ſortis ac conditionis longè ſupergredi viderentur, Bibliothecam publicam *Oxonienſem* miſerè collapſam reficere, vel potius denuò condere dudum apud ſe conſtituerat longa maximèque ſeria deliberatione edoctus, opes, quibus clementiſſimus Deus illum cumulaſſet, ſive jure hæreditario à majoribus derivatas, ſive ex muneribus publicis legationibusque acquiſitas, in commune totius Gentis commodum, non meliùs, quàm in bonis literis in omne ævum propagandis impendi potuiſſe. Hoc verò erat multorum annorum opus & indefeſſam exigebat induſtriam, pariter ac munificentiam, quæ pari paſſu ſimul incedentes, nunquam ſe deſtituêre. Nullis enim laboribus, ſumptibus nullis parcens, ſupellectilem librariam undique per omnes cultioris *Europæ* plagas ſapienti delectu conquiſivit, ut in ſuo gazophylacio reponeretur, fundis quoque relictis, quibus, præter penſiones annuas, Cuſtodi illiusque Aſſiſtentibus aſſignatas, novorum librorum acceſſione augeretur in perpetuum. Huic Heroi (ſic enim jure merito appellandus eſt *Bodleius*) innotuiſſe non parùm cedebat *Uſſerio*, tum viginti trium annorum juveni, cujus monitis conſiliisque res iſta, ut credi par eſt, pro qua conſummanda huc veniſſet, ad feliciorem, maturioremque promoveretur exitum.

Bodleius Bibliothecæ publicæ *Oxonienſis* fundator.

Rediit in *Hiberniam Uſſerius*, multiplici, eaque accurata, librorum cognitione inſtructus, quibus legendis perpendendisque ita invigilavit, ut ne horas quidem ſubſecivas inerti otio evaneſcere & elabi paſſus fuerit. Deinde, quod prius, ut ſupra dixi, propoſuerat, ad lectionem ſanctorum Patrum juxta ſeculorum, quibus floruere, ſeriem, h. e. ab primis naſcentis Eccleſiæ initiis ad usque mediæ ætatis, imò & ſequioris, ſi quicquam bonæ frugis in ſe haberent, Scriptores, putà *Petrum Lombardum*, *Thomam Aquinatem*, aliosque iſtius rixoſæ Theologiæ Anteſignanos, qui in *Sententias Summaſque* Commentarios & diſputationes

tiones edidere, pia ſeriaque mente ſe accinxit: interpoſitis tamen, quaſi laxamenti remiſſionisque animi vice, Hiſtoriæ & Antiquitatis omnigenæ ſtudiis: quod penſum, laborioſum quidem & planè *Herculeum*, tandem octodecim annorum curriculo abſolvit.

Triennio propemodùm elapſo, (ut conjectura vero perquam ſimili inducor, ut credam) *Angliam* repetiit *Uſſerius*, ſtudiorum cauſa, & ardentiſſimo *Britannicæ* Hiſtoriæ, tam civilis quàm Eccleſiaſticæ, è manu exaratis codicibus membraniſque, illic ſolummodò reperiendis, eruendæ amore incitatus. Hic verò cum celeberrimis Antiquariis, D. *Roberto Cottono*, *Gulielmo Camdeno*, & *Thoma Alleno Oxonienſi*, arctam, quam ſola mors diſſolvere poterat, inibat amicitiam, cui theſauros ſuos literarios apertos voluere, Bibliothecarum item Academiæ *Oxonienſis* & *Cantabrigienſis* forulos tanta ſedulitate, quantam breviculæ moræ intervalla fore paterentur, excuſſit, ut nihil penè illius induſtriæ ac ſagacitati impervium, illiusve oculis penetrantibus & curioſis quaſi in exploratum haberetur. Diſceſſurus autem in patriam apud iſtos tres viros præſtantiſſimos, aliosque acerrimos Judices magnum ſui deſiderium bonamque exiſtimationem reliquit: utpote de quo certiſſimam maximorum in *Britannicis* Antiquitatibus indagandis progreſſuum ſpem conceperint. *Camdenus* ſanè illo tempore de nova *Britanniæ* ſuæ editione adornanda admodùm ſolicitus, illum de *Ninio*, veteri Scriptore *Britannico*, edendo, de S. *Patricio*, & *Congallo*, aliisque rebus ad veterem *Hiberniæ* ſtatum & civitatem *Dublinienſem* ſpectantibus conſuluit, cui literas eruditiſſimas non minori judicio, quàm accuratione, compoſitas, quas ipſe (a) olim in *Epiſtolarum Camdeniarum Sylloge* publici juris feci, Octobris die triceſimo recripſit. Hæ verò iſti ſummo viro ita mirè placuerunt, ut earundem non modicam partem (b) in ſuum immortale opus, in deſcriptione *Dublinii* transferri curaverit: præclaro hoc magnificoque elogio inſuper adjecto: *Hæc de* Dublinio, *quorum plurima diligentiæ & doctrinæ* Jacobi Usheri, *Cancellarii Eccleſiæ S.* Patricii, *qui annos varia doctrina & judicio longè ſuperat, me debere agnoſco.*

Uſſerii alterum in *Angliam* iter: ubi arctam cum *Cottono*, *Camdeno* & *Alleno* init amicitiam.

Cùm gradus Academici, qui ſtudioſorum mentibus honeſtam æmulationem ſolent infundere, in ſtimulos induſtriæ præmiumque doctrinæ à ſapientiſſimis Fundatoribus inſtituantur, ne ſtatutis Collegii, ne ſibi, famæque ſuæ, deeſſe videretur *Uſſerius* A. C. MDCVII. primam in Theologia

Uſſerius S. Theologiæ Baccalaureus.

(a) *Londini*, A. 1691. *Epiſt.* LXI. pag. 76.
(b) *Camdeni Britannia*, Londini 1607. *folio.* pag. 752.

logia lauream ambibat, quam, præſtitis pro more ſuo perquam laudabili exercitiis, facilè adeptus eſt. *Uſſerius* ſorte ſua privata abundè contentus, otioque non ignobili, quo fruebatur in Collegio felix, ab omni ambitione opumque cupiditate vacuus, in Muſeo totus quaſi defigebatur; non opima ſacerdotia prenſavit, neque Magnatum atria frequenti itatione trivit, illorum gratiam & favorem aucupaturus, ut in alta ſede collocaretur. Hoc ſolum egit, hoc illi maximè curæ fuit, ut, ſi quando aliqua dignitate Eccleſiaſtica dignandus eſſet, ſe iſti ſuſtinendæ & ornandæ non imparem, aut inidoneum reipſa oſtenderet redderetque. Sed inſignem iſtam eruditionem, tanta cum pietate & modeſtia conditam, non diutiùs inhonoratam fore, aut à publico conſpectu celatum iri ſinens reverendiſſimus Vir, D. *Adamus Loftuſius*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, ſub cujus auspiciis oculisque *Uſſerii* fama magis magisque jam ferè per quatuordecim annos ſurrexerat, illum Cathedralis Eccleſiæ S. *Patricii* in ſua civitate metropolitica Cancellariatu hoc anno donavit. Hæc verò dignitas, cui opulenti reditus annectuntur, ita *Uſſerio* complacuit, ut, quaſi ſummis votis reſpondiſſet, nihil haberet ultrà aut optandum aut expetendum: cujusque erat per plures annos, uſquedum ad Epiſcopatum *Midenſem* promoveretur, retinentiſſimus, non alio excelſiori, ſive Archidiaconi, ſive Decani titulo affectato aut captato. Veruntamen cùm maxima pars iſtorum redituum ex prædiis decimisque *Finglaſſiæ*, quod oppidum eſt à *Dublinio* unico milliari diſſitum, accreverit, ſe vicaria opera, legibus indulta, quam poſtea annua penſione in omne ævum continuanda honeſtavit auxitque, utentem, vix à debito munere coram Deo facilè abſolvi poſſe, ex ſcrupuloſæ conſcientiæ dictaminibus credens, ſingulis diebus Dominicis, ſæpiusve, quoties per valetudinem majorisque momenti Eccleſiæ negotia liceret, ſe illuc contulit, ut omnia ſacerdotalis functionis officia coram ipſe exequeretur. Interim amicos lautè & ſplendidè, egenos verò congrua & decora hospitalitate ſolebat excipere; parum ſolicitus, an quippiam pecuniæ è reditibus provenientis, dempta aliqua parte libris emendis deſtinata, in loculis relinqueretur necne.

Et Eccleſiæ S. *Patricii* Cancellarius.

Hoc anno Profeſſorium Theologiæ munus in Collegio illi demandatum erat: quo per tredecim quatuordecimve annos ſumma diligentia functus eſt. Habita enim matura deliberatione, operam non poſſe meliùs aut fructuoſiùs, quàm in dogmatibus Theologicis inter Reformatos & Pontificios controverſis diſcutiendis impendi, primò bis, deinde, ut durus

Profeſſor Theologiæ in Collegio conſtitutus.

rus iſte labor, cui ferendo vix ſuffecerint vires, aliquatenus minueretur, ſemel ſingulis per totum annum ſeptimanis, ſolennes contra *Bellarminum* aliosque inſignes Romanæ Eccleſiæ ſcriptores, prælectiones habuit, duobus voluminibus propria manu deſcriptis comprehenſas: quæ in Academiæ *Dublinienſis* archivis exſtant, & quæ fortaſſe in publicam lucem produci merentur.

Canonas veteris Eccleſiæ digeſſit.

Denique hoc quoque anno Canonas, prout in prima veteri Collectione olim exſtabant, ordine debito diſponere & ad Canonas primi generalis Concilii *Niceni*, & quinque Provincialium *Ancyræ*, *Neocæſareæ*, *Gangræ*, *Antiochiæ*, & *Laodiceæ* habitorum, è quibus illi deſumpti erant, reducere usque ad primum *Conſtantinopolitanum*, (prout ex *Dionyſii Exigui* epiſtola, ante ſuam Græcorum iſtorum Canonum Latinam verſionem, ad *Stephanum* Epiſcopum *Salonitanum* præmiſſa, constat) hujus cæterorumque generalium, quæ ſecuta ſunt, Conciliorum, canonibus poſtea additis, inſtituit. Collectio hæc *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ* meritò nuncupatur. Sed D. *Leſchaſſerii* induſtria laudabile hoc propoſitum, illo neutiquam conſcio, edito mox opuſculo, priùs occupaverat. *Uſſerius* verò, licet eandem eosdem digerendi cui alter inſtabat, ex proprio ingenio ſecutus fuerit, longè fortiori fundamento innixus, calculum & ordinem ſtabilivit. Sed obſervationes ſuas, ſive argumentum iſtud in Bibliotheca Theologica fuſè tractaturus, ſive neſcio qua alia ratione inductus, in publicam lucem producere prorſus tunc temporis deſiſtebat, eas doctiſſimo viro, *Samueli Wardo Cantabrigienſi*, in eadem ſtadio decurrenti, in epiſtola eruditiſſima, in qua de variis Canonum collectionibus, earumque Auctoribus, uti & de codice Romano, præclarè admodum diſſerit, communicare contentus. *Uſſerii* Epiſtola & *Wardi* reſponſoria exſtant in *Sylloge* Epiſt. X. & XI. utraque ſane, quæ ab omnibus Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſis legantur, perquam dignæ. Sed hoc ulterius proſequi, à noſtro inſtituto, qui non longas commentationes, ſed compendiariam vitæ & ſtudiorum *Uſſerii* hiſtoriam ſcribimus, omninò alienum eſt.

Diſſertatio *de Corbis, Herenachis, & Termon-lands* ab *Uſſerio* compoſita.

A. MDCIX. lites forenſes agitari cœperant de quibusdam prædiis olim vel ad Chorepiſcopos, vel ad Eccleſias illarumque Rectores, pertinentibus, vulgò vocatis *Termon-lands*: ſive quia, ut aliqui volunt, eſſent *terræ Monachorum (terre-moine)* ſive potius à *Termino* Latinè, quaſi *terræ limitibus diſtinctæ & ſeparatæ à terris Laicorum*: quas tamen temporis decurſu, homines merè Laici, *Corbæ* ſive *Corbani* & *Herenachi* nun-

nuncupati, ex indulgentia Epiſcoporum poſſidebant, conceſſa, ipſis illas quaſi hæreditarias, filiis & nepotibus (uxorati enim erant) transmittendi poteſtate: quorum illi videntur primò fuiſſe *Chorepiſcopi*, ex quo nomen iſtud contrahitur, aut Eccleſiarum Rectores, aut earundem Patroni & Defenſores, & ex iisdem prognati, qui poſtea longa Uſucapione in eas ſibi familiisque ſuis vendicarunt. Hi verò miniſtri Laici ſeu Oeconomi Epiſcoporum, cenſusque illis debiti Collectores, quorum munus quoque erat, ut agri à colonis benè colerentur, proſpicere; deinde ex conventione ſacrilega cum Epiſcopis icta, earundem poſſeſſio & jus ſimul tranſibant, inque eos transferebantur. Terræ hæ ab omni taxatione fiſci & jurisdictione ſeculari erant liberæ: interim tamen ſervitiis & penſionibus, quas ſibi & ſucceſſoribus ſolvendas reſervaverint Epiſcopi, obnoxiæ; quibus non præſtitis, inſtar temporalium feudatoriorum, ab iſto jure, ſive acquiſito, ſive uſurpato, ceſſere. Iſtorum autem ſervitiorum ingens ubique varietas continuam litigandi materiam ſuppeditavit. Hinc *Uſſerius* juſta occaſione arrepta oſtendendi, quàm feliciter admodùm & accuratè vetuſtas chartas in Eccleſiarum Cathedralium archivis latentes, & ſitu & marcore perituras, exploraſſet: de hisce obſcuriſſimis rebus & nomenclationibus eruditiſſimum conſcripſit tractatulum, à reverendiſſimo viro D. *Richardo Bancrofto*. Archiepiscopo *Cantuarienſi*, tanto in honore & pretio habitum, ut planè honorarium munus, quod ſereniſſimo Regi *Jacobo I.* exhiberetur, omninò dignum, pro ſapientia ſua judicaverit. Cujus præcipua capita nobiliſſimus Antiquarius, D. *Henricus Spelmannus*, Eques Auratus, in *Gloſſario* ſuo legenda ſelegit, honorifica D. *Uſſerii* facta mentione ad calcem diſſertatiunculæ *de Corbis* &c. *Hæc fuſiùs, ut obſcuritati lucem adferam, quod accendit mihi literarum inſignis Pharus, D.* Jacobus Medienſis *Epiſcopus*. Tantum addo, quæ vir præclariſſimus D. *Jacobus Waræus*, Eques quoque Auratus, de eodem argumento diſſerens, habet in *Antiquitatum Hibernicarum* libro cap. XVII. (a) *De hiſce plurium cupidus conſulat V. C.* Henricum Spelmannum *Equitem Auratum in* Archæologo *ſuo, ubi multa ſcitu digna, beneficio inſignis hujus ſeculi ornamenti, D.* Jacobi Uſſerii Armachani, *communicantur.*

Tertium in *Angliam* iter.

Hoc anno *Uſſerius* tertium acceſſit in *Angliam*: non voluptatis, non otii, non animi relaxandi, ſed ſtudiorum gratia: non ut tempus inep-

tis

(a) *Lenlini.* 1655 in 8°. pag. 80. & in annotationibus ad *Egberti* dialogum de Eccleſiaſtica Inſtitutione p. 134. *Dublinii.* 1664.

tis blandisque, nihilque ad veros vitæ uſus pertinentibus colloquiis, aut otio indulgeret, aut deliciis, ut ut honeſtis licitisque, mentem paſceret. Longè diverſa erat & ſanctior itineris ſæpè repetiti, & poſt exactum triennium quadrienniumve repetendi, ratio. Non aliter illa Scientiarum divinarum & humanarum, quæ exardeſcebat, ſitis & cupido erat ſedanda, niſi ad ipſos accedendo fontes: Bibliothecas nimirum noſtras libris omne genus Hiſtoricis, & potiſſimùm codicibus Mss. de re Antiquaria, maximè abundantes. Hiſce ſubſidiis literariis, quæ univerſæ ſtudiorum, quam propoſuit, rationi & methodo ſatis feliciter reſponderent, ad votum uſque, gaudentem, nulla inceſſit exteras regiones inviſendi cupido: omni cogitatione extrà peregrinandi amota; nec opus habuit, cùm Antiquitates *Britannicæ* non niſi intra fines *Britanniæ* eſſent inveſtigandæ. Interim licèt in Bibliothecis totus abditus videretur, ab Amicis rogatus ſubinde concionandi munus non detrectavit, ſemelque in ſacello Regio coram *Familia*, ſive domeſticis Aulicis ſummo mane, quo tempore ſacris intereſſe illis ſolùm vacat, iisdem gratum facturus, perorare voluit: neque enim coram Regia Majeſtate, conſcenſis ſacris roſtris, comparuit: ſive defuit opportunitas, ſive potius à propria modeſtia inhibitus retractuſque. Quicquid verò habuit ſubceſivi temporis, totum illud virorum, eruditione & literis maximè inſignium, commercio dedit impenditque: quorum amicitiam, ut ſtudioſè quæſivit, ita meruit, & amantiſſimè amplexus eſt ſemperque percoluit. Inter hoſce novos Amicos recenſeo *Henricum Bourchierum*, poſtea Comitem *Bathoniæ*, D. *Henricum Savilium*, τὸν πατὴν, *Henricum Briggium*, tunc temporis Geometriæ in Collegio *Greshamenſi*, poſtea in Academia *Oxonienſi* Prælectorem *Savilianum*, *Joannem Seldenum* ex interiori Templo J. C tunc quoque ob rei Antiquariæ peritiam, inclareſcere incipientem; inſignes Theologos, *Joannem Davenantium*, poſtea Epiſcopum *Sarisberienſem*, & *Samuelem Wardum*, poſtea Collegii *Sidneiani* apud *Cantabrigienſes*, Præfectum, & denique *Thomam Lydiatum*, ſcriptis variis, & præſertim Chronologicis, contra *Joſephum Scaligerum* editis, clarum, ſiniſtrâ, ne dicam, iniquiſſimâ ſorte colluctantem oppreſſumque, quem ſecum duxit in *Hiberniam Uſſerius*, ut lautis, ſaltem honeſtis, conditionibus, quæ illius meritis aliquatenus convenirent, procuratis, illic, donec auſpicatior in *Anglia* affulſerit hora, commodè moraretur.

Novas amicitias contrahit.

Oblatam Collegii præfecturam reſpuit.

A. MDCX. ineunte, aut paulò ante: vacante Collegii præfectura, cùm

cùm ſociis, maturis inter ſe habitis conſultationibus, de eligendo *Uſſerio* conveniſſet, ille oblatam dignitatem obfirmato animo planè averſatus eſt, utpote nullis ſuaſibus precibusque, ut ut blandiſſimis, argumentis nullis, licèt fortiſſimis, inducendus, ut in unanimem omnium conſenſum & ſuffragationem concederet. Facilè enim guarus prævidensque, occupationes iſtas, quas hæc nova dignitas poſt ſe tractura eſſet, fore moleſtiſſimas, inque graviſſimum ſtudiorum, quibus totus incubuit, damnum ceſſuras; ſe proſequendis litibus, quæ tunc imminerent, de prædiis juribuſque Collegio integris ſervandis; ſi non minus habilem, ſaltem minimè pronum; illic perpetuò pro ratione muneris adminiſtrandi manendum eſſe, nec in *Angliam* excurſiones ſubinde facere, ibique per ſex menſes aut plures, prout codicum manuſcriptorum in Bibliothecis ubi ubi exſtantium inquiſitiones exegerint, morari licere; denique univerſas vitæ ſecuturæ rationes, quas ſibi propoſuit, inde maximè turbari, hiſce importunis poſtulationibus ſurdas aures præbere pergebat. Ut verò quispiam idoneus, qui omnes boni vigilantiſſimique *Præpoſiti* partes impleret, ſubſtitueretur, nemo ardentiori affectu, quàm ille, optabat, nemo fideliorem operam impendebat: cujus commendationi conſiliisque maximè acceptum referri debet, quod V.Cl. *Gulielmus Tempel*, in Collegio Regali *Cantabrigiæ* olim educatus, ſapientiæ & doctrinæ laude inſignis, poſteaque Equeſtri dignitate ornatus, Collegio, quod per ſeptemdecim annos provida induſtriaque cura rexit, præficeretur.

Prælectiones pro doctoratu in Theologia quem adeptus eſt habitæ.

Anno MDCXII. *Uſſerius* ſupremum in Theologia gradum conſecuturus, duas pro more ſolennes Prælectiones, quarum ſchedæ levi celerique manu primò delineatæ, adhuc ſuperſunt; unam de *Septuaginta hebdomadibus Danielis*; *de Millennio Apocalyptico* alteram habuit: quarum illam in magno opere Hiſtorico & Chronologico, hanc verò in libro, quem anno ſequente edidit, & de quo mox dicàm, abſorberi puto veriſimillimum. Inſignia Doctoratûs doctiſſimo huic Candidato reverendiſſimus vir, D. *Hamptonus*, Archiepiſcopus *Armachanus*, tunc temporis Academiæ *Dublinienſis* Vice-Cancellarius, conferre dignatus eſt.

Edit librum *de Chriſtianarum Eccleſiarum in Occidente continua ſucceſſione.*

Nondum quicquam ſcripti præ modeſtia in lucem emiſerat *Uſſerius*, utpote munus, quod ſuſcepiſſet, profeſſorium perquam diligenter & induſtriè impleviſſe ſibi animo placens. At jam tandem, ſive propria ſponte, ardentique contra Evangelicæ Veritatis hoſtes zelo, ſive Amicorum hortatibus conſiliisque exſtimulatus, ne ſibi, ne famæ ſuæ, aut aliorum exſpectationi, aut Religionis cauſæ, quod maximè in votis erat,

erat, vindicandæ deeſſe videretur, in publicum prodire apud ſe conſtituens ut quantum ex pertinaci, omne genus librorum lectione profeciſſet, luculento documento demonſtraret, ineunte anno MDCXIII. in *Angliam* navigavit: *Hibernia* tunc temporis idoneis typis ad abſolvendum juſtum largumque, quod molitus eſt, opus, quo decuit nitore, deſtituta, ibique Regio Typographo in conſilium operamque adſcito, librum magni nixus fœtum, partibus ſuis decorè & affabrè compoſitum & elaboratum, evulgavit ſub hoc titulo: Quartum in *Anglia* iter.

Graviſſimæ Quæſtionis de Chriſtianarum Eccleſiarum, in Occidentis præſertim partibus, ab Apoſtolicis temporibus ad noſtram uſque ætatem, continua ſucceſſione & ſtatu, Hiſtorica Explicatio:

Auctore Jacobo Uſſerio, *S. Theologiæ in* Dublinienſi *Academia, apud* Hibernos, *Profeſſore.*

Liber iſte ſereniſſimo Regi *Jacobo I.* Regum doctiſſimo, cui inſcribitur, longè erat acceptiſſimus, tum ob argumenti, in quo illum non parum ſolicitè verſatum fuiſſe ex ſcriptis editis, ſublimi Regiæ Majeſtatis faſtigio perquam dignis, cuivis intelligenti ſatis liquet, gravitatem: tum ob methodum diſſerendi ex fide rerum ſententiarumque authenticis Hiſtoricorum teſtimoniis comprobatâ. Hic enim luculenter & eruditè agit *de Millennio Apocalyptico, & de ligatione Satanæ*, à quo tempore inceperit, & quando celebris iſta Epocha eſſet deſitura; & de iis rerum momentis & mutationibus, quæ in iſthoc intervallo occurrerent, aut inde conſequerentur: oſtenditque poſt ſex ſeculorum decurſum in hiſce Occiduis Mundi plagis Religionem Chriſtianam à ſua primæva puritate & integritate, illic, ex *Romanorum* Pontificum ambitione, typho, & inſatiabili ſecularis pompæ amore, ſenſim declinaſſe: corruptelas ſuperſtitioſosque ritus fraudibus Sacerdotum credulæ & ignaræ plebi ſtrophis plauſibilique ornandæ Religionis prætextu illudentium introductos, paſſim invaluiſſe, & malè ſana dogmata, quæ neque cum ſacris ſcripturis, neque cum veterum Chriſtianorum fide ullatenus convenirent, pro articulis fidei, ad ſalutem creditu neceſſariis, pro arbitrio obtruſa fuiſſe; donec ſub temporibus *Sylveſtri II. Benedicti*

nedicti IX. & *Gregorii* VII. ſive famoſiſſimi *Hildebrandi*, *myſterium illud iniquitatis*, in immenſum accreſcens, ad ἀκμὴν pervenerit, & *Romana* ſedes, conculcatis ſacris Canonibus, juribusque Epiſcoporum abolitis, tyrannidem & imperium verè *Antichriſtianum* in omnes totius Orbis Eccleſias uſurpaſſet, & actu in Occidente exercuiſſet. Hanc rem eſſe facti, teſtibus, omni exceptione majoribus, productis demonſtrat: quovis tamen ſeculo bonos viros, veritatis Evangelicæ amantes ac zelo armatos ſurrexiſſe, qui contra hoſce intolerandos abuſus invecti, novorum dogmatum portenta, quibus nova Religionis forma priſtinæ ſuperinduceretur, acerrimè rejecerint, cultuque idololatrico animas pollui noluerint: in hiſce verò *Waldenſes*, *Albigenſes*, pluresque alios, qui in mediis flammis & lanienis imperterriti, hisce innovationibus ſtrenuè ſeſe oppoſuerint, recenſens, iſtorum temporum, in quibus major rerum obſcuritas & perplexitas, ex defectu aut mala fide Auctorum inerat, Hiſtoriam: item quorundam Paparum ambitum, faſtum, ſecularis pompæ affectationem, ſimoniam, luxum, ſcelera, prodigioſamque impietatem graphicè depingit; eo fine, ut Adverſantium, præſertim ex noſtratibus, obturarentur ora, qui effronti audacia calumniati fuerint, Reformatores, quos infandi ſchiſmatis & peſſimæ hæreſeos pro modeſtia ſua poſtulant, novam planèque ſeculis antiquioribus inauditam introduxiſſe doctrinam: illorum verò dogmata à Concilio *Tridentino* ſub diro anathematis fulmine ſancita, à prima & remotiſſima antiquitate derivari, eademque & invariata per omne ævum manſiſſe, ſibique omnes per univerſum Orbem, ubi viguit nomen Chriſtianum, eccleſias in omnibus conſenſiſſe, nihilque in rebus & articulis fidei unquam fuiſſe immutatum. Non ſibi propoſuit, neque ſuarum eſſe partium duxit *Uſſerius*, de veteris Eccleſiæ, in ſex prioribus annorum centuriis, iſta labe vacuæ, aut Chriſtianorum in Eccleſiis *Græca*, *Hieroſolymitana*, *Antiochena*, *Alexandrina*, *Habeſſinica*, *Carthaginienſi*, aut alibi locorum, ad extremos *Indos* uſque, continua ſucceſſione & ſtatu diſſerere: ſed, ſi non unicum, ſaltem præcipuum ſuæ disquiſitionis ſcopum intra Occidentis limites conſtrictum fore volebat: quod quidem animoſiùs præſtitit, ut veteratores iſti, qui nobis falſò exprobrant novitatem, meliùs ſaniùsque ſapere, ſeſeque modeſtiùs gerere edocerentur.

Horum verò temporum ſeriem laborioſè & accuratè quidem pertexuit

texuit *Uſſerius* uſque ad initium Pontificatûs *Gregorii* XI. h. e. ad annum MCCCLXX. indè eandem ad *Leonem* X. quando Evangelicæ veritatis lux, è ſpiſſis horrendæ ſuperſtitionis tenebris eluctata, emicare inceperat, deinceps deducturus. Sed an tertiam hanc partem, quam propoſuit edendam, & cujus præcipuorum capitum ſumma in elencho habetur, ſive ex inamœni operis tædio, ſive nobilioris argumenti ſtudiis impeditus, unquam abſolviſſet, non poſſum quicquam certi ſtatuere; ſaltem, ſi (a) quando ab ipſo conſcripta exſtitiſſet, omninò periiſſe videtur. Quod hîc adnotandum cenſeo ad detegendam Bibliopolæ fraudem, qui in nupera editione *Londinenſi* A. MDCLXXVII. quo fucum emptoribus faceret, in fronte librum ſpecioſo *operis integri ab Auctore aucti & recogniti* titulo adornat. Fortaſſe hîc Lectores moroſi me parum è dignitate illius feciſſe cenſebunt, ſi meminero, viros clariſſimos & doctiſſimos, D. D. *Iſaacum Caſaubonum*, & *Abrahamum Scultetum*, quibuscum tunc *Londini* agentibus familiarem inibat amicitiam, quanti Auctorem ejusque elaboratum opus æſtimaverint, verſibus encomiaſticis præfixis, teſtari voluiſſe. Ille verò tertius Laudator, *Antonius Martinus*, tunc temporis Collegii ſanctæ & individuæ Trinitatis apud *Dublinienſes* ſocius, poſtea D. *Uſſerio* in ſede *Midenſi* datus erat in ſucceſſorem.

Hac clarigatione bellum ἀπροσδόκητον indixit *Uſſerius* Pontificiis, ex quibus tamen nemo ad pugnam deſcendit, cum hoc Pugile æquis legibus & conditionibus decertaturus. Neque enim dicteria apud ſapientes arbitros pro argumentis habentur: neque leviculæ cavillationes juſtæ reſponſionis vicem ſupplere aut poſſunt, aut debent. Prodiit equidem *Duaci* A. MDCXV. *Richardi Stanihurſti*, illius Avunculi, libellus, ſive Epiſtola ipſi *Uſſerio* inſcripta, duabus tribuſve ſchedis comprehenſa, ſub hoc titulo: Contra *Uſſerium* inſurgit *R. Stanihurſtus*, illius avunculus.

Richardi Stanihurſti, Hiberni Dublinienſis, *brevis Præmonitio pro futura concertatione cum* Jacobo Uſſerio, Hiberno Dublinienſi:

Qui in ſua Hiſtorica explicatione conatur probare Pontificem Romanum (legitimum in terris Chriſti Vicarium) verum & germanum eſſe Antichriſtum.

(a) Vide *Uſſer.* Epiſt. *Syllogen*, Ep. XXXVIII. pag. 69.

Veruntamen *Stanihurſtus* in hoc epiſtolari ſcripto, quo *Uſſerium* nepotem (uti parum Latinè appellat, pro more tamen vulgatiſſimo) frigida laudatione fatetur eſſe *Hiſtoriarum helluonem, & plurimorum Scriptorum ætates & tempora haud quaquam ſanè indiligenter fuiſſe perſecutum*, non Hiſtoricum, non Dialecticum, non probum Advocatum in teſtimoniis adverſæ partis explorandis, inque juſtum examen revocandis, occupatum, ſed Declamatorem, ſed Vitilitigatorem, ſed Sophiſtam agit. Cùm enim quosdam Romanos Pontifices longa ſerie ſequioribus ſeculis invicem ſuccedentes ſceleratiſſimis moribus fuiſſe conſpurcatos, ex certiſſima Hiſtoriarum fide conſtaret, nec id quidem à quoquam abſque aut ſtuporis aut læſæ modeſtiæ nota negari potuerit, ulcus hoc vel levi manu tangere penè metuit, criminando, Scriptores, ut maledicos, ut mendaces, ut Principibus, odium capitale aut ſanguinolentas cum *Romana* ſede lites exercentibus obſequioſos, horumque gratiam turpi aſſentatione captantes, impacta crimina indebitis exaggerationibus in immenſum auxiſſe: quaſi illis corruptelas doctrinæ pariter ac morum non exprobraſſet *Uſſerius*. Sed ad ſtigma Antichriſti hiſce præclariſſimis Chriſti Vicariis inuſtum, quaſi ſpectro territus, maximè excanduit tetricus ſenex, nec S. *Petri* ſucceſſores in iſta ſancta ſede, licèt depravata veterum Chriſtianorum fide, novam doctrinam horrendasque ſuperſtitiones, carceribus, exilio, ferro, igni, immanibus lanienis & cædibus, & crudeliſſima Inquiſitione tueri & propagare perrexerint, hoc infami titulo dehoneſtari æquo animo patitur. Sed iſtiusmodi reliquis rhetoricationibus & cavillis, nihil ſolidi tinnientibus, nec cuiquam vel mentis paulò attentioris perſuaſuris ſibi respondendum non eſſe duxit *Uſſerius*, multò minus atrociſſimæ iſti calumniæ, qua illum in altera libelli parte inſectatus eſt *Stanihurſtus*, ac ſi in Epiſtola dedicatoria ſereniſſimum Regem *Jacobum* in ſubditos *Hibernos*, in Religionis rebus diſſidentes, ſævire, Religionemque Pontificiorum aperta vi ac ſeveriſſimis edictis legibusque exterminare incitaſſet. Sed quàm prorſus leve, prorſus debile, imò prorſus nullum, cui hæc dica ſuperſtruitur, fundamentum! Solùm in fine Epiſtolæ dixerat *Uſſerius*: *Unum adhuc ſupereſt, quod votis omnibus à Majeſtate tua repetunt omnes boni, ut populo noſtro pereunti, properè ſuccurrere, & peſte Pontificia miſerè laboranti facere velis medicinam.*

Quis

Quis verò aut mentis candidæ, aut paulò attentæ, non hîc potius perinſigne optimi verèque Chriſtiani erga patriam gentilesque ſuos affectus indicium & demonſtrationem eluxiſſe penè præceps crederet? Horum enim infeliciſſimam ſortem miſeratus, flagrantiſſimis votis hoc unum, idque maximum, à clementiſſimo Rege petebat *Uſſerius*, ut de methodis congruis ſuavibuſque modis, quibus gens iſta, ſi qua unquam, obſtinatiſſima, teterrima ignorantiæ & ſuperſtitionis caligine oppreſſa & occæcata, infuſa nova luce, ad ſobriam mentem agnitionemque veritatis revocaretur, præ ſapientia ſua vellet ſtatuere. Sed fortaſſe quibusdam me huic controverſiæ nimiùm & omninò præter rem immiſcuiſſe videbor: ideo ad hiſtoricam de *Uſſerio* narrationem redeo.

Dum verò *Londini* manſerit *Uſſerius*, curis typographicis intentus, frequens adibat ædes *Lambethanas*, cum reverendiſſimo viro, D *Georgio Abbotto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & Academiæ *Dublinienſis* Cancellario, de ſtatutis aut novis condendis, aut veteribus pridem conditis corrigendis, inque meliùs reformandis, conſultationem, quantùm licuit, initurus. Ab ipſis enim primæ fundationis initiis, Præpoſitus Sociique Collegii, cui multa adhuc deerant ad perfectam inſtaurationem, pro ſapientia ſua quempiam ſummæ dignitatis, ſive in Eccleſia, ſive in Aula, virum, & apud Regem gratia pollentem, hoc magnifico titulo dignandum continua ſucceſſione elegerunt, quò ipſis & conſilio & munificentia & favore patrocinaretur. Hiſce verò rebus in *Anglia* feliciter peractis, *Uſſerius Hiberniam* patrioſque lares reviſit, ibique non multò poſt fit maritus, ducta in uxorem lectiſſima Virgine, cui dos opima obtigerat, utpote unica filia & hærede reverendi viri, D. *D. Challoneri*, ſupra laudati, de novella Academia optimè meriti, qui (a) ultimis tabellis præcaverat, illam non alii, præterquam *Uſſerio*, quem ille illius bonæ indolis, candoris, doctrinæ, & pietatis amore & admiratione raptus, à multis annis paterno & ſummo proſecutus fuerat affectu, nubere oportere, modò ſe matrimonii nexu illigare voluerit. Quo admiſſo, *Uſſerius* non quicquam otio & deſidiæ indulgens, nactusque curarum domeſticarum ſociam & participem, ad priſtina ſtudia alacriori induſtria quoque reverſus eſt.

Sollicitudo ejus de Collegii ſtatutis ſtabilipendis.

Uſſerius nuptias init.

Or-

(a) Obiit *Dublinii* 27. Aprilis. Anno 1612.

Convocatio Cleri *Hiberni* A. 1615. *Dublinii* habita.

Ordinibus regni *Hiberniæ* in Parlamento *Dublinii* A. MDCXV. habito coactis, pro more indicta erat nationalis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, reliquique Cleri *Hiberniæ* Synodus, ut de rebus ad Religionem ſpectantibus junctis operis conſiliisque deliberatio fieret ſolennior. Liquet autem, Eccleſiam *Hibernicam* à primis Reformationis ſub Rege *Edwardo* VI. temporibus, & potiſſimùm regnante Regina *Eliſabetha*, ab Eccleſia *Anglicana*, ſi non totam, ſaltem aliqua ex parte pependiſſe, & eidem in omnibus conſenſiſſe. Epiſcopi plerique omnes aut puri puti *Angli*, & ex *Anglia* miſſi, aut *Anglis* parentibus ibi nati: eadem Liturgia, eædem Ordinationum formulæ, iidemque ſacrorum ritus. Univerſus Clerus articulis & conſtitutionibus Eccleſiæ *Anglicanæ* ſe conformem ex vi legum ex integro reddidit, à quibus, quantùm diverſæ utriusque regni conſuetudines paterentur: neutiquam variare licuit. At jam hanc ſive dependentiam ſive reverentiam excuſſuri, altiores ſpiritus alere, articulosque religionis ſuo nomine & auctoritate, quibus tanquam proprio ac peculiari charactere ab illa diſtinguerentur, condendi jus & facultatem ſecundùm vindicias libertatis ſibi ſucceſſoribusque ſuis aſſerere cœperant. Cujus incepti hæc videtur fuiſſe vera origo & cauſa. Cùm aliqui zelotæ hîc apud nos, ad finem vergente ſeculo decimo ſexto, immodico zelo abrepti, articulos Religionis, ſynodali auctoritate *Londini* A. MDLXII. ſtabilitos, in quibus conſtituendis moderatam *P. Melanchthonis* aliorumque Reformatorum ſententiam ſecuti ſunt Adſeſſores, relicta in quamplurimis abſtruſioris Theologiæ capitibus opinandi libertate, aut malè interpretando perverterint, aut dogmata nova, è *Calvini* ſcriptis hauſta, iiſdem addenda, aut ſub explicationis ſpecie & prætextu, aut ſupplementi vice, tanquam veram Eccleſiæ *Anglicanæ* doctrinam obtrudere attentaverint, in varias partes & factiones itum eſt, propugnantibus his, oppugnantibus aliis. Diſſidium verò iſtud apud *Cantabrigienſes* inter D. *Whitakerum*, Regium Theologiæ Profeſſorem & D. *Petrum Baronem*, Dominæ *Margaritæ* alterum Profeſſorem, maximè incaluit: nec lites iſtæ erant de facili ſopiendæ. Ideo *Whitakerus Londinum* properat, non ratione ſed auctoritate Adverſarium debellaturus, ſeptem theſes, crudas quidem, & ad proprias opiniones maximè accommodatas, quibus controverſias iſtas, quarum acerrimus erat fautor, præcisè determinari & decidi voluit, reverendiſſimo viro, D. *Joanni Whitgifto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, exhibuit. Hic verò ab illo perſuaſus, ad hoc incendium, quo flagravit

Articuli *Lambethani*.

vit iſta Academia, extinguendum, & ne pax Eccleſiæ in ſummum adduceretur diſcrimen, ad ſe quoſdam Præſules & Theologos, de iſtis Theſibus cum iiſdem conſultaturus.

Poſt crebras diſceptationes, emollitis quibuſdam in Theſibus *Whitakerianis* duriuſculis phraſibus, à pleriſque (aliqui enim pacatioris ingenii ſanioriſque judicii viri ſeſe ab iſto conſeſſu ſubduxerant) in novem Articulos conſenſum eſt, inde nuncupatos *Lambethanos*, utpote in Palatio Archiepiſcopali Novembri MDXCV. formatos digeſtoſque, ut controverſiis iſtis inauſpicatis feliciùs faciliùſque, uti putabant, obviam iretur. Cum verò Regina rei nuperrimè geſtæ hiſtoriam ex ore ſapientiſſimi & fideliſſimi Conſiliarii, *Gulielmi Cecilii*, Baronis *Burghleii*, Academiæ *Cantabrigienſis* Cancellarii, didiciſſet, ſatis gnara, quantùm vulnus Eccleſiæ, tranquillitati publicæ, & Regiæ poteſtati, ex iſtis deciſionibus infligeretur, graviter commota, cum Archiepiſcopo, in Aulam comparere juſſo de hoc auſu temerario, illa planè inſcia & inconſulta, expoſtulavit, in memoriam illius revocans, illum, cui ex hac parte nulla legitima poteſtas competebat, contra leges deliquiſſe, & pœnis ex ſeveriſſima lege, quæ à noſtratibus *Præmunire* appellatur, infligendis eſſe obnoxium. Qua objurgatione quaſi è veterno expergefactus Archi-Præſul, vir in reliquis omnibus muneris ſui partibus inculpati & laudatiſſimi exempli, veniam humillimè deprecatus, factum, ex pia tumultus Academicorum, quorum mentes diverſarum ſententiarum æſtu agitarentur, componendi & compeſcendi intentione ortum, excuſavit, interpoſita cautione, ſe de iis articulis, ne in lucem exirent, ſupprimendis diligenter curaturum. Sed res iſta, ſchedâ, in *Whitakeri*, paulò poſt è vivis excedentis, muſeo, iſtos articulos complectente, reperta, diu celari non potuit: indeque *Calviniani* Magiſtri ſui *νυφίαις δόξαις* effatiſque quoddam præſidium & firmamentum quæſivere, eòque audaciæ proceſſere, ut in collatione coram ſereniſſimo Rege, *Jacobo* primo, in *Hamptonienſi* Curia inter ſelectos quoſdam venerabiles Epiſcopos & *Puritanæ* factionis Anteſignanos, A. MDCIII. inita, illorum nomine poſtulaverit D. *Joannes Rainoldus*, ut hi novi Articuli, corpori Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ inſerti, pro orthodoxis haberentur: cui Rex, aliter ingenio miti, nec ad iram proclivi, animo & lingua indignante, illius propoſitione tanquam injuſta & abſurda, nec illius loci aut temporis, penitus rejecta, reſpondit (a) *in Academiis, ſubtilitates*

(a) Vide ſummam iſtius Collationis à D. *Barlovio* editam p. 41.

ejuſmodi ſcholaſticas alterutrinque agitari poſſe, quibus religionis articuli neutiquam ſuffarciri debent. Quis autem crederet dogmata illa *de abſoluto prædeſtinationis & reprobationis decreto, & de gratia ſufficienti ad ſalutem univerſis hominibus non conceſſa,* cum appendicibus heterodoxis *de inamiſſibilitate gratiæ, & de certitudine ſalutis*, quæ tum divinis perfectionibus, tum naturæ humanæ repugnant, in iſtis articulis comprehenſa, tot ſautores reperire potuiſſe, aut tantoperè valuiſſe *Calvini* auctoritatem, ut quicquid ille dictaverit, pro infallibili haberetur, veritatiſque Theologicæ norma ex illius *Inſtitutionibus* eſſet petenda? Sed meliùs rectiùſque ſapuere doctiſſimi viri, DD. *Overallus*, *Andræas*, aliique magni Theologi, qui licèt numero pauciores, præſertim poſt iſtiuſmodi concertationes in *Belgio* acerrimè agitatas, diligenter excuſſas, & mente æquâ & à præjudiciis liberâ, tanquam bilance juſtâ, perpenſas, ſeſe ſtrenuè tum concionibus, tum ſcriptis, oppoſuerit. Identidem in *Hibernia* Præſules reliquuſque Clerus, *Calvini* effatis addictiores, quàm extra ſe eorundem tuendorum zelo quaſi abriperentur, tunc inaudito & in omne ævum obſtupeſcendo, in hac Synodo, cujus non minima pars erat *Uſſerius*, congregati, palam oſtenderunt. Jubetur inter alios *Uſſerius*, articulorum, de quibus in Synodo iſta deliberandum erat, ſeriem contexere: in quibus novem famoſi Articuli *Lambethani*, omnes penè ad verbum inſeruntur. Quod hîc brevi & in genere referre omninò neceſſarium duxi, ut inde qua de cauſa *Uſſerius*, qui in iſtius Eccleſiæ articulis condendis & ſtabiliendis præcipuum impenderat ſtudium ac laborem, apud famæ illius æmulos, adverſarumque partium ſequaces, *Calvinianus* & *Puritanus* audiret, aliquo modo conſtaret.

Uſſerius Puritaniſmi ſuſpectus.

Hinc graviſſimæ cenſuræ impactæ, malæque de *Uſſerio* inde conceptæ ſuſpiciones magis magiſque gliſcebant, quaſi ex iſthoc immodico horumce Theologicorum dogmatum ſtudio & amore in aliis longè majoris momenti rebus Puritanorum partibus faviſſet. Nec defuere, qui privatis delationibus id parum candidè, imò prorſus iniquè ſereniſſimo Regi, qui tetricum iſtud irrequietumque genus hominum, à quo multa paſſus eſt, utpote Regiæ Poteſtati pariter ac Ordini Epiſcoporum ritibuſque Eccleſiaſticis adverſum, maximè averſatus eſt, perſuaſum vellent. Sed opprobria hæc, magno, ut videtur, animo tulit deſpexitque. Ve-

Ab hac labe purgatur.

runtamen cum A. MDCXIX. verſus finem, in *Angliam* tranſiturus eſſet, ad amoliendam iſtius calumniæ invidiam, ne præjudiciis gravatus ſuccumberet, literas à Regiis Conſiliariis, qui in iſthoc regno præfue-

runt,

runt, ad *Anglos* Conſiliarios in illius favorem & vindicias perſcribi procurarunt Amici, in quibus, perinſigni illius innocentiæ atteſtatione adhibita, illum, utpote virum omninò dignum, qui Regio favore cuiquam in Eccleſia dignitati præficiatur, magnificis elogiis exornant. Deinde *Weſtmonaſterii* mox ad colloquium cum Rege admiſſus, ſeipſum à fictis criminationibus purgavit, & ut omnem ex Regis animo ſcrupulum penitus auferret, ſententiam ſuam de doctrina & diſciplina Eccleſiæ *Anglicanæ* declaravit, quibus & Regi & aliis abundè ſatisfactum eſt.

Ad Epiſcopalem ſedem *Midenſem* deſtinatur.

Exeunte A. MDCXX. ſereniſſimus Rex, ſive quantùm Conſiliariorum *Dublinenſium* commendationi detulerit, oſtenſurus, ſive ex proprio motu & certa ſcientia ſapientiæ, pietatis, & exquiſitæ eruditionis *Uſſerii*, ad ſedem *Midenſem*, tunc vacantem, fruſtra interponentibus quibuſdam malevolis, evexit, quem *ſuum Epiſcopum* appellare poſteà ſolitus erat.

Coram Senatoribus Parlamenti ante Sacram Synaxim celebrandam concionatur.

Hoc anno, indicto *Weſtmonaſterii* Parlamento, cùm rumores à Puritanis ad perterrefaciendum populum (ab illo enim tempore factio iſta caput exeruit, ſubdoliſque Demagogorum artibus, ſequentibus annis acquiſitam, in Comitiis vim planè indomitam, juribus Majeſtatis Regiæ prorſus inimicam circumtulit) ſpargerentur, quoſdam in Adſeſſores inferioris Cameræ, qui Religionis Romanæ profeſſionem clàm & intus in pectore retinuiſſent, adſcitos fuiſſe, communi conſultatione & decreto ordinatum erat, ut, quò meliùs quiſque ab hiſce ſuſpicionibus ſe purgaret, omnes ſimul conſtituto die in templo S. *Margaritæ* propè ſenaculum ſacræ ſynaxi intereſſe tenerentur: hoc enim criterio cenſuere, neminem Romanis ſuperſtitionibus addictum hæc tremenda myſteria impia mente ſacrilegaque manu attingere auſurum. Interim *Uſſerius*, nominatione illius facta ex ſuffragatione prævia, rogatur ut in iſthoc ſacro ſolennique Conventu concionari vellet. Quod non honoris inde reportandi cauſa, ſed exacerbatas multorum mentes honeſtis piiſque ſuaſibus & documentis leniendi anſam captaturus, tandem non ſine invidia aliorum, neſcio an non planè invitus, admiſit. Præbendarii enim Eccleſiæ Abbatialis S. *Petri*, ex qua Parochialis iſta vicina, utpote ab omni juriſdictione Epiſcopali libera, tota pendet, muneris iſtius ſacerdotalis ibi adminiſtrandi facultatem, tanquam ſibi propriam & peculiarem, vendicabant. Nolebant Senatores à propoſito abſiſtere, aliter in Eccleſia *Templi* (ita pro more noſtro appellatur celeberrimum Juriſperitorum Collegium, olim Templariorum ſedes) conventuri. Rex, cui

hac de re, licèt penè frivola & nullius momenti, ſupplicatum erat, electionem *Uſſerii* iteratò factam confirmavit. At ille hujuſcemodi ordinationis novitate commotus & offenſus, veritusque, ne quid mali in ſe ſuoſque inde derivaretur, quaſi ille, tunc temporis de nuptiis unici filii, *Caroli* Principis, cum *Hiſpanâ* contrahendis non parum ſolicitus, Pontificiorum partibus faviſſet, (ut cæteras criminationes, à quibus erat alieniſſimus, malo animo impactas, omittam) *Uſſerium* XIII. Februarii accerſendum, ut videtur, curavit: cui inter alia dixit, illum nimirum proximè ſequente Dominica, *gregis immorigeri*, & vix facilè in ordinem cogendi, *curam acturum*: ſe bene intelligere non poſſe, quomodo tot centeni ex ſubita iſta denuntiatione, cui omninò parendum erat, ante paucos dies lata, cum debita mentis præparatione ſacris illis myſteriis participandis aliquo modo digni reddi potuerint, præcipuè poſt iſtas graviſſimas lites nuper agitatas: ſe quidem ab omnibus domeſticis ſuis, ut ſacroſanctis hiſce Chriſtiani cultûs ritibus frequentes intereſſent, non tamen ſimul, niſi ſolenni Paſchatis feſto, exigere: hoc Concionatori ex officio incumbere, ut Auditores ad pacem & concordiam inter ſeſe ineundam & redintegrandam, ad Dei, deinde Regis & Patriæ, amorem hortaretur, coramque oculis deplorandum rerum publicarum domi & orbis Chriſtiani foris ſtatum proponeret. Hiſce regiis conſiliis monitiſque præmunitis *Uſſerius*, prima Quadrageſimæ Dominica, XVIII. Februarii, in hæc verba S. *Pauli* in prima Epiſtola ad *Corinthios* cap. X. v. 17. *Quoniam unus panis, & unum corpus, multi ſumus: nam omnes de iſto uno pane participamus*, perorans, ſacrum iſtud argumentum, pari pietate & eruditione, utraque verò ſumma, in iſto magnifico nobilium virorum conſeſſu explicavit. Dum verò in primo articulo de communione ſanctorum, & de myſtico Eccleſiæ corpore, *Chriſto* capiti unito, agit, ad pacem, tum civilem, tum Eccleſiaſticam, tam domi ſervandam & redintegrandam, quàm ad concordiam inter noſmet exteroſque, eodem fidei & communionis nexu copulatos, fovendam nervosè ſuadet, & præſertim, ut alienæ calamitatis ſenſu affecti, illis opes ſuppetiaſque ferrent, hortatur: dum verò in altero articulo de communicatione corporis & ſanguinis *Chriſti* copioſiùs differit, Eccleſiæ *Anglicanæ* doctrinam de vera & reali præſentia *Chriſti* in Sacramento Euchariſtiæ ſolidè explanat, *Romanenſium* tum dogmate de ſubſtantiali elementorum mutatione, tum idololatrico cultu everſis & damnatis. In utriſque ſanè omnes piiſſimi & ſapientiſſimi Concionatoris partes impleviſſe mihi videtur.

tur. Sacra hæc oratio auditoribus, judicio pollentibus, mirè placuit, illorumque gratulationes, & aliorum, poſtquam illis jubentibus in lucem edita fuerat, maximo jure merita eſt, & ſanè in perpetuum merebitur.

A. MDCXXI. in *Hiberniam* redux D. *Uſſerius* Eccleſiæ & diœceſeos *Midenſis*, cui regendæ illum Rex *Jacobus* anno ſuperiori, ut dixi, deſtinaſſet, Epiſcopus, *Pontanæ*, quæ vulgo *Drogheda* appellatur, ſolenni conſecratione à reverendiſſimo viro, D. *Hamptono Armachano*, duobus ejuſdem Provinciæ juxta antiquorum Canonum normam aſſiſtentibus, ordinatur. Verùm in illa ſublimi Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigio poſitus, tantum aberat ab otio & remiſſiore vitæ genere, ut potiùs diligentiæ in gregem ipſi commiſſum impenſæ ardentiùs, ſacras Scripturas publicè interpretandi & Evangelium *Jeſu-Chriſti* prædicandi novas quidem & majores curas ſuperaddere ſui officii eſſe duxerit: cujus ut memoriam ſemper in mente & oculis haberet, tremendam iſtam S. *Pauli* ſententiam, *væ mihi, ſi non evangelizavero*, in Epiſcopali ſigillo, quam retinuit, ad ſummos in Eccleſia *Hibernica* honores evectus, incidi voluit. Adeò autem erat in concionibus frequens, ne dicam ſingulis diebus Dominicis, ſolennioribuſque anni feſtis, aſſiduas, quando nimirùm aut valetudo, aut opportunitas vel quæſita, vel majora Eccleſiæ negotia permiſerint, ut inter celeberrimos maximique nominis *concionantes Epiſcopos* jure numerari mereatur. Dum verò triſtis viderat, pleroſque omnes ex *Hibernis Romanæ* communionis in diœceſi ſua, uti & in reliquis Provinciis per univerſam inſulam, horrendæ ſuperſtitionis tenebris oppreſſos, vitis ſanctorum, abſurdiſſimis fabulis portentoſiſque inſomniis ſcatentibus, legendis addictos, interim tamen omni verâ ſacrarum Scripturarum intelligentiâ vacuos, fatale illud, quo laborant, præjudicium, contra omnem vim argumentorum objicere conſueviſſe, ſe nimirùm Patrum ſuorum Religionem & inſtituta ſequi, & ab iiſdem iſta de cauſa neutiquam diſceſſuros; ut errorem hunc ex illorum animis evelleret, librum *de veterum Hibernorum & Britannorum religione* Linguâ Anglicanâ ſcripſit A. MDCXXII. in quo corruptelas in ſacro cultu & nova dogmata, jam pro articulis fidei agnita, ex fraude & ſuperſtitione ſequioribus ſeculis ſenſim irrepſiſſe, (puta officium *Romanæ* Liturgiæ paulò ante quingentos annos à *Gilleberto*, *Malachia*, & *Chriſtiano*, *Romanæ* ſedis apud *Hibernos* Legatis, in uſum inductum; uti & baptizandi juxta morem *Romanæ* Eccleſiæ poſt tempora *Auguſtini* Monachi; ſacramentumque

Conſecratur *Drogheda*.

Liber *de veterum Hibernorum & Britannorum religione* ab illo editus.

Euchariſtiæ olim ſub utraque ſpecie adminiſtratum fuiſſe : longè aliter veteres de Chrismate ſacramentali, de confeſſione, de nuptiis Sacerdotum, de tempore celebrandi Paſchatis ſenſiſſe ; Regesque habere jus nominandi Epiſcopos, nec Papam ſpiritualem jurisdictionem ibi antiquitus, multò minùs temporale dominium exercuiſſe, (ut alia levioris momenti omittam) ac proinde Nepotes à priſtina majorum fide mirum quantum hac ex parte deſciviſſe, prolatis ex antiquorum Gentis ſuæ Scriptorum auctoritate & teſtimonio, luculentis documentis oſtendit. Liber ſanè eruditiſſimus, in quo Patriæ ſuæ antiquitates è codicibus MSS. ſumma cum induſtria & fide illuſtrat, erroribus *Campiani* Jeſuitæ & *O. Sullevani* ſubinde caſtigatis, clariſſimo viro, D. *Chriſtophoro Sibthorpo* Equiti, & uni ex Juſtitiariis communium placitorum in *Hibernia*, amico ſingulari, inſcriptus, & ad calcem libri à D. *Sibthorpo* de eodem argumento conſcripti *Dublinii* MDCXXII. in 4°. editus, & poſtea A. MDCXXXI. denuò *Londini* impreſſus.

Fit Regius Conſiliarius.

Mox inter Regios Conſiliarios adſcitus *Uſſerius*, quanta ſapientia & quàm ſolido judicio polleret, in re magni momenti, præclaro exemplo demonſtravit. Cùm quidam *Hiberni*, *Romanæ* communionis muneribus publicis admoti, *Supremátûs*, uti appellatur, *juramentum*, in quo, agnita Regis ſumma in quosvis ſubditos, & in omnibus cauſis, tam Eccleſiaſticis quàm Civilibus, auctoritate, dilucidè & circa omnem verborum aut ſenſus amphiboliam, *nullum exterum, ſive Principem, ſive Prælatum, aut quemcunque alium, habere, aut jure ſibi poſſe vendicare qualemcunque ſpiritualem & Eccleſiaſticam in regnis & ditionibus Regiæ Majeſtatis jurisdictionem* aſſeritur, ſuſcipere recuſaſſent, tum ut legum ſacroſancta auctoritas conſtaret integra, tum ut publicæ tranquillitati proſpectum foret, illuſtriſſimus vir D. Vice-comes *Falcolandiæ*, à Rege ipſius *Deputatus* tunc temporis conſtitutus, aliique è ſanctiori Concilio Magnates in hoſce pertinaces Magiſtratus animadverti oportere, maturis deliberationibus habitis, ſtatuerunt. Quibus in arce Regia, indicto die, viz. XXII. Novembris MDCXXII. comparere juſſis, poſtquam Judices iſtius juramenti naturam, rationem, & æquitatem, itemque pœnas renuentibus ex vi legum irrogandas, expoſuiſſent, D. *Uſſerius* oratione gravi, tam ad errores ex intellectu malè inſtructo & informato, quàm ad ſcrupulos è mentibus infirmis eximendos, compoſita, de Rege, utpote unico & ſupremo in regnis ſuis gubernatore, de poteſtate clavium, & poteſtate gladii, quæ neutiquam cum priori pugnat,

Judices, uti etiam *Uſſerius*, de juramento ſuprematûs in Concilio ſanctiori differunt.

pugnat, & ex ordinatione Dei ad res ſacras, ſpirituales & Eccleſiaſticas moderandas pertinet, denique de jurisdictione *Romani* Pontificis, falſò & injuſtè in univerſam Eccleſiam arrogata, fundamento, cui innititur, penitus everſo, ſummatim egit. Aliqui ex reis præſentibus, vi argumentorum perſuaſi convictique, ſe ſe lubenti animo ſubmiſerunt. Reliquis verò Auditoribus nervoſa iſta oratio maximè placuit, & præſertim poſtea Sereniſſimo Regi, ad quem brevi, ut videtur, exemplar transmiſſum erat, qui literis undecimo die ſequentis Januarii in Palatio *Weſtmonaſterienſi* exaratis, gratias D. *Uſſerio*, tanto cum judicio & doctrina pariter ac zelo, legitimum jus Regium ſtrenuè vindicanti, agere dignatus eſt. Haſce verò literas, tum honoris tum præſidii cauſa, ad calcem Orationis in publicam lucem prodeuntis apponere *Uſſerio* viſum eſt.

A Rege jubetur, ut in eruendis Antiquitatibus *Britannicis*, pergere velit.

Sereniſſimus Rex *Jacobus* tum ex auditu & ex conſentiente omnium fama, tum ex ſpeciminibus à ſe viſis, D. *Uſſerium* in eruendis Eccleſiarum *Britannicarum* Antiquitatibus gnavam operam impendiſſe conſcius, ut in iis proſequendis continenter, quantùm illius munus Epiſcopale, ſtudiaque Theologiæ, quibus ex peculiari vitæ inſtituto ſolennique voto addiceretur, eſſent permiſſura, pergeret, impenſè voluit juſſitque. Cùm verò deſideratiſſimum iſtud opus, inconſultis inexploratiſque Manuſcriptis, qui in Bibliothecis *Angliæ* ſparſim latuere, codicibus, perfici nequiverit, optimo Regi literas ad Conſiliarios *Hibernos* transmittere placuit, ut D. *Uſſerio* hac de cauſa abſuturo in *Angliam* divertendi ibique aliquanto tempore moram faciendi, commeatus ſub formula juris concederetur. Ille rebus omnibus in Diœceſi, ne quid mali detrimentive ex illius abſentia inde oriretur, providè ordinatis, exeunte anno MDCXXIII. *Angliam* remeavit, *Londinum* appellens, ad Aulam properavit, humillima & maximè debita auguſtiſſimo Patrono, optimè merito, obſequia delaturus. Cùm verò Rex more ſolito, tum ad Urbis moleſtias immodicosque calores vitandos, tum ad ſerenioris cœli amœnitatibus & deliciis fruendum, *Wanſtediæ* (oppidum illud, in Agro *Eſſexienſi* ſitum, *Londino* ſex circiter milliaribus diſſitum eſt) cervorum venationi intentus ſubſtiterit, D. *Uſſerius*, illò accerſitus, coram illo Aulicisque, qui Regem pro ratione officii in iſtis æſtivis ruſticationibus comitari ſoliti erant, concionem in hæc verba S. *Pauli* ad *Epheſ.* IV. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* 24°. Junii

Hac de cauſa *Angliam* repetit.

Coram Rege concionem habet.

Junii habuit, in qua ſolidè, eruditè, & ſapienter quidem de *univerſalitate Eccleſiæ Chriſtianæ & unitate fidei Catholicæ*, ab omnibus veris Chriſtianis ſolenni profeſſione agnita, prout magnum decebat Theologum, diſſeruit. Regis juſſu edita erat, ut quam ille optimo cum fructu & voluptate animi, audiverit, in publicam omnium utilitatem per univerſas *Britannias* typis exſcripta ſpargeretur.

Reſponſio ad provocationem cujusdam Jeſuitæ.

Hoc anno D. *Uſſerius Londini* edidit librum hoc titulo inſignitum, viz.

Reſponſio ad provocationem, à quodam Jeſuita in Hibernia *intentatam, in qua antiquæ Eccleſiæ judicium in dogmatibus controverſis verè traditum habetur, & præſentis Romanæ doctrinæ innovationes clarè & manifeſtè deteguntur.*

Hujus elaborati Operis, non alium Patronum quærere & adſciſcere aut potuit aut debuit, quam ſereniſſimum Regem, *Jacobum*, cui hanc *pro fide Sanctis ſemel tradita*, cujus erat & re & titulo ſtrenuus defenſor, concertationem longè acceptiſſimam fore habuerat compertum. Origo autem hujus controverſiæ paulò altiùs arceſſenda eſt. Ante ſex annos cùm *Gulielmus Malonius*, *Hibernus* Jeſuita, ſchedam, in qua, propoſitis quæſtionibus de invariata Religionis Chriſtianæ à primis ſeculis ad hodiernos *Romanenſes* derivatæ ratione, & de quibusdam fidei & doctrinæ articulis, à Reformatis, ut blaterat, penitùs rejectis oppugnatisque, pertinaciſſimè urget, ut iis ſatisfieret, ubique ſparſiſſet, ad deprimendum hujusce Provocatoris faſtum & gloriationem, in arenam deſcendens *Uſſerius*, mox breve & generale reſponſum, doctum herculè, & refellendis criminationibus impactis, ſi quod unquam, maximè proprium, quod in primo capite hujus novæ editionis continetur, in lucem extruſit: neque enim illius erat de iſtiusmodi articulis in charta provocatoria, quaſi per ſaturam, nudè abſque aliqua probatione, ſive ex S. Scripturis, aut antiquorum Patrum (quorum unanimem cum ipſis conſenſum crepuit) ſcriptis allata, recenſitis in ſpecie & particulatim agere: cum ſolius Reſpondentis partes ſuſcepiſſet, cum Adverſario, quandocunque ad novam pugnam proritaretur, preſſiori pede congreſſurus. Obmutuit verò Provocator, nec quicquam ultra hac ex

parte

parte per aliquot annos actum fuerat: & fortaſſe hujus litis memoria penitus intercidiſſet, niſi quidam Magnates utriusque regni preces & poſtulationes ſuas apud *Uſſerium* interpoſuiſſent, ut Eccleſiæ primitivæ de hiſce articulis illic memoratis judicium, teſtimoniis prolatis, inque longum productis, exhibere vellet, ut inde cuivis Lectori cordato, an *univerſi Doctores, Paſtores, & Patres Eccleſiæ primitivæ*, quod ſuave erat arrogantiſſimi Jeſuitæ inſomnium, hodiernis *Romanenſium* placitis conſenſiſſent, certiùs meliùsque conſtaret.

Hunc Commentarium quiſpiam cum Auctore jure appellaverit Dogmaticam Hiſtoriam, ſive Diſſertationem, de hiſce ſequentibus articulis: viz. *de traditionibus, de reali præſentia, de confeſſione, de Sacerdotali poteſtate remittendi peccata, de purgatorio, de orationibus pro mortuis, de limbo Patrum, & de deſcenſu Chriſti ad inferos, de orationibus ad Sanctos, de imaginibus, de libero arbitrio, & de meritis.* In hiſce explicandis D. *Uſſerius* ſe, licèt aliorum opiniones & ſententias pro re nata recitaverit, ſolam doctrinam in Eccleſia *Anglicana* publicè agnitam & ſtabilitam, inque libro Articulorum, de quibus in Synodo *Londini* MDCXII. habita convenerat, comprehenſam, tueri profitetur. Quod verò aliqui è noſtratibus, æſtu diſputationum nimiùm quàm abrepti, illum in paucis à vero Eccleſiæ ſenſu aliquatenus aberraſſe contenderint, cùm res iſtiusmodi mihi quidem parvi admodum momenti eſſe videantur, ab iis recenſendis penitus abſtinebo. Interim verò omnes uno ore conſentiunt, D. *Uſſerium* in lectione Patrum, tam *Græcorum* quam *Latinorum*, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, item & Scholaſticorum poſt *Lombardum*, & Theologorum adverſæ partis, qui controverſias tractarunt, optimè verſatum eſſe, neque cuiquam in hac peculiari Scientia (non enim ex ſubtilibus ratiociniis Dialecticisque ſtrophis, ſed conſentientibus Antiquorum teſtimoniis agendum erat) aut ingenii aut judicii ſolertia ceſſiſſe. Ad calcem libri Auctorum à ſe ſupra citatorum Catalogum juxta ſeriem temporum, quibus ſinguli vixerint, addendum curavit, quorum tamen omnium ætates accuratiori examine explorare, ac quid de illorum libris, eorundemque argumentis, deque ſcribendi ratione, cenſendum ſit, & quomodo genuini à dubiis & ſuppoſititiis diſtingui debeant, & denique quicquid ad illorum hiſtoriam illuſtrandam quoquo modo neceſſarium videretur, omni, qua potuit, diligentia excutere, in grandi opere, quod ſub *Bibliothecæ Theologiæ* titulo in uſum illorum, qui præclaro hoc doctrinam & ritus veteris Eccleſiæ cognoſcendi ſtudio tenerentur, dudum molitus eſt, ſi Deus vi-

Bibliotheca Theologica.

vitam otiumque dederit, edendo, apud ſe conſtituit. Sed quominus id operis, quod impenſiſſimè voluit, omnibus partibus numerisque integrum abſolvere potuerit, tum ſtudiis diverſi generis, tum turbatiſſimis temporibus, & miſeranda rerum in *Hibernia* & *Anglia* cataſtrophe, impeditus, vaſtam Collectaneorum molem viro doctiſſimo, & Amico fideliſſimo, D. *Gerardo Langbaino*, Eccleſiæ *Reginenſis Oxon.* Præpoſito, paulò antè mortem commendavit, ut ea omnia limato illius judicio perpolita, inque debitum ordinem digeſta, tandem aliquando in publicam lucem ederentur.

Dum verò ille ſchedarum *Uſſerianarum*, quas mures arroſerant, lacunis ſupplendis, operique utiliſſimo, ſingulis partibus ad examen revocatis, additamentisque ad ſua loca adductis, laborioſiſſimam impenderet operam, morbo correptus, quem ex intenſo frigore contraxerat, curandæ valetudinis, quam hiemalis rigor permiſerit, negligentior, ineunte Februario A. MDCLVII. juxta Eccleſiæ *Anglicanæ* computum, piam efflavit animam. Autographum poſtea ab hæredibus *Uſſerii* magno pretio redemit vir eruditiſſimus D. *Edwardus Stillingfleetus*, Decanus Eccleſiæ Cathedralis S. *Pauli Londini*, Exemplar duobus craſſis voluminibus, *in folio*, ut loquuntur, conſtans: quod quidem D. *Langbainus*, à me non ſine debito honore & obſervantia commemorandus, utpote benignus ſtudiorum meorum, quando ad Academiam primùm acceſſi, fautor, eleganti & accurata manu deſcribendum curavit, in Bibliothecæ *Bodleianæ* Archivis reponitur (a). Utinam verò quispiam inter *Oxonienſes*, huic negotio idoneus, deſideratiſſimam illius editionem denuò aggrederetur! Sed fortaſſe aliqui, poſt reverendi & eruditiſſimi Viri, D. *Gulielmi Cavei*, Regiæ Capellæ *Windſorienſis* Canonici, *Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoriam Literariam*, hanc minus neceſſariam fore cenſebunt.

Replicatio *Malonii* ad *Uſſerii* Reſponſionem.

A. MDCXXVIII. librum adverſus D. *Uſſerium* Anglicano idiomate *Duaci* edidit *Malonius* Jeſuita, hoc titulo prænotatum, viz. *Replica contra Reſponſionem* Usherii *pro antiquitate dogmatum fidei Romanæ.* Sed cum famoſus iſte liber non minus vernilibus dicacibusque dicteriis &

(a) *Jacobi Uſſerii Collectanea & judicium de SS. Patrum ſcriptis genuinis & ſuppoſititiis.* 2. vol. Vide Catalogum Codicum MSS. *Angliæ* & *Hiberniæ Oxon.* MDCXCVII. pag. 176. Horum *Collectaneorum* præclarum ſpecimen, viz. de antiquis S. *Chryſoſtomi* Interpretibus, de editionibus variis operum S. *Chryſoſtomi*, & de Scriptoribus vitæ ejusdem, uti & eruditiſſimam præſtantiſſimi viri, D. *Henrici Savilii* de Scriptoribus rerum *Chryſoſtomi* Admonitionem V. Cl. D. *Caveus* in *Hiſtoria Literaria* edidit.

& ſpurcis mendacibusque calumniis, quæ & Chriſtianum & Religioſum planè dedecebant, quam ſophiſticis cavillationibus maleque conſutis detortiſque Patrum ſententiis ubivis ſcateret, *Uſſerius* Amicorum, hunc *Therſitem*, qui cum *Achille* congrederetur, prorſus indignum eſſe judicantium, monitis & conſiliis obſecutus, nolebat bonas horas in hoc impudentiſſimo *Rabula* refellendo disperdere: & eò quidem minus ægrè, cùm tres Theologi *Dublinienſes*, *Hoyleus*, *Singus*, & *Puttæus*, illi in rebus longè majoris momenti occupatiſſimo vicarias operas addixerint; quod poſtea ſinguli ſeorſim cumulatim præſtitêre.

Uſſerius conſtituitur Archiepiſcopus Armachanus.

Dum in *Anglia* ſubſtiterit *Uſſerius*, reverendiſſimus D. *Chriſtophorus Hamptonus*, Archiepiſcopus *Armachanus*, & totius *Hiberniæ* Primas ultimum diem ſuum obiit, nempe Januarii tertio, ſtylo Anglicano, MDCXXIV. De ſubſtituendo Succeſſore in aula Regia multùm ſerioque deliberatum erat. Rex verò ſereniſſimus, poſt remoras amotas, D. *Midenſem*, cùm vix quenquam è Naucleris, qui iſtius Eccleſiæ clavum aut fortiori manu aut intenſiori oculo regeret, reperiri poſſe ſenſiſſet, ad iſtam eminentiſſimam dignitatem paulò antè mortem ipſius promovit, XXI. Martii, eodem ſtylo ejusdem anni. Centeſimus autem erat *Uſſerius* à S. *Patricio*, ſi calculus ritè ineatur, iſtius ſupremæ ſedis Antiſtes. Nuncium hoc, quod velox fama citò in *Hiberniam* pertulit, ibi ſumma cum lætitia accipiebatur; inde crebræ gratulatoriæ epiſtolæ, ſummâ reverentiâ & cordatiſſimo affectu refertæ, ad D. *Uſſerium* miſſæ, quem Eccleſiæ iſtius bono natum fuiſſe gratulantur, ipſius celerem in patriam reditum ardentiſſimis precibus exoptantes. Sed illis tam citò eſſe felicibus non licebat; quippe mox febri quartana per novem menſes in *Anglia* moram facere invito planè animo *Uſſerius* cogebatur.

Diſputatio Uſſerii cum quodam Jeſuita in Anglia.

Anno hoc ad finem vergente D. *Uſſerius* ſolennem cum quodam Jeſuita diſputationem, cui, licèt ſe non ingeſſerit, illam tamen lubenti ſuſcepit animo de quibusdam controverſis Religionis capitibus habuit, cujus occaſio hæc fuit.

Cùm vir nobiliſſimus, *Joannes* Baro *Mordantius* Communionis *Romanæ*, poſtea tertio R. *Caroli* primi anno, ad titulum, honorem, & dignitatem Comitis *Petroburgenſis* evectus, lectiſſimam feminam, *Eliſabetham Howardam*, uxorem ſuam, natalibus quoque nobiliſſimam, utpote *Gulielmi Howardi*, Baronis *de Effinghamia*, filiam & hæredem, &

ex illuſtriſſima *Howardorum*, Ducum *Norfolciæ*, gente oriundam, ad eandem amplectendam diu multumque allicere pertentaſſet, illa quò ab iſtiusmodi crebris moleſtisque interpellationibus decentiùs liberaretur, profeſſa, ſe de multis Romanæ fidei articulis dubitare, nec Eccleſiam *Anglicanam*, in qua nata & educata fuerat, relinquere aut poſſe aut velle, niſi convictam, in illa ſibi non manendum eſſe, niſi cum periculo ſalutis, petiit, ut amicæ inter eruditos utriusque partis viros collationes in illius præſentia haberentur, quò victrix Veritas inclinaret, quanta potuit animi ſolertia, dijudicatura. Cujus æquiſſimis poſtulationibus cùm facilè fuiſſet aſſenſum, Baroniſſa, conſentiente marito, re D. *Uſſerio* communicata, literis blandis illum, ut in Veritatis, pariter ac ſui ſubſidium venire dignaretur, invitavit. D. *Uſſerius* verò opem ejus aut fruſtra implorari, aut diu deſiderari, neutiquam paſſus, menſe Novembre, valetudine vix redintegrata, ad *Draytonam* in agro *Northamptonienſi* properavit, ibi omni reverentia ac cultu, quem ejus ſumma dignitas merita eſt, ab utrisque nobiliſſimis hoſpitibus exceptus. Illic reperit quendam Societatis Jeſuiticæ, *Bellomontium* nuncupatum, potius *Rookwoodum* nuncupandum (nomen iſtud in Hiſtoria Proditionis Pulverariæ ſatis notum eſt) Baroni à confeſſionibus, cum quo certamen hoc religioſum, procul omni faſtu, & quaſi depoſita dignitate, inibat. Triduo diſceptationes iſtæ de *tranſſubſtantiatione*, de *invocatione Sanctorum*, *de imaginibus*, *& de viſibili Eccleſia*, *& in genere*, *an religio*, *ex auctoritate publica tum civili tum Eccleſiaſtica in Eccleſia Anglicana ſtabilita*, *eadem eſſet cum Primitiva*, *an verò Romana*, *nec ne* : in quibus articulis excutiendis *D. Uſſerius* partes Opponentis ſuſtinuit, libris antiquorum Patrum ex inſtructiſſima Baronis Bibliotheca prius in medium productis, ſi qua foret illorum ſententias & teſtimonia explorandi occaſio. Quarto die cùm vice verſa articulos Religionis *Anglicanæ* impugnare Jeſuitæ ex condicto incubuiſſet, ille nolebat amplius in arenam prodire, hac excuſatione ſubmiſſa, *argumenta*, *quibus inter opponendum uſurus erat*, *juſto Dei judicio è memoria penitus excidiſſe*, *eò quod cum viro tam profundæ & conſummatæ eruditionis*, *licèt in tuenda Catholicæ Veritatis cauſa*, *injuſſu Superiorum*, *congredi auſus fuiſſet*. Quod quidem turpe effugium illi apud ſuos Symmiſtas, & potiſſimùm *ſeculares*, uti vocant, *Sacerdotes*, maximè in opprobrium & infamiam cedebat. Sed en hujusce diſputationis, cujus fama ubilibet percrebuerat, fructum eventumque! D. *Mordantia* in Eccleſiæ *Anglicanæ* communione magis magisque firma-

matur: Maritus verò vacillare primò cœperat, disjectisque sensim, quibus intellectus offuscaretur, præjudiciis, admissoque S. Scripturarum lumine, & liberiori Rationis hactenus oppressæ usu, relicta Ecclesia Romana, in *Anglicanam*, ubi purior viget Christianismus, illuminata mente transibat. Illustrissima Heroïna immortalem hujus beneficii memoriam apud se grato animo retinuit istud quantum quantum omni tempore, si daretur occasio, reipsa repensura. Cujus bonæ voluntatis in effectum dandæ non deerat opportunitas: cùm in calamitosissimis temporibus, flagrante tum in *Anglia* tum in *Hibernia*, impiissima rebellione, D. *Usserium*, omnibus fortunis suis penè exutum, per novem decemve annos ad mortem usque illa in suis ædibus, tum *Londinensibus*, tum *Surregiensibus*, summo cum honore & benignitate exceperit.

Tandem negotiis in *Anglia* confectis, integraque valetudine gavisus *Usserius* redit in *Hiberniam*.

Usserius, ex porta *Leverpoliensi* apud *Lancastrienses* Augusto mense MDCXXVI. solvens in *Hiberniam* prosperè navigavit: cujus longam absentiam quò ægriori animo tulerint, præsens jam & redditus patriæ effusiori gaudio lætioribusque auguriis à Magnatibus, Episcopis, & universo Clero, sub illius sapientissimo regimine certius Ecclesiæ præsidium majusque apud indigenas *Hibernos*, quantum illorum obstinatio pateretur, religionis incrementum, sibi spondentibus, excipiebatur.

Benignè in *Usserii* gratiam providebat ante mortem sereniſſimus Rex *Jacobus I.* literis in *Hiberniam* missis, ne quicquam de temporalibus sive reditibus istius Sedis, prout usu, contra omne jus fasque venire solet, ab iis, qui eorundem *custodiam*, ut verbo municipali utar, & administrationem procurant, in privatum commodum nimiùm quam intenti, licèt absuerit, minuendum: rationem accepti & dati ipsi ex debito reddendam, pecuniasque omnes, prout ille ordinaverit, solvendas & disponendas esse, ac si ibi præsens constitisset. Rex verò *Carolus I.* quo nemo Regum Ecclesiæ *Anglicanæ* unquam amantior, meliorve Patronus, pro cujus fide juribusque tuendis martyrium fortissimè subibat, paterni & verè augusti exempli æmulus, memorque, quanti ille D. *Usserium* ob reconditissimam eruditionem & fidem in rebus magni momenti præstitam æstimaverit, benignitatem munificentia auxit, & in verè regii affectûs & bonæ voluntatis arrham, quadringentas libras sterlingicas illi statim post reditum ex fisco istius regni numerari jussit.

Summa *Usserii* in isthoc munere Ecclesiastico administrando cura.

In hac sublimi specula positus D. *Usserius*, dum oculos circum circa per totam Insulam flectit, ante omnia & primum sibi ex officio incumbere

bere duxit, ut propriam Diœceſin, utpote peculiari ſubditam juriſdictioni, luſtraret, ſi qui defectus & errores, & quicquid perperàm factum fuerit, id omne emendaturus, ut illa nimirum eſſet reliquarum, ſaltem in iſta Provincia, concurrentibus ad idem ſanctum opus promovendum Suffraganeis, regula & menſura. Indicta igitur ſolenni *Viſitatione*, convocatiſque per partes ad ordinatas ſtationes Presbyteris, in illorum mores & doctrinam ſedulus inquirit, inſtanter monet, obteſtatur, jubetque, ut quiſque omnibus inſtituti ſacerdotalis partibus prudenter & ſtrenuè fungatur, & potiſſimùm, ut in Scripturis ſacris & Liturgia juxta canonas publicè legendis, ſint aſſidui, & ut vita profeſſioni reſpondeat: denique cùm pleroſque ex infima plebe ſive in cultioribus oppidis confertos, ſive agricolationi, & pecudibus alendis addictos, ſeorſim per campeſtria, aut propè lacus & ſylvas ſparſos, ſpiſſa rerum ſacrarum divinarumque ignoratione laborare, olim & adhuc-dum triſtis comperiſſet, urget quàm acerrimè, ut diligenti S. Scripturarum lectioni, frequentique prædicationi, Auditorum tenuioris tum fortunæ tum intellectus captui accommodandæ, & mentem & operam intendant. Iſtis enim fundamentis jactis, de illorum profectu in vitæ & civilis & Chriſtianæ officiis meliùs eſſet ſperandum neque aptior efficaciorque methodus iniri potuerit, qua mentes plebis intactæ & ab omni vel Pontificiæ ſuperſtitionis vel læſæ pietatis labe immunes ſervarentur.

Abuſus in Curiis Eccleſiaſticis graſſantes reformare & tollere nititur.

Cùm verò nimiùm clarè conſtaret, graves corruptelas in Curiis Eccleſiaſticis, quas vetuſtas malæque conſuetudines ſenſim introductæ firmaverant, irrepſiſſe, ſententiasque Adſeſſorum interdum ex poteſtate, perperàm arrogata, præter jus & æquum, licèt ſub ſpecie & umbra juris, latas, vi penè deſpotica executioni mandatas fuiſſe, illos omnes, qui qualicunque nomine & gradu inde pependere, utpote illius Adminiſtros, ac ſola poteſtate delegata, non arbitrario jure præditos, coram ſe citari & advocari juſſit, regulas, quibus exterius illud regimen, probè & honeſtè, & abſque querela & gravamine adminiſtrari poſſet, præſcripturus. Multa quidem reformavit, inque meliorem redegit ordinem: Sed cùm ex longo annorum decurſu, & praxi roboratæ altas radices egiſſent, vix quidem evellendas, lucroſæ quædam jurisdictiones, quas poſſidentes nolebant relinquere, & objectæ difficultates, ac ſi longus communiſque uſus feciſſet jus, planè inſuperabiles viderentur in præſens, licèt omninò invitus, ceſſit, malis iſtis remedium opportuniori tempore adhibiturus.

Dum

Dum verò in rebus tum Diœceſeos, tum provinciæ ritè ordinandis, inque veteri diſciplina revocanda, lento pede proceſſerit D. *Uſſerius*, negotia difficillima, & maximi quidem momenti, quæ illius & reliquorum *Hiberniæ* Epiſcoporum cogitationes menteſque occupaverint, in quibus cauſa religionis, quæ in magnum adduci diſcrimen inde viſa eſt, agebatur, ex inopinato interceſſere. *Anglia* hoc anno, bello cum *Hiſpanis Galliſque*, ad quos malè affecti erga Patriam, tanquam Patronos & Protectores, transfugere pridem conſueverant, ſimul ac eodem tempore implicita, copias militares, quæ in arcibus & propugnaculis juxta oras maritimas *Hiberniæ*, aut alibi locorum ſitis, diſpoſitæ erant augere: tum ad arcendos hoſtium inſultus impetuſque, tum ad reprimendas domeſticas tumultuantium & ſeditioſorum machinationes, ſereniſſimo Regi *Carolo* primo & utriuſque regni Conſiliariis opportunum, imò & neceſſarium, videbatur: tantilli autem numeri (non enim peditatus ultra quinquies mille præſidiarios aſſurgebat, equitatus verò ſub decupla proportione minor) ſtipendiis exſolvendis, demptis nimirum oneribus penſionibuſque, quas civile regimen exegerat, annui iſtius Inſulæ reditus, ſive ob vectigalium defectum, ſive ob incolarum, ferax ac pingue ſolum nequicquam aut ſaltem non debita induſtria aut labore colentium, aut ignaviam aut paucitatem neutiquam ſuffecere. Summa ratio & æquitas poſtulaverunt, ut ſinguli pro facultate ſua, publicæ pacis, in qua omnium felicitas continetur, ſecuritati firmandæ conducerent. Sed ſuſpiciones malæ de aucto exercitu, & de novo cenſu, quo alendus erat, ne perpetuus foret, *Hibernos*, præſertim *Romanæ* communionis, qui maximam Gentis partem conſtituebant, à dandis ſubſidiis averſos ac alienos reddidere. Ad quorum obſtinationem expugnandam D. *Deputatus* & Conſiliarii, ut omnis juſta querelæ occaſio adimeretur, quaſdam pœnales leges quibus obnoxii erant, pro tempore relaxandas propoſuere: majora, ſi meruerint, indulturi. Illi verò ſuperſtitionis ſuæ *tolerationem* pecuniis mercari, ſpe & animo elati, voluere. Quod D. *Armachano* aliisque Epiſcopis maximè diſplicuit, qui, quàm peſſimi exempli eſſet infame iſtud pactum, & quantum malorum inde traheretur, ſatis providi, frequentibus hâc de re, in qua Eccleſiæ ſalus vertebatur, conſultationibus apud (a) *Pontanam* in ædibus D. *Uſſerii*, qui illos illuc invitaverat, initis, huic indulgentiæ, ſi qua proponeretur, publicè reclamare unanimi.

Diſceptationes in *Hibernia* de copiis militaribus.

Uſſerius reliquique Epiſcopi ſe tolerationi in favore Pontificiorum concedendæ ſtrenuè oppoſuerunt.

(a) Vide Epiſtolam CXVI D. *Uſſerii* ad D. *Georgium Abbottum* Archiepiſc. *Cantuar.* in *Sylloge*. p. 376.

unanimo conſenſu apud ſe conſtituerunt, formulamque *Proteſtationis*, opportuno tempore proferendam, XXVI. die Novembris nominibus ſubſcriptis ſignarunt: Solenni Comitum, Baronum, aliorumque nobilium utriuſque communionis conventu, ut de hoc negotio diſceptaretur in magna aula arcis *Dublinienſis* XXIII. Aprilis A. MDCXXVII. indicto, coram D. *Deputato*, aliiſque primariis viris, in Eccleſia *Chriſti* pro more congregatis. D. *Georgius Downamus*, Epiſcopus *Derenſis*, concionem habuit, in qua occaſione captata de malè ſubjicienda artibus politicis ſecularibusque commodis Religione & conſcientia, & de gravi ſcandalo ex hac animarum, ob pecuniæ inde colligendæ aucupium, licitatione, orituro diſſerendi, dicens *hanc non ſolam ſui ipſius ſententiam & judicium, ſed omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum iſtius regni eſſe*, chartam ſupra memoratam protulit, & clara voce publicavit; quæ ſic ſe habuit:

Judicium quorundam Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ *de toleratione religionis.*

Religio Papiſtarum eſt ſuperſtitioſa & idololatrica: illorum fides & doctrina erronea & hæretica: illorum Eccleſia reſpectu utriuſque Apoſtatica. Ideo ejuſmodi tolerationem indulgere & conſentiri, ut facultas iſtam Religionem exercendi, fidemque iſtam profitendi, illis daretur, grave peccatum eſſe hoc duplici nomine liquet:

I. *Hoc modo nos ipſos acceſſarios præſtamus* (h.e. facinorosè ſi non conſilio, ſaltem ſilentio ſubvenire videbimur) *non ſolum illorum ſuperſtitionibus, idololatriis, & hæreſibus, & in ſumma, omnibus Papiſmi abominationibus, ſed etiam, quod inde ſequitur, animarum ſeductarum, quæ in Catholicæ apoſtaſiæ alluvione peribunt, perditioni.*

II. *Hanc tolerationem concedere ob pecunias dandas, contributioneſque ab illis colligendas, idem eſt, ac religionem, & unà cum illa, animas populi, quas Chriſtus Salvator noſter pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, venum exponere. Ut verò hoc ingens flagitium eſt, ita multa mala inde conſecutura eſſe non minus periculum. Hæc ſapientibus & judicio pollentibus perpendenda commendamus: obſecrantes Deum Veritatis, ut omnes, qui publicis muneribus admoventur, ſanctiſſimi Numinis gloriæ & augmenti veræ Religionis ſtudioſiſſimos reddat: item pariter zelantes, firmos, & fortes adverſus omnem Papiſmum, ſuperſtitionem, & idololatriam: Amen.*

Ceſ-

Ceſſante Auditorum Amen concinentium acclamatione, extemplo ſubdidit Concionator, *hoc ab ipſis non malo animo aut in Reipublicæ detrimentum & incommodum dictum aut factum fuiſſe, ſed ex amore Patriæ & Religionis, quarum utramque in omne ævum ſalvam fore impendiò cuperent, ſe quidem velle, ut numeroſior exercitus ſtabiliretur: interim tamen multiplicis iſtius* GRATIÆ, *Pontificiis nuper ea de cauſa oblatæ, cujus plurimam partem non ſine divini nominis, etiam & regii, contumelia & Eccleſiæ* Hibernicæ *incommodo indulgeri poſſe pro certo credebant, diſtributionem ſoli Regi, reſervandam eſſe, atque hoc publicæ neceſſitatis tempore unumquemque, ſi boni civis & Chriſtiani famam integram ſervare velit, laboranti patriæ ſuccurrere oportere.*

Sequente Dominica coram iiſdem Magnatibus idem argumentum pari zelo pertractavit D. *Uſſerius*, in illos, ſi qui fuerint, *qui ex ſeculæris commodi intuitu, inſtar proditoris Judæ Chriſtum pro triginta denariis argenteis vendere* in animo habuerint, potiſſimùm invectus. Verum tam flagranti zelo efferbuere Præſules, ut nobilibus Reformatæ communionis in eandem ſententiam facilè pertractis, conditionibus in gratiam Pontificiorum propoſitis nullatenus aſſenſum fuerit: hi verò, niſi iiſdem conceſſis ſancitiſque, onus iſtud ſubſidiorum ſibi impoſitum iri obſtinatò recuſarunt.

Uſſerius de pecuniis pro defenſione regni ſuppeditandis in camera arcis Regiæ perorat.

Dum autem haſce lites acerrimâ animorum & vocis contentione alterutrinque agitatas, pro ſapientia ſua D. Deputatus & Conſiliarii ſuavibus modis, h. e. ſuaſibus & argumentorum è rationibus politicis petitorum vi componere ſtuderent, D. *Uſſerius* ab utriſque partibus contendentibus magno honore habitus, illorum juſſu in Camera arcis Regiæ, uti appellatur, triceſimo die Aprilis A. MDCXXVII. gravem habuit orationem, in qua debilem regni ſtatum, quam repellendis hoſtibus publicæque paci conſervandæ omninò impares eſſent, ſtrageſque belli, omnes abſque aliquo diſcrimine inexplicabilibus malis obruturi, quod exercitus ſub ſeveris diſciplinæ militaris regulis aut prævertere aut ſopire ſolus potuit, ſub oculos ponens, oſtendit neceſſitatem quaſi inevitabilem urgere, ſi ſuæ, ſi ſuorum ſaluti conſulere vellent, ut citra omnem moram, ſubſidia in commune bonum patriæ expetita promptiſſimè abſque omni prævia ſtipulatione darentur: nubes atras ingruere & cogi incipientes, ni diſſiparentur, in fulmina & tonitrua erupturas eſſe: de exterorum hoſtium inſultibus, uti etiam de domeſtica rebellione metuendum eſſe: intertextis tamen Pontificiorum fidei qui ex ſtirpe *Anglica*

prognati, aut prædia à Rege, ſupremo Domino, ſub certis annexis ſervitiis ſibi & hæredibus derivata poſſident, laudibus: (cujus inſigne ſpecimen in nupera rebellione Comitis *Tiræniæ*, regnante Regina *Eliſabethâ*, dederant, utpote nullis Regis *Hiſpaniæ* blanditiis & promiſsionibus allecti, nullis Papalibus Brevibus & Bullis, nulliſque Academiarum *Salmanticenſis* & *Valliſolitanæ* declarationibus territi aut convicti) ſimul de communi ſalute providendum eſſe: exceptiones ex mutuo ſibi contradicendi ſtudio arreptas, neutiquam valere: nullamque juſtam metuendi cauſam, quaſi illorum aut poſterorum libertas inde læderetur, aut voluntarium iſtud ſubſidium in jus coronæ deinceps tranſiret: tandem obnixiſimè monet, ex principiis religionis & conſcientiæ, quibus omnes boni ſubditi tenentur, ut præſtare, quod fas & æquum exegerint hoc in articulo præſtandum; nullaque conditionum mentione facta, totum illud, de quo controverſum fuerat, ſereniſsimi Regis ſapientiæ & prudentiæ relinquere vellent. Sed mentes altercantium, qui ſuis freti opinionibus, ad varios fines collimarunt, nulla eloquentia, rationibus nullis, ſive ex Theologiæ, ſive ex ſanioris Politicæ adytis ab *Uſſerio* depromptis conciliari potuere.

Sereniſsimus Rex orationem hanc, in qua pii admodum Epiſcopi & fideliſsimi Conſiliarii officio & munere pari laude, & præclariſsimè quidem, functus eſt D. *Uſſerius*, ſibi in *Angliam* à Conſiliariis *Hibernis* tranſmiſſam gratioſo affectu excepit & approbavit.

Libros MSS. ex Oriente magno impendio procurat advehi.

Inter iſtas multiplices curas, quibus diſtinebatur *Uſſerius*, ex quo ſacrum Epiſcopale munus iſti concreditum fuerit, ſtudium literarum, quo ab ipſa juventute incaluerat, novo fomite ſuperaddito redaccenſum, latius ſe diffudit. Non enim libros omne genus, ubi ubi typis exſcriptos, in Bibliothecam congeſſiſſe contentus, abditos *Syriæ*, *Palæſtinæ*, & *Meſopotamiæ* receſſus, nullis parcens ſumptibus, inveſtigari curavit, ut codices manuſcripti melioris notæ, & quantivis pretii, inde eruerentur, in Chriſtianum orbem invehendi: ubi linguarum Orientalium cultura florere, inque non mediocri honore haberi, nuper incepiſſet. Hac de cauſa ope & diligentiâ reverendi viri, *Thomæ Daviſii*, qui tum Mercatoribus *Anglis*, *Halebi* degentibus, erat à ſacris, per quadriennium uſus eſt, & quidem feliciſſimi. Non hîc omnium librorum mènu exaratorum, procurante induſtrio iſto proxenetâ, indicem, ſi daretur, proferre libet; cum ii, quoad maximam partem in Bibliothecis *Oxonienſi* & *Dublinienſi* dudum repoſiti, ex magno opere Catalogorum *Oxonii*

A.

A. MDCXCVII. publicato peti poſſint. Horum de præcipuis pauciſſimos, qui vetuſtiſſimas S. Scripturarum verſiones complectuntur, pauculis adnotationibus inſertis, memorabo.

Pentateuchus Samaritanus.

Imprimis vero recenſendus venit Pentateuchus Samaritanus, quem licèt Hebraïcæ veritati millies poſtponendum cenſuerit, tamen tum ob ſingularem raritatem, cùm (a) vix aliud exemplar, ſi fortè illud, quod *Petrus à Valle*, Patricius *Romanus*, ex Oriente tatulerat, excipiamus, in *Europa* antea comparuiſſet, tum ob uberrimum fructum ſacroſque uſus, in explicando Hebraïco textu & Græca verſione, inde depromendos, ingentis theſauri loco habuit. Ille verò primus omnium, Hebraïco & Samaritano textibus ſimul accuratè collatis, variantes lectiones collegit, quas Reip. literariæ communicaſſet, ſi quiſpiam ex noſtratibus Typographis, certiori lucro inhiantibus, id operis, cujus beneficium & momentum pauci aut intellexerint, aut ritè & ſatis pro dignitate æſtimaverint, edendum ſuſcepiſſet. Qua opportunitate neglecta, V. Cl. *Joannes Morinus*, è Congregatione Oratorii Presbyter, poſt paucos annos, primæ editionis gloriam ſibi ſoli aſſeruit. Sed vir ampliſſimus & doctiſſimus, *Joannes Seldenus* noſter, de apparatu Chronologico ad Epochas veterum Græcorum, in vetuſtiſſimo marmore, nuper maximis illuſtriſſimi Viri, *Thomæ* Comitis *Arundelliæ*, ſumptibus, unà cum multis aliis ex *Græcia* in *Angliam* invecto, in quo, ut hoc obiter addam, Hiſtoriæ mille trecentorum annorum per intervalla, h. e. à *Cecrope*, primo *Athenienſium* Rege, ad tempora paulò ante *Alexandrum* magnum, compendium continetur, repræſentatas; item de Chronologia ſacra, & præſertim de iſta, quæ in *Samaritanorum* Pentateucho hodiè exſtat, maximè ſolicitus, D. *Uſſerium* literis rogavit, ut integrum quintum caput *Geneſeos*, & partem undecimi, quanta nimirum ad Patriarcharum Poſt-diluvianorum annos refertur, exſcribi curaret; quod ille integerrimi Amici precibus facilè obſecutus, typis ſumma cum accuratione deſcriptis delineatiſque abundè præſtitit: mantiſſæ loco (b) Epiſtola addita, in qua *Samaritanorum* computum, à *Joſepho Scaligero* publici juris factum, & quicquid de eodem apud *Julium Africanum*, *Euſebium Cæſarienſem*, & *Georgium Syncellum* occurrit, ad examen revocat, ſummoque cum judicio expendit, Periochas iſtas de Patriarcharum annis ex hoc codice, bene-

A. MDCXXVII.

H 2

(a) V. Epiſtolam D. *Uſſerii* ad *Ludovicum Capellum* in calce ad *Syntagma de Græca LXX. Interpretum verſione*. Londini 1655. 4°. pag. 215. & in *Sylloge* epiſt. CCLXVII. pag. 576.

(b) Edita eſt in *Sylloge* Epiſt. CXXII. pag. 383.

beneficio reverendiſſimi noſtri Antiſtitis tranſumptas fuiſſe *Seldenus* in Prolegomenis ad Marmorum Arundellianorum Inſcriptiones *Londini* MDCXXVIII. editas gratus, adjectiſque magnificis elogiis, agnovit. Hoc ipſum verò Exemplar nobiliſſimi viri, & arcta amicitia conjunctiſſimi, D. *Roberti Cottoni*, Bibliothecæ, inſcriptione propria manu exarata, dedicavit, quam hîc paulò correctiorem Lector curioſus, cui iſtius incomparabilis Bibliothecæ catalogus, à me *Oxonii* antè octennium editus, ad manum non eſt, iterum, & fortaſſe cum nova voluptate perlegere non dedignabitur.

Pentateuchum Samaritanum *à decem tribuum reliquiis, poſt regni Iſraelitici excidium, primo acceptum, à* Doſitheo, Samaritarum *Pſeudo-propheta, temporibus Apoſtolorum, poſtea interpolatum, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus* (Euſebio, Diodoro, Hieronymo, Cyrillo, Procopio, Aneſpero, Georgio Chronographo) *identidem citatum, atque à* Cuthæis *hodiernis demum redemptum, Bibliothecæ* Cottonianæ (*quæ amiciſſimi Domini ſumma humanitate ſemper mihi patuit.*)

L. M. D.

JACOBUS USSERIUS
Armachanus, Hiberniæ Primas.

Infra: (a) *Ex Librarii notatione ad calcem* Geneſeos *colligimus, exemplar hoc ſexcentis ſiclis argenteis* (*h. e. libris* Anglicanis 75.) *emptum fuiſſe menſe Rabie anni* 792. *regni* Iſmaelis, *circa Martium viz. menſem anni æræ Chriſtianæ* 1390.

JACOBUS ARMACHANUS.

Hoc

(a) *Franciſcus Taylerus* in Epiſt. ad D. *Uſſerium*. In *Sylloge* CLXXXIII. p. 475. Peculiarem inſuper Dominationi veſtræ gratiam debet hoc opus, cujus ſumptibus & cura Exemplar Samaritanum nobis in *Anglia* primò communicatum fuit, & in Bibliotheca *Cottoniana*, in doctorum ſeculis etiam venturis commodum reconditum.

Hoc monimento ſacro non parum, ut videtur, delectatus *Uſſerius* plura alia exemplaria ſibi è *Sichemo* comparavit, quorum alterum Viro maxima (a) D. *Gulielmo Laudo*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, in archivis, illius nomini ſacratis, in Bibliotheca *Bodleiana* repoſitum, alterum verò viro clariſſimo (b) *Ludovico de Dieu*, dono dedit. Hic verò ampliſſimum iſtud munus, *quo beatus erat*, verba ipſius ſunt, longè acceptiſſimum fuiſſe, in epiſtola dedicatoria ad D. *Uſſerium* animadverſionibus in *Acta Apoſtolorum*, *Lugduni Batavorum* MDCXXXIV. editis, præmiſſa, ſubmiſſiſſimo affectu & obſequio teſtatur.

Accedit (ut à memorandis S. *Ephremi* Opuſculis, (c) & quibuſdam fragmentis Samaritanis prorſus ſuperſedeam) Pentateuchus *Syriacus* ex Ebraico. Pentateuchus *Syriacus*, & alii codices.

(a) *Pentateuchum hoc* Samaritanum, *in principio & fine mutilatum; antiquiſſimis* Phœnicum *literis deſcriptum, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus*, Euſebio, Diodoro Tarſenſi, Hieronymo, Cyrillo, Procopio, Gazæo, Georgio Syncello, *& aliis ſapiùs eſt citatum, à* Cuthæis *verò hodiernis, una cum aliis aliquot eorum monumentis, redemit,*

JACOBUS USSERIUS *Armachanus, Hiberniæ Primas.*

Paulò infra propria manu ſubſcripſit D. *Laudus*;

Qui librum hunc mihi dono dedit,

W. CANT.

In fine additur: Folia poſtrema hæc ſex, juſſu reverendiſſimi Præſulis, *Gulielmi Laud*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, deſcripta ſunt ex vetuſto, eoque integro, Bibliothecæ *Cottoniana* exemplari: quod anno *Ismaelitarum*, ſive Hegiræ *Mahommedanæ* DCLXIV. id eſt, ſalutis reparatæ. A. MCCCLXII. junctis operis in Oriente exararunt *Ithamar ben Aharon* atque *Abraham ben Abi Nitzaion*, nomine ſeu auſpiciis *Semoki Tobi Iſaak, ben Semoki Selomoh, ben Jacob*, ex familia *Iſburiana*, ſummo in agro *Damaſcene* principatu inſigni: Sic *Abraham* ille ad *Numerorum* calcem in memorato exemplari ſubnotavit. Hæc, & alia non pauca, juxta indiculi, quem ſubinde & pro re nata *Oxonium* tranſmiſeram, directionem & normam, elogia & teſtimonia, ex libris impreſſis, olim à me in Bibliotheca *Bodleiana* conſultis inſpectisque, fruſtra autem in hac Urbe quæſitis, non minus promptè, quam benevolè, accurata & eleganti manu, nec rogatu exſcripſit vir pereruditus, *Thomas Hearnus*, Artium Magiſter, ex Aula S. *Edmundi*: cujus egregiæ humanitati me multum debere agnoſco.

(b) V. Epiſtol. CXLVI. D. *Uſſerii* ad *Ludovicum de Dieu*: in *Sylloge* pag. 413.

(c) De hiſce aliisque libris ex Oriente, ipſius cura & ſumptibus procuratis, vide D. *Uſſerii* Epiſtolam ad *Ludovicum de Dieu* A. 1632. ſcriptam in *Sylloge*. Epiſt. CLXXIV. pag. 462. & Epiſt. CLXXV. pag. 464.

Ebraico textu verſus, liber venerandæ antiquitatis, majoris æſtimandus, eò quod vix in Chriſtiano orbe anteà aut viſus aut cognitus fuerit, qui olim reverendiſſimi viri, *Jeſu Jabi*, Patriarchæ *Jacobitarum*, tunc temporis *Amidæ*, urbis, magnæ in *Meſopotamia* celebritatis: ad *Tigrim* ſitæ, reſidentis, erat peculium. Eccleſia enim Chriſtiana *Syrorum* duplici SS. Scripturarum verſione olim uſa eſt, hac *ſimplici*, ut appellant, *Thaddæi* Apoſtoli, ut volunt, vel, ut alii fingunt & mentiuntur apud (a) *Gregorium Abulpharagium*, *Solomonis* & *Hirami* temporibus factam; & altera juxta Græcam τῶν LXX. verſionem, cujus exemplar habuit, uti & Arabicum: Codex item N. Inſtrumenti, qui alia, quæ in editionibus viri præſtantiſſimi, *Alberti Widmanſtadii*, Cancellarii *Auſtriæ* & *Guidonis Fabricii Boderiani* deerant, viz. ſecundam epiſtolam *S. Petri*, & ſecundam & tertiam Epiſtolas S. *Joannis*, Epiſtolam S. *Judæ*, & *Apocalypſin*, hanc pridem à *Ludovico de Dieu* è MS. exemplari *Joſephi Scaligeri*, *Lugduni Batavorum* A. MDCXXVII. illas verò à Cl. V. *Edwardo Pocockio*, è codice Bibliothecæ *Bodleianæ* MDCXXX. ibidem editas, uti etiam hiſtoriam mulieris in adulterio deprehenſæ: quæ ſanè in antiquiſſimis codicibus deſideratæ, aliûs, & quidem longè recentioris Interpretis fuiſſe videntur, continebat: item Pſalterium *Syriacum*, à *Gabriele Sionita*, doctiſſimo *Maronita*, *Romæ* prius quoque editum, uti & *Arabicum*. (b) Vetus Teſtamentum *Syriacum* ipſe edere decreverat: qua de cauſa quendam in *Hollandiam* ad coemendos typos dedita opera miſit; ſed neſcio, an difficultate, an magnis ſumptibus, in magno iſto opere impendendis, à propoſito penitùs ceſſavit. Hos verò omnes ſacros libros, quàm primùm ſanctum iſtud edendi Biblia Polyglotta propoſitum ipſi innotuiſſet, celeberrimo viro, D. *Briano Waltono*, utendos dedit D. *Uſſerius* (c) è quibus non parùm utilitatis & momenti incomparabili iſti in difficillimis temporibus ſub tyrannide *Cromwelliana* procuratæ, editioni accreviſſe, omnes in hiſce libris tractandis paulò verſati norunt, & qui optimè novit, doctiſſimus

(a) In *Hiſtoria Dynaſtiarum*. pag. 100.

(b) V. illius Epiſtolam ad *Ludovicum de Dieu* in *Sylloge* pag. 488.

(c) Ex his ſex poſt mortem utriusque hæredibus reſtitutos pecuniis numeratis redemerunt Bibliothecæ *Bodleianæ* Curatores. Vide Catalogum codicum MSS. *Angliæ* & *Hiberniæ*. A. MDCXCVII. pag. 156. b.

mus (a) Editor, tum in præfatione, tum in Prolegomenis, & in Apparatu, ſumma cum *Uſſeriani* nominis reverentia & debitiſſimo grati animi ſenſu profitetur. Nemo ſanè theſaurum cujusvis generis literarium aut ardentiori ſtudio & cupiditate inveſtigavit & acquiſivit; nemo liberaliori manu & benigniori animo viris doctis, tam in *Anglia*, quàm extra *Angliam*, in commune Religionis & bonarum literarum bonum, communicavit.

Uſſerius arctam cum D. Laudo amicitiam contrahit in magnum Eccleſiæ Hibernicæ commodum.

Circa A. MDCXXVIII. D. *Uſſerius* literarium commercium cum reverendiſſimo viro D. *Gulielmo Laudo*, tunc temporis, Epiſcopo *Londinenſi*, ſumma gratia apud Sereniſſimum Regem *Carolum I.* qui illius conſiliis prudentiſſimis in rebus ad Eccleſias *Britannicas* quoquo modo ſpectantibus moderandis uſus eſt, pollente, inſtituere cœperat, quod duravit per duodecennium uſque ad Rebellionem *Scoticanam*, quo tempore in *Angliam* Eccleſiæ & ſtudiorum causâ remeavit. Nec illum deſtituit D. *Laudi* induſtria, maximèque benevolus erga tum Academiam *Dublinienſem* in ſtatutis ad meliorem diſciplinæ adminiſtrationem, fructuoſiuſque Collegii, de cujus perpetua felicitate & commodo omni tempore fuit maximè ſolicitus *Uſſerius*, incrementum, tum Eccleſiam *Hibernicam* affectus, ſi quid enim incommodi, ſub quo ingemuit Clerus, præſertim, ut cum honore dicam, *Ruſticanus*, eſſet amovendum, ſi qui abuſus in externo Regimine Eccleſiæ per Commiſſarios, Regiſtrarios, alioſque Spiritualium Curiarum Officiales admiſſi irrepſiſſent; ſi quæ ſacrilegæ prædiorum Eccleſiaſticorum invaſiones (hoc enim infami titulo *impropriationes* iſtæ, uti appellantur, notari debent) ſub Magnatum nobiliumque, ea, aut vi aut fraude ſimoniaca malisve artibus occupantium, præſidio invaluiſſent; ſi glebæ & decimæ, ſuſtentandis Parochis Presbyteris à piis Benefac-

(d) In *Prolegomenis* XI. p 81. de *Samaritanis* & eorum Pentateucho ejusque verſionibus.

Secunda verſio eſt Arabica, *literis* Samaritanis *exarata, quam ſimul cum textu* Ebraico Samaritano, *inter alia MSS. exemplaria, nobis communicavit reverendiſſimus* Armachanus.

Prolegom. XIII. De lingua Syriaca & Scripturæ verſionibus *Syriacis.* pag. 29.

Exemplaria MSS. quibus uſi ſumus, duo nobis ſuppeditavit reverendiſſimus Uſſerius, *quorum unum ſolum Pentateuchum compl. ſtitur. Liber veneranda antiquitatis*, & accuratè ſcriptus. Aliud totum continebat V. T. exceptis Pſalmis: (quos antea evulgaverat *Sionita*) quod magnis ſumptibus ex codice Patriarchæ *Alexandrini* tranſcribi curavit.

factoribus deſtinatæ, in Laïcorum tranſiiſſent poſſeſſionem; de hiſce & hujusmodi rebus maximi momenti conſultus D. *Laudus*, auſpiciis Regis, remedia malis iſtis, aut inveteratis, aut ingruentibus, curandis idonea adhibere anniſus eſt. Et adhibuit quidem quantùm in ſe erat. Nec enim duorum triumve annorum opus erat, utpote longè majoris molis, ut expilationibus iſtis, quæ longiſſimo temporis tractu corroboratæ, iſtam Eccleſiam penè peſſumdediſſent, ſublatis, priſtinus rerum ſtatus, quantùm intricatiſſimæ vices ſinerent, in integrum reſtitueretur. Hanc inſignem gloriam, hoc maximum decus poſt paucos annos ſibi meritiſſimo jure vendicavit illuſtriſſimus Heros, *Thomas Wentworthus*, Comes *Straffordiæ*, qui à Rege *Carolo* ſupremus iſtius Inſulæ Gubernator & Prorex conſtitutus, de Corona ſive Monarchiâ *Angliæ*, cui hactenus fuerat damnoſa *Hibernia*, jam non mediocre ex auctis vectigalibus, proventibusque annuis, è mercatura & induſtria Advenarum incrementum percepturæ, & de univerſa Eccleſia *Hibernica* præclariſſimè meruit. Ille enim Vir excellentiſſimus, ſacro ingentique zelo percitus, primo in *Hiberniam* acceſſu hoc aggreſſus eſt, quem D. *Uſſerius* in epiſtola (a) A. MDCXXXV. ad D. *Laudum*, tum factum Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſcripta, appellat *novum* Zerobabelem *à Deo ad ruinas iſtius collapſæ Eccleſiæ reparandas ſuſcitatum*, forti animo publicè profeſſus, ſe *iis vel maximi nominis, qui ſancta devorantes, diſſipatum Eccleſiæ patrimonium in hæreditates filiis & filiabus tranſmittendas, converterunt, adverſari.* Inter *Laudum* & *Straffordium*, arctiſſima interceſſit neceſſitudo & amicitia: ambo autem, ut hoc, licèt extra locum, interſeram, jurium, tum Regiæ Majeſtatis, tum Eccleſiæ *Anglicanæ* contra Schismaticos miniſtellos, factioſosque Proceres, & cives, quorum illi famoſis libellis, concionibus, calumniisque quaquaverſum ſparſis, hi verò ſubdolis artibus & machinationibus, falſiſſimoque publicæ pacis & tranquillitatis tuendæ prætextu, quaſi Religio reformata & libertates populi ſtetiſſent in præcipiti, plebem, miſerrimum in modum deluſam, primò ad obmurmurationes & querelas, deinde ad ſeditioſos tumultus, tandem ad arma incitarunt, ſtudioſiſſimi: ambo cruenta morte, contra omne jus divinum & humanum, à rebelli Senatu Parlamentario, hic duodecimo Maii A. MDCXLI. ille verò deci-

D. *Wentworthus* de Eccleſia *Hibernica* optimè meritus.

(a) In Epiſt. CLXXIII. pag. 460. in *Sylloge*.

cimo die Januarii A. MDCXLIV. ſtylo *Anglicano*, in colle juxta Turrim *Londinenſem* perempti.

D. *Laudus* Academiæ *Dublinienſis* Cancellarius.

Mortuo D. *Georgio Abbotto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, menſe Auguſto A. MDCXXXIII. ad primatialem iſtam dignitatem illicò promovetur D. *Laudus*, quem mox ex commendatione & hortatu D. *Uſſerii* in Cancellarium Univerſitatis *Dublinienſis* elegerunt Præpoſitus, & Socii Collegii S. Trinitatis, penes quos jus & arbitrium eligendi erat; de quorum, uti & Succeſſorum, in ſeculis venturis, feliciſſimo & proſperrimo ſtatu, ut nemo anteà ſolicitior, ita ut Religio ab omni tum ſuperſtitionis Papiſticæ, tum Puritanismi labe & fermento intacta, ſolidæ doctrinæ & diſciplinæ ſeveriores ſtudia ibi perennarent, introductis, cum illorum conſenſione ſtatutis, ſapientiſſimisque conſiliis pro occaſione ſubinde repetitis, indefeſſo labore omni Cancellariatus ſui tempore animum advertit: nec minorem ſedulitatem apud Regem & Proregem adhibuit, ut viri pietate, eruditione, & prudentia inſignes, ſive illic, ſive in *Anglia* educati, quantùm humana ſagacitas in profunda & ſecreta hominum penetrare poſſet, ad Epiſcopales reliquasque præcipuas Eccleſiaſticas dignitates promoverentur. Hiſce verò in rebus D. *Laudus* ſemper habuit D. *Uſſerium* fidelem Amicum & Conſultorem. Sedè diverticulo ad viam redeo.

D. Vicecomes *Falcolandiæ*, in *Angliam* reverſus, vindicatur.

A. MDCXXIX. Vir nobiliſſimus, D. *Henricus Cary*, Vice-comes *Falcolandiæ*, qui *Hiberniam* ſumma cum fide & prudentia per ſeptem annos rexerat, à quibuſdam Adverſariis Pontificiæ Religionis, quaſi in multis contra pacem publicam & Regis honorem & commodum iniquè & perperàm egiſſet, poſtulatus, abrogata poteſtate, jubetur in *Angliam* reverti. Criminationes verò iſtæ hinc originem habuere, quod ſacrificulis nimiùm quantùm inſoleſcentibus, conceſſæque indulgentiæ limites audaci protervia ſupergreſſis, tum hi, tum *Hiberni* populares, ex ſua levitate ad ſeditionem proclives, ſed longè illorum impulſu procliviores facti, ſeveris edictis, juxta tamen legum normam, editis, in ordinem cogerentur. D. Deputatum ad littus marinum honoris teſtandi causâ comitari Conſiliariis placuit: quos dum egregia comitate, jam jam navem conſcenſurus, promiſcuè complexus fuerit, oratione ad D. *Uſſerium* converſa, illius benedictionem flexis genibus rogavit, & quidem tenerrimo cum affectu, utpote illi longâ amicitiâ, mutuis benevoli affectus officiis alterutrinque cultâ, conjunctiſſimus. Pauca cum venia Lectoris ad viri nobiliſſimi famam & honorem tutandum mihi addere

liceat. Hac lite coram Rege in ſanctiori Concilio agitatâ ſui ipſius innocentiam à fictis calumniis & criminationibus illæſam præſtat, productiſque literis ex *Hibernia* tranſmiſſis, ſolidis documentis demonſtrat, vix quenquam ex Anteceſſoribus aut benigniori animo aut clementiori æquitate, ſalvis Regia auctoritate & legum reverentia, cum *Hibernis* egiſſe: neminem pro arbitrio oppreſſum, aut bonis aut libertate mulctatum: juſtitiam omnibus pari jure, prout quiſque vendicaverit, adminiſtratam: nihilque ex auctoritate ſua, quod minus æquum videretur, niſi quod publica regni ſalus exegerit, ordinatum fuiſſe: tandemque univerſis calculis abſolvitur.

R. *Caroli* de abuſibus in Eccleſiæ *Hibernicæ* regimine tollendis cura.

Sereniſſimus Rex *Carolus* à Dominis Commiſſariis ſanctioris Concilii, quibus cura rerum *Hibernicarum* in *Anglia* concredita erat, graves & mali exempli abuſus in iſtam Eccleſiam, non ſolùm apud inferiorem Clerum, in muniis ſacris obeundis non ſatis diligentem, ſed etiam apud quoſvis Præſules, utpote ſibi inque privatos ſuos uſus dignitates Eccleſiaſticas & ſacerdotia, quorum collationis arbitrium, quando vacaverint, jure ſedium ipſis competebat, minus rectè & præter decorum arripientes, irrepſiſſe, ſatis edoctus, literas ad D. *Uſſerium*, uti & ad cæteros Archiepiſcopos, ſub eodem verborum tenore & formula conſcriptas XII. die Aprilis MDCXXX. ſexto regni anno tranſmitti curavit, in quibus, quò majus auctoritati legibus ſtabilitæ momentum & pondus indè accederet, juſſit, ut, ſublatis iſtis corruptelis, ſinguli, quod ſui muneris eſſet, illis urgentibus inſpicientibuſque, gnaviter præſtarent. Quod ſanè conſilium à piiſsimo Rege duplici nomine inſtitutum erat, tum ut *Romanæ* ſuperſtitionis, quam ſacerdotes, inſano zelo acti, indulgentia conceſſa, majori protervia an inſipientia, incertum, abutentes, ubique inter *Hibernos* diſſeminarunt, incremento iretur obviam, tum ut in mediis Puritanorum in *Anglia* ſemina ſeditionis clam in plebis animis jacientium factionibus, hic & in *Hibernia* publicæ tranquillitati ſecuriùs provideretur. Auctoramento hoc Regio munitus, acerrimiſque monitis incitatus D. *Uſſerius*, (quod de reliquis pariter dicendum eſt) novis viribus conſcientiæ & paſtoralis curæ obligationi inde ſuperadditis, ad ſanctum opus ſeſe alacriùs accingens, quod in Provincia & Diœceſi ſua, perperam & præter canonas Eccleſiaſticos actum fuerit, iterùm reformare, inque integrum reſtituere ſolicitè ſtuduit: deinde viros nobiles aliosque, *Romanæ* communionis, quibuscum amicè & familiaritèr converſatus eſt, leniſſimis colloquiis & argumentis

è

è ſcripturis ſacris, Patribus, principiisque revelatæ Religionis & ſanæ Rationis petitis, à fœda iſta ſuperſtitione & erroribus, quibus ab incunabulis fuiſſent innutriti, in viam Evangelicæ Veritatis reducere aggreſſus eſt. Nec huic methodo (quam Suffraganeis reliquoque Clero ſequendam propoſuit) utpotè in Chriſtianæ charitatis & ſapientiæ regulis fundatæ, felix defuit ſucceſſus. Denique cum numeroſis è *Scotia* in *Ultoniam* coloniis introductis, quamplurimi diſciplinæ Presbyteranæ eſſent addictiſſimi, quibus non pauci ex advenis *Anglis*, eodem ſchiſmate infames, relictisque Eccleſiis in conventiculis coeuntes, mordicùs adhæſere, hos immorigeros & pertinaces Sectarios, ut oves in deviis errantes ad caulam communem bonus benignusque Paſtor, redigere, tum crebris collationibus cum illorum Miniſtris habitis, illorum ſcrupulis & objectiunculis reſpondendo, tum blandiſſimis ſermonibus & paterno amore illos omnes ad unitatem Eccleſiæ ſervandam invitando, omni occaſione captata, maxima cum induſtria continenter laboravit. Sed pervicaciſſimi iſti homines, pauciſſimis exceptis, omnibus argumentis ſuaſibusque impervii, licèt obmuteſcentes & planè animo convicti, in ſinum Eccleſiæ atque ad publicos ſacros cœtus nolebant reverti.

Eodem anno cùm Sereniſſimus Princeps *Walliæ*, magna *Britanniarum* ſpes in palatio S. *Jacobi* XXIX. die Maii naſceretur, Rex optimus & pientiſſimus ex ſenſu divinæ bonitatis erga ſe ſubditosque ſuos, hoc clariſſimo indicio palam omnibus oſtenſæ, ut Deo ſolennes gratiæ ob hoc auſpicatiſſimum futuræ felicitatis in Regia ſobole ſtabiliendæ omen ſtato die, ex præſcriptis precum formulis, ubique per univerſam *Angliam* agèrentur, juſſit. Nec famæ veloci, ultra mare citò tranſituræ, nudisque literis fidendum erat, niſi majoris tum benevolentiæ tum honoris cauſâ, miniſtri, ejusmodi muneribus obeundis deputati, hoc ipſo nomine, huc illuc, prout expedire viſum erat, ex auctoritate publica legantur. Quidam igitur è Fecialium Collegio, *Preſtonus* nomine, titulo verò *Portcullis*, h. e. *à Cataracta ſive à porta dimiſſoria*, nuncupatus (ſinguli enim titulis diſtinctis gaudent) literis Regiis munitus, mittitur *Dublinium*, Juſtitiarios & Conſiliarios Regios hoc lætiſſimo nuncio de Principe recèns nato impertiturus. Hi maximo gaudio perfuſi, literis Regiis mox è prelo publici juris factis, rem univerſæ Genti communicant, ſpeciatim verò D. *Uſſerio*, qui rure aberat, nondum integro robori à periculoſa, qua decubuerat, ægritudine reſtitutus; ſi-

Princeps *Walliæ* naſcitur.

Eâ de causa indicto die festo *Usserius* solennem concionem habet.

mul petentes, ut indicto die festo, quem ubique per universam Insulam magna cum solennitate celebrandum jusserant, *Dublinii* non solum adesse, sed & concionari vellet, si per valetudinem liceret. Ita suæ, ita D. *Usserii* bonæ existimationi consultum ivere Magnates isti. Ille verò onus istud perquam honorificum, cui sustinendo imminutæ quassatæque vires vix pares viderentur, maxima cum animi lubentia & alacritate in se suscepit & in ista augusta panegyri comparens, in illa verba Psalmographi Regii *Psalm.* XLV. 16. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos Principes super omnem terram*, in Ecclesia Christi *Dublinii* præclarissimè peroravit.

Gottschalci & controversiæ Prædestinatianæ Historia ab *Usserio* edita.

Cum vexatissimæ istæ *de prædestinatione*, *præscientia*, *gratia*, *libero arbitrio*, reliquisque connexis articulis, quibus Ecclesia Catholica olim gravissimè affligebatur, quæstiones diu sopitæ, à quibusdam rixosis Theologis, qui dogmatibus, subtilitatibusque scholasticis, longè extra essentiam fidei positis, ex intemperanti zelo, mordaci protervia, & nimio disputandi pruritu, indulgere, quàm ad sobrietatem sapere maluissent, ante seculum, potissimùm in *Batavia*, resuscitatæ & acerrima animorum contentione ab utrisque partibus, quasi pro summa Christianæ Theologiæ pugnantibus agitatæ fuerint, *Usserius*, in hisce mediis digladiationibus non otiosus spectator stabat, sed harum eventum communi Religionis causæ funestum fore, tristi animo præsagiens, de iis placidè componendis non parum erat solicitus. Ideo severa in harum controversiarum originem & progressum inquisitione facta, (a) post editos *Joannis Latii de Pelagianis & Semi-Pelagianis* commentarios, ab anno DCXL. *Joanne* IV. Pontificatum *Romanum* ineunte, quo ille desiit, eandem telam pertexere aggressus, ingentem observationum molem in Adversariis suis coacervavit, ut, singulis methodo perspicua dispositis, juxtaque temporum seriem accuratè digestis, quid Majores his in rebus senserint statuerintque, ad oculum quasi pateret, & repræsentaretur. Sed mox viri doctissimi, *Joannis Gerardi Vossii*, in lucem prodeunte (b) *Historia Pelagiana*, licèt multa ab isto diligentissimo Auctore occupata fuisse reperisset, non tamen sibi à proposito supersedendum esse duxit; cùm non modica aut contemnenda controversiæ Prædestinatianæ pars, aut omnino intacta, aut non satis diligenter discussa, relinqueretur, in qua

(a) *Hardewici.* A. 1617.
(b) *Lugduni Batav.* 1618. 4o.

qua illuſtranda penè infinitæ lectionis, indefeſſæ induſtriæ, ſolidique judicii vires explicaret. Qua de cauſa librum (& primum quidem, ut ille alibi retulit, preli *Hibernici* partum Latinum) *Gotteſchalci & Prædeſtinatianæ controverſiæ Hiſtoriam* continentem, eidem *Voſſio* inſcriptum, *Dublinii* A. MDCXXXI. edidit: in quo, omnes, licèt in hiſce controverſis articulis maximè diverſi, conſentiunt, multa lectu digniſſima è codicibus MSS. & aliundè eruta, & quæ vel oculatiſſimos hactenus latuiſſent, reperiri, novamque inferri lucem diſputationibus, ubique per *Galliam* & *Germaniam*, pro vario partium ſtudio, à viris ſummæ dignitatis, & maximæ ob reconditiſſimam, ut illa ferebant tempora, eruditionem famæ: (quales certè fuere, *Hincmarus Remenſis*, *Remigius Lugdunenſis*, *Rabanus Maurus Moguntinus* Archiepiſcopi; *Prudentius Tricenſis* Epiſcopus, *Joannes Erigena Scotus*, *Ratramnus*, Monachus *Corbeyenſis*, *Florus*, *Lugdunenſis* Diaconus;) & in multis ſynodis, putà *Moguntina*, *Cariſiaca*, *Valentina*, *Lingonenſi*, aliiſque, tempeſtatis iſtius ſedandæ causâ habitis, flagrantiſsimo zelo agitatis, quibus originem dederat *Gotteſchalcus* iſte, *Orbacenſis* Monaſterii Monachus, circa A. DCCCXL. utpote qui ſibi totam vel intricatiſsimam de hiſce dogmatibus (a) S. *Auguſtini* doctrinam imbibiſſe viſus eſt. In calce ejuſdem *Gotteſchalci duas Confeſſiones*, nunquam antea in lucem editas, adjici curavit D. *Uſſerius*, ipſi ab eruditiſsimo viro, *Jacobo Sirmondo*, S. J. communicatas: breviorem quidem ex MS. codice Abbatiæ *Corbeyenſis*, nunc in Bibliotheca Monaſterii S. *Germani* apud *Pariſinos* reperiendam, alteram verò prolixiorem, ex quodam pervetuſto codice exſcriptam, quod in grati animi erga D. *Sirmondum* teſtimonium, publicè quoque, (ſicut in privatis literis ad Amicos beneficium illud D. *Sirmondi* benevolentiæ deberi agnovit) agnoviſſet Editor, niſi à modeſtiſsimo viro, ne in illius damnum & præjudicium apud zelotas *Romanenſes* cederet, ut veriſimillimum eſt, omnino ſuiſſet inhibitus. Unde cuivis candido Lectori perpendendum relinquo, an cenſura iſta à D. *Gilberto Mauguino* in * *Vindiciis ſuis Prædeſtinationis & Gratiæ*, rectè & probè D. *Uſſerio* impacta ſit necne, quaſi deluſiſſet *Sirmondum*, quem fingit illarum copiam illi, ut ſola privata lectione gauderet, feciſſe. Quod planè nugatorium eſt, & vix à quoquam, aut ingenioſo, aut prudente, admittendum.

* Pag. 90.

A. MDCXXXII. Antiquitatum Patriarum, & præſertim Eccleſiaſticarum, amore & ſtudio incenſus D. *Uſſerius*, *veterum Epiſtolarum* Veteres Epiſtolæ *Hibernicæ* ab *Uſſerio* editæ.

(a) V. Epiſtolam CXC. *Uſſerii* ad *G. J. Voſſium*, in *Sylloge* p. 483.

rum Hibernicarum Syllogen, quæ partim ab Hibernis, partim ad Hibernos, partim de Hibernis vel rebus Hibernicis ſunt conſcriptæ, nimirùm à tempore *Gregorii* I. Pontificis *Romani*, ad finem duodecimi ſeculi, *Dublinii* edidit : quarum quidem aliæ in libris variis ſparſæ, ad fidem codicum MSS. recognitæ, & inde emendatiores redditæ, occurrunt : aliæ verò hactenus ineditæ, quæ rerum curioſarum veteris ævi notitiam complectuntur, è Bibliotheca *Cottoniana*, & aliundè, erutæ ; in quibus multa de *controverſia Paſchali*, quæ *Britonibus* & *Hibernis*, hac de cauſa communionis Eccleſiaſticæ violatæ & Quartadecimanorum hæreſeos poſtulatis, de tempore, quo ſolenne iſtud Paſchale feſtum eſſet celebrandum, cum *Romana* Eccleſia interceſſerat, habentur : ad cujus conſuetudines rituſque obſervandos non niſi poſt laborioſiſſimas diſceptationes longum protractas, ægrè tandem perſuadebantur. Quibus autem ſopiendis non modicum pondus & momentum attuliſſe videtur erudita illa *Cummiani Hiberni ad Segienum, Huenſem Abbatem*, (a) *Epiſtola* circa A.C. DCL. ſcripta, è membranis *Cottonianis* exſcripta, & quæ hodiè ibi ſub hoc titulo, *Epiſtola Cummiani directa Segieno Abbati de diſputatione Lunæ*, unà cum aliis venerandæ antiquitatis libellis, in eodem volumine comprehenſis, ſub Vitellio A. XII. exſtat Epiſtolæ ſanè hæ, quæ, ab omnibus veterem ſtatum, regimen, juriſdictionemque iſtius Eccleſiæ penitiùs noſſe cupientibus, legantur perquam dignæ ſunt : in quarum recenſione doctiſſimus Editor judicium acre & ſolidum cum varia & multiplici lectione conjungit.

Lites inter Archiepiſcopos *Armachanum*, & *Dublinienſem* de præcedentia ortæ.

A. MDCXXXIV. non ita pridem renovabatur per duas treſve annorum centurias propemodùm exſtincta, conteſtatio de *præcedentia inter Archiepiſcopos Armachanum & Dublinienſem.* Dum enim hic honorem primæ ſedis Metropoli regni deberi contendebat, *Uſſerius*, non niſi averſiſsima mente in arenam, & quidem juſſu Proregis, protractus erat, ne Primitialis dignitatis jura quæ tempore Anteceſſoris, amore Veritatis & juſtitiæ incenſus, olim vindicaverit, jam deſerere, & ſibi ſucceſſoribuſque deeſſe videretur. Quò Antagoniſtæ ambitioſam vendicationem meliùs iret everſum, re iſta ab antiquitate remotiſsima & ab ipſis Eccleſiæ *Hibernicæ* ſub S. *Patricio*, iſtius Gentis Apoſtolo, ſtabilitæ initiis, ex archivis Eccleſiæ *Armachanæ* & regni Tabulariis, Hiſtoricè deductâ, quicquid documentorum controverſiæ elucidandæ haberetur neceſſarium, in compendium redegit ; quod licèt in publicam lucem exire præ modeſtia

(a) Epiſt. XI. pag. 24.

deſtia noluerit, in Magnatum Præſulumque manibus verſabatur, ut, quod judices integerrimi & ſolent & debent, ex allegatis & probatis ſententiam juxta æqui & juſti regulas pronuntiarent. Sed ne quicquam incommodi in Parlamento & Convocatione mox indicendis ex hac inficeta lite, licèt omni cum decore alterutrinque agitata, Eccleſia caperet, Sereniſſimus Rex, illius indulgentiſſimus Patronus Nutritiusque, intercedens, firmato ſedis *Armachanæ*, quod per tot ſecula obtinuiſſet, jure, controverſiæ, nullo prætextu ſeculis venturis rurſum ſuſcitandæ, literis in *Hiberniam* miſſis, finem impoſuit, ac novo & majori honoris gradu ſuperaddito, ex Regio juſſu, ut Cancellarium Regni publicis congreſſionibus, in futurum antecederet Antiſtes *Armachanus*, ut hac ex parte Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, iſthoc jure in *Angliæ* fruenti, par quoque redderetur.

Hoc anno ad finem vergente, illuſtriſſimo viro, *Thoma* Vice-comite *Wentworthio*, ſummis fidei, ſapientiæ, & fortitudinis elogiis *Hiberniam* gubernante, indicto Parlamento, ſimul pro more indicebatur generalis Epiſcoporum & Cleri Synodus, in Eccleſia Cathedrali S. *Patricii Dublinii* celebrata, in qua Articuli Eccleſiæ *Anglicanæ* A. MDLXII. *Londini* conditi, facili, placida & penè unanimi (pauciſſimi enim in alterutra domo diſſidebant) ſuffragatione recepti erant: non quidem diſſertim conceptaque verborum formula, abrogatis aut ſepoſitis rejectisque, de quibus in anno MDCXV. convenerat, articulis, ſed tamen ex conſequenti, cùm deinceps nullius eſſent auctoritatis & uſûs. Hoc autem ab Adſeſſoribus eo nomine factum erat, ut ſuam concordiam & ὁμόνοιαν cum Eccleſia *Anglicana*, quam ſi non, uti matrem & Magiſtram, ſaltem ut ſororem natu ſeniorem & nutricem, revereri oportuit, omnibus facerent manifeſtum. Ita ſe habet primus Canon, (quem D. *Uſſerius* totidem verbis compoſuit.)

Altera Epiſcoporum & Cleri *Hiberni* Convocatio *Dublinii* indicta.

I.

De concordia Eccleſiæ Anglicanæ *&* Hibernicæ *in profeſſione ejuſdem Chriſtianæ religionis.*

Ob manifeſtationem noſtræ concordiæ cum Eccleſia Anglicana *in confeſſione ejuſdem Chriſtianæ fidei, & in doctrina Sacramentorum, nos recipimus & approbamus librum Articulorum Religionis, de quibus convenit inter*

inter Archiepiſcopos & Epiſcopos & Clerum univerſum in Synodo Londini A. MDLXII. *ad tollendam opinionum diſſenſionem & conſenſum in vera Religione firmandum. Si quis igitur poſthac affirmaverit, ullum ex iſtis articulis in aliqua parte eſſe ſuperſtitioſum aut erroneum, aut ejuſmodi, ut illi bona cum conſcientia ſubſcribere non poſſit, excommunicetur ille, neque abſolvatur, antequam ſuum errorem publicè revocaverit.*

Ab iſthoc tempore Articuli *Anglicani* priſtinum ſuum robur, quod olim in Eccleſia *Hibernica* obtinuerant, repetiêre. Neque enim dubitandum videtur, quin omnes, quotquot ſacris ordinationibus initiandi, & ad qualescunque dignitates Eccleſiaſticas, aut curam animarum eſſent promovendi, iiſdem, poſt quartum Reginæ *Eliſabethæ* annum, cùm *Hibernia*, tam in ſacris, quàm in civilibus, ſub moderamine Regiæ majeſtatis, ab *Anglia* tota dependeret, quaſi ex debito officio ſubſcripſerint. D. *Uſſerium* ſubſcripſiſſe, ipſe dilucidè teſ-
pag. 6. tatur in * concione habita coram Senatoribus Parlamentariis ſupra memorata, in qua omnes ad unitatem & pacem Eccleſiaſticam acerrimè urget; ex hac juſta hypotheſi, iſtos nimirum articulos communionis noſtræ menſuram, regulam, & baſin haberi debere & eſſe. Quibus articulis jam ſubinductis, & cum alteris *Hibernicis* ſimul receptis, horum, ſi qui ſint contrarii, diſcordes, planè novi, duriores, & neutiquam cum illorum ſenſu conciliandi, vim cadere, alii dixerint. Non enim hanc controverſiam meam facio. Satis tamen conſtat, reverendos viros, dum res hæc ageretur, qui articulos iſtos in antecedente Convocatione ſtabilire ex nimio quorundam *Calvinianorum* dogmatum amore & ſtudio curarunt, hac ex parte parum ſibi caviſſe, ſive id ex ſubreptione, & minimè perpenſa conſequentiarum vi, ſive ex Theologorum diverſæ partis ſagaci induſtria & ingenio, qui unicam fidei Confeſſionem in utriſque Eccleſiis ſub eodem Monarcha florentibus, admitti debere, longè conſultiſſimum eſſe duxerunt, accidiſſet.

Quo famæ & exiſtimationi apud ſuos læſæ aliquo modo conſultum eſſet, D. *Uſſerius*, aliique ejuſdem ſententiæ fautores, à ſacri Miniſterii Candidatis, ut utriuſque Eccleſiæ articulis ſubſcriberent, primò exegerunt : ſed mox ceſſatum eſt : cùm id perridiculum, ne dicam, ſcandaloſum, videretur, duas Confeſſiones, in variis dogmatibus Theologicis diſcordantes, in eadem Eccleſia haberi, aut fidem

fidem & doctrinam Ecclesiæ *Anglicanæ* magna cum solennitate nuperrimè receptam & probatam, istis prioribus dogmatibus admissis, denuò rejiciendam & improbandam esse. Cùm ergo vix quicquam præsidii in hoc effugio reperiendum esset, D. Proregem supplici oratione rogarunt, ut illius auspiciis, ope, & cura, articuli *Hibernici*, ante novendecim annos conditi, lege & sanctione Parlamentaria rati haberentur: ille autem huic propositioni inconcinnæ aurem aut facilem, aut patientem, præbere nolebat, imò, cùm illam paci publicæ maximè nocituram esse pro sagacitate sua præsensisset, summa cum indignatione aversatus est, & denique si fides *Scotis* Commissariis in acerbissimæ criminationis, Parlamento *Anglicano* A. MDCXLI. adversus D. *Straffordium* exhibitæ, articulis, sit adhibenda (a), D. *Usserio* aliisque, se, ni ab isthoc proposito absisterent, ut articuli isti infami publici Carnificis manu flammis traderentur mandaturum, comminatus est.

Certissimè constat, quod ab illius Ecclesiæ Episcopis & Presbyteris sæpè sæpiùs accepi, à tempore restauratæ Monarchiæ & Ecclesiæ sub R. *Carolo* II. A. MDCLX. solos Ecclesiæ *Anglicanæ* articulos jam apud ipsos agnitos & in usu esse: *Hibernicos* verò dudum obsoleviisse, & ab omnium memoria penè excidisse, & incognitos latere, ac si nunquam exstitissent.

In eadem Synodo, sive suggerente sive proponente Viro doctissimo & præstantissimo, D. *Joanne Bramhallo*, nuper D. Proregi à sacris domesticis, Episcopo *Derensi* & postea Archiepiscopo *Armachano*, & de Ecclesia *Hibernica*, si quis unquam, uti etiam de *Anglicana*, optimè merito, de integro Canonum & Constitutionum in Synodo, *Londini* A. MDCIII. & primo R. *Jacobi* I. anno celebrata, conclusarum corpore in usum istius Ecclesiæ admittendo, disceptatum erat: sed strenuè admodùm intercessere D. *Usserius* aliique: tandem verò, litibus istis cessantibus, pacis causâ, omnes in unam hanc sententiam accessere, multos ex prælaudato libro Canonas seligi oportere; reliquis qui politeiæ Ecclesiæ *Hibernicæ*, & Gentis istius genio, indoli, moribusque magis convenirent, communi consultatione adjectis; è quibus simul commissis, novus ille *Constitutionum & Canonum Ecclesiasticorum* conflatus liber *Dublinii* prodibat A. MDCXXXV. à Regia Majestate approbatus, & ejus-

(a) apud *Rushworthum* in historia judicii & sententiæ feralis in D. *Straffordium* latæ, pag. 775.

dem auctoritate ſub magno *Hiberniæ* ſigillo munitus & promulgatus, uti ex præfixo Inſtrumento liquet.

Non negandum eſt, D. *Laudum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, virum ſanè pacis & unitatis Eccleſiaſticæ, inter univerſos Regiæ Majeſtatis ſubditos ineundæ, amantiſſimum & ſtudioſiſſimum, in iſta Synodo cauſam Religionis, conſiliis, ſtudiis, literiſque maximè juviſſe, qui omnia à D. *Uſſerio* edoctus, in literis reſponſoriis decimo die Maji A. MDCXXXV. (a) ſcriptis, ipſi & Eccleſiæ, tùm de meliori Cleri proviſione auctoque reditu, tùm de rerum in Synodo canonica & pacifica determinatione, ſinceriſſimo cum affectu gratulatur: bona ſpe inde concepta, *Eccleſiam* Hibernicam, *novis hiſce ſubſidiis & intus & extra roboratam tandem iterùm florere incepturam.* Nolebat interim opinionem ſuam in pectore celare, ſibi longè meliùs & conſultiùs fuiſſe videri, ſi integros canonas, paucis emendationibus additis, cooptaſſent. Sed cùm illis aliter viſum fuiſſet, in illorum placitis acquieſcens, ſanctiſſimum Numen exorat, ut cœleſtem ſuam benedictionem iis impertiri dignaretur.

Opuſculum *Uſſerii* de Myſterio incarnationis Filii Dei.

A. MDCXXXVIII. D. *Uſſerius* libellum ex concionibus, priùs de eodem argumento habitis, digeſtum, mole quidem exiguum, ſed uſu magnum, de *Myſterio incarnationis* Filii Dei, ſermone vernaculo *Dublinii* edidit. In quo ſacro-ſanctum illud Myſterium, neglectis Scholaſticorum argutiis, & abſque omni abſtruſæ ſubtilitatis affectatione, ex puris putis divinarum ſcripturarum fontibus hauſtum dilucidè explicatur, ut pii Lectores, vel mediocris captûs, in doctrina & vita Chriſtiana, facili ſapientique documentorum, quæ paſſim ſuggerit, applicatione, ad praxin uberiùs erudiantur.

Egregius liber de Eccleſiarum *Britannicarum* primordiis ab *Uſſerio* editus.

Anno MDCXXXIX. poſt longas moras, partim ex ignavia, partim ex defectu typothetarum ortas, deſideratum opus, cui per multos annos, pertinacem operam impenderat D. *Uſſerius*, feliciſſimè *Dublinii* in lucem prodiit: viz. de *Britannicarum Eccleſiarum primordiis.* In originibus Chriſtianarum Eccleſiarum, in hiſce occiduis mundi à *Palæſtina* & *Syria* tanta intercapedine diſſitis regionibus, ab ultima antiquitate repetendis difficilis admodum ponitur labor, tum ob veterum hiſtoriarum defectum (exſtincto, enim illo lumine, omnia ſpiſſis tenebris ſepulta jacent) tum ob ſubleſtam traditionis fidem, quæ fabuloſa veris miſcet, (ne quicquam de mentiendi & ab omni vero alieniſſima fingendi libidine, à ſcriptoribus Monachisque ſequioris ævi arrepta, dicam)

(a) V. in *Sylloge* Epiſt. CLXXXIV. pag. 476.

tam) ut nihil certi, quod mentem priſcorum ſeculorum geſta cognoſcendi deſiderio anxiam ſublevare poſſit, relinquatur. Quicquid verò Antiqui Scriptores, quicquid Recentiores de fide Chriſtiana in haſce *Britannicas* inſulas primò introducta enarraverint, ſuperſtitioſis putidisque fabulis rejectis, utpote otioſorum hominum commentis, quod ſpecioſiorem ſimilitudinem veri præ ſe ferat, Lectori dijudicandum relinquit. Sed poſtquam difficultates haſce eluctatus, perruptisque dumetis in liberiorem patentioremque campum tranſiiſſet, ubi undique proſpicere licet, h. e. ubi fides rerum ex hiſtoriis conſtare poterit, reliquias Antiquitatum ex omni librorum, ſive typis exſcriptorum, ſive in membranis latentium, genere, ubicunque & qualitercunque ſparſas indefeſſa induſtria & defæcato judicio in unum corpus collegit; adeo ut opus iſtud univerſæ Eccleſiaſticæ Antiquitatis *Britannicæ* gazophylacium meritiſſimo jure appellari mereatur. Ne illud aliqua defloratione deturpare videar, meminiſſe tantum oportebit, integram *Pelagii Britanni* hæreſeos, ab ipſo introductæ, ſequaciumque ſuorum, Hiſtoriam illic optima fide inſertam fuiſſe: item de *Pictorum* ex *Scythia* & *Scotorum* ex *Hibernia* in *Britanniam* deductis Coloniis, de illorum ad fidem Chriſtianam converſione, deque illorum Doctoribus: tum denique de S. *Patricio*, aliisque *Hiberniæ* ſanctis, quamplurima, hactenus aut parum, aut perperàm cognita occurrere, quæ ex tenebris eruta nova luce illuſtravit. Quò verò hæc Collectanea, in *Saxonicis*, *Anglicis*, & *Scoticis* ad A. DCCCCXXXVII. in *Hibernicis* ad A. DCLXXVIII. paſſim producta, Legentibus utiliora fierent, ad calcem Indicem Chronologicum appoſuit diligentiſſimus Auctor, cujus beneficio, quid quovis ſeculo geſtum fuerit, vel leviusculè inſpicienti patet. Dum verò ea ſequentibus annis ſub incudem revocaverit, quod in recenſione miscellaneorum frequenti uſu venit, multa emendavit, multa quoque ex noviter repertis *propria manu* addidit, quæ in editione *Londinenſi* A. MDCLXXVII. reperiuntur. Hoc immortale opus Sereniſſimo Regi *Carolo* I. illius auguſtiſſimi Parentis *Jacobi* I. juſſu & auſpiciis ſuſceptum, inſcribit D. *Uſſerius*, quod in omnem ſeculorum memoriam illius celeberrimum erga Patriam amoris & obſervantiæ monimentum perdurabit.

Ultimum *Uſſerii* in *Angliam* iter.

A. MDCXL. (a) D. *Uſſerius* cum familia venit in *Angliam*, ſed cùm animo revertendi, utpote *Hibernia*, uti ille putavit, *pacatiſſimo ſtatu*,

(a) V. Epiſt. ad *L. de Dieu* CCIII. pag. 499.

tu, relicta: quem non multò poſt facilitatis ſuæ ſeriò, & quidem dolentiſſimè, pœnituit, ibi nimirùm erumpente fœdiſſima rebellione XXIII. die Octobris A. MDCXLI. qua centena millia hominum reformatæ Religionis, planè inermium & promiſcuè cum vicinis Pontificiis ſecurè & tranquillè degentium, crudeliſſimè & immaniſſimè interiere. Sed in *Anglia*, quo appulerat, partim *Londini*, partim *Oxonii*, partim *Cantabrigiæ*, ſtudiorum cauſa, commoratus, Puritani ſeditioſi res novas molicndi opportunitatem diu expetitam tandem læti arripuerunt, confœderatis *Scotis*, quibuscum clam inierunt conſilia, *Angliam* numeroſo exercitu invaſuris. Hiſce difficultatibus preſſus Sereniſſimus Rex ordines regni iterum hoc anno *Weſtmonaſterii* Novembris tertio convenire juſſit, concepta ſpe, illorum ope & ſubſidio *Scoticanam* rebellionem exſtingui, tumultusque domeſticos & exacerbationes populi, à Miniſtellis Presbyteranis, horrendum in modum deluſi, ſedari potuiſſe; ſed per horum & per Demagogorum in Senatu nefandas artes, pacificis optimi Principis conſiliis in ludibrium verſis, omnia in pejus abiere, & ingruentia mala remediis nullis, aut ſiſti aut ſanari poterant.

Impia & cruenta *Hibernorum* rebellio.

In *Scotia* & *Anglia* ſeditiones.

Puritanorum de reformanda Eccleſiæ conſilia.

Puritana factione in inferiori Camera Parlamenti, dominante, de reformanda Eccleſia ſæpè deliberatum erat. Aliqui integrum Epiſcopalem ordinem, tanquam diſciplinæ veteri Apoſtolicæ adverſum, imò Papiſticum & Antichriſtianum, penitus eradicandum & evertendum eſſe, fanatica rabie perciti contendebant: alii verò, de Puritanis loquor, (nam multi aderant, licèt numero inferiores, qui fidem erga Regem & Eccleſiam intemeratam ſervavere) ſed longè moderatioris mitiorisque

lia (Directions) Parlamento exhibita de Liturgia & regimine Epiſcopali. Archiepiſcopus verò de hac violatione juris & læſa fama apud Adſeſſores inferioris Cameræ acerrimè queſtus eſt, qui de exemplaribus jam exſtantibus, aut exſtituris, ne divulgarentur, ſupprimendis brevi conſulto providerunt, *illos, qui ſecus fecerint, cenſuræ ejusdem Camera obnoxios fore* ſtatuentes. Sed hac ex parte D. *Uſſerium*, ex vehementi ineundæ pacis & concordiæ ſtudio, ſchismaticis nimium indulſiſſe, ex genuino exemplari, quod in gratiam Presbyteranorum ex autographo A. MDCLVIII. edidit D. *Bernardus* hoc titulo: *Reductio Epiſcopatus ad Synodici regiminis in veteri Eccleſia recepti formam A. MDCXLI. à reverendiſſimo & doctiſſimo hujus Eccleſiæ Patre*, *D.* Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *& totius* Hiberniæ *Primate*, ſatis liquet: in quo, quatuor propoſitiones regimini & diſciplinæ Presbyterali, à *Knoxio* reliquisque furioſis iſtius Eccleſiæ Reformatoribus introductæ, maximè conformes, niſi quod ſuffraganeos ſive Chorepiſcopos, Decanatibus ruralibus numero pares, juxta ſtatutum XXVI. anno R. *Henrici* VIII. ſancitum, & poſteà primo R. *Eliſabethæ* renovatum, reſtituendos vellet conciliator, utrumque regimen Eccleſiaſticum in unum conjuncturus, continentur. Sed annon, poteſtate, ſive ordinis, ſive juriſdictionis, ipſis peculiari, exuti Epiſcopi, merum & inane nomen & umbra fiunt? utpote ſolo ſive Epiſcoporum ſive *ſuperintendentium* (ſic enim illos promiſcuè nuncupare ad libitum licebat) ſive *Præſidum* ſive in Synodis Eccleſiaſticis *Moderatorum* titulo relicto. Ita indebita hac συγκαταβάσει *Uſſerius* ſe in iſtis turbulentiſſimis temporibus Epiſcopalis Ordinis, quæ imminebat, & mox ſecuta eſt, ſubverſioni obviam iturum ſperabat, quem, hoc pio propoſito candidè admiſſo, omnes æqui rerum æſtimatores excuſabunt. Hæc verò tum ſereniſſimi Regis tum illius pacifica conſilia, tunc temporis, uti & poſtea in Collatione in *Vecti* Inſula, cui Regio juſſu, ille cum aliis reverendiſſimis Epiſcopis & Theologis itidem illuc accerſitis, interfuerat, A. MDCXLVIII. ad finem vergente inter Regem & Commiſſarios Parlamentarios habita, ſprevit rebellium ſchiſmaticorum furor, qui everſa, quantùm in illis erat, Eccleſia *Anglicana*, triumphatisque Epiſcopis, ſoli regnare, imò neſariam tyrannidem exercere cupiebant: quod, Deo permittente, triſtiſſimus rerum eventus mox demonſtrabat. Hæ autem, quibus Epiſcoporum dignitas imminuebatur, conceſſiones ex neceſſitate temporum or-

tæ, *Uſſerio* rigidè imputari non debent. Quàm enim erecto animo, quanta eruditione, & quàm ſinceriſſima mente hoc ipſo tempore Apoſtolicam Epiſcoporum originem & inſtitutionem ille propugnaverit, ex libris editis, mox videbimus.

Uſſerius coram Dominis ſuperioris Cameræ Parlamenti concionatur.

Indicto ſolenni jejunio, die Decembris viceſimo ſecundo A. MDCXLI. coram Dominis ſuperioris Cameræ Parlamenti concionem habuit *Uſſerius*, in qua, quin ille officio ſuo probè functus fuerit, vix dubitandum videtur: quam cùm Bibliopola quidam *Londinenſis*, notis compendiariis ab ipſius ore exceptam lucri cauſa publicaverit hoc titulo: *Vox Hiberniæ*: ſed craſſè, imperfectè, & ſine debita aut verborum aut ſenſus connexione; ille de turpi hac injuria, ipſius famæ inflicta, querelas, libellis ſupplicibus comprehenſas, apud Magnates, qui interfuerant, interponere, ſua intereſſe duxit; qui brevi ſcito edito, Præfectis ſocietatis Bibliopolarum *Londinenſium* injunxere, ut ſuppoſititius iſte libellus ſupprimeretur. Hæc duo ſcita in ſui vindicias *Uſſerius* ad calcem *Diſquiſitionis de Lydiana Aſia* A. MDCXLIII. *Oxonii* impreſſæ publici juris fieri curavit.

Quomodo ſe geſſerit *Uſſerius* in cauſa *Straffordiana* oſtenditur.

In cauſa verò *Straffordiana* D. *Uſſerium* humanis affectibus nimiùm quantùm, contra quam virum bonum decuerat, indulſiſſe, dum unus & alter ſcriptis editis mala fide contenderent, paulò enucleatiùs, & paucis quidem (neque enim rerum geſtarum in *Anglia* commentarios ſcribo) unde hæc calumnia originem duxerit, in gratiam exteri Lectoris hîc referam.

Cùm fatale internecinumque odium ſibi apud Puritanos factioſosque *Anglos*, & *Scotos*, illuſtriſſimus D. Comes *Straffordiæ Hiberniæ* Prorex, Vir excelſi animi, & conſtantiſſimæ & inconcuſſæ erga Regem & Eccleſiam fidei, forti, ne dicam, rigida rerum *Hibernicarum* adminiſtratione, conſciviſſet, partium adverſarum, in Camera inferiori Coryphæi Monarchiæ jura minui, aut Eccleſiæ ſacros ritus, cultum, & diſciplinam peſſundari non facilè poſſe, niſi poſt exſtinctos perditoſque D. *Straffordium* & D. *Laudum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, pro comperto habentes, ambos horrendis criminationibus oneratos oppreſſoſque, quaſi inductis arbitraria poteſtate & *Romana* ſuperſtitione, fundamentales regni conſtitutiones & jura eſſent everſuri, in Comitiis Parlamentariis tertio Novembris A. MDCXL. indictis, læſæ majeſtatis reos peregêre. Comes verò numeroſis articulis coram *Paribus* ſuis, ad quorum tribunal in foro *Weſtmonaſterienſi*, maximo cum apparatu,

Rege

Rege & Regina præſentibus, permultos dies ſiſtebatur, promptis animo & lingua, prudentiſſimè reſpondens, ſeſe criminibus, ab inferioris Cameræ Commiſſariis objectis intentatiſque, purgat, & ſi quid peccatum ſuiſſet, quod vix humana ſapientia præcaveri poterat, dum *Hiberniam* ſumma poteſtate regeret, totum illud in cenſum læſæ majeſtatis venire neutiquam per leges aut poſſe aut debere oſtendit. Rejecta igitur hac methodo, aliam, ſi non omninò novam, ſaltem per centum annos deſuetam & pernicioſiorem, Actores iſti iniere, viz. per *billam attinctura*, ut phraſi noſtra municipali utar, ex vi legiſlationis: quam tandem, poſt acerrimas concertationes, malis artibus, majori ſuffragiorum numero obtinuere. Hâc quoque ad alteram Dominorum Cameram delata plures ibi, aut odio & invidia perciti, aut blanditiis irretiti, aut minis conſternati, ceſſere. Sed utriuſque Cameræ ſcita abſque Regio aſſenſu, in quo ſumma, propria, imò & unica poteſtatis legiſlativæ ratio conſiſtit, nihil valent: cui procurando interceſſere difficultates non adeò facilè ſuperandæ. Rex enim fideliſſimum ipſius Adminiſtrum, iſtius criminis, quod nos vernacula lingua nuncupamus *High Treaſon*, non ritè, imò & perperàm inſimulatum fuiſſe, animo & conſcientia convictus, *Billæ* calculum ſuum adjicere nolebat. Quomodo verò ad id, à quo tantoperè abhorruit, adigi potuerit, explorare Demagogorum erat labor & opus. Primò igitur cives, aliique ex infima fæce populi incitati, inconditis clamoribus *Straffordium* ad cædem adpoſtularunt, quaſi eſſet hominum ſceleſtiſſimus, & univerſæ Gentis *Britannicæ* piaculum, libellis editis, illo ſuperſtite, publicam pacem periclitari, omnia ad interitum ruere, & de Republica protenus actum iri, congeſtiſque in piiſſimum & clementiſſimum Regem ſpurcis convitiis, vociferantes, de ipſius, deque Regiæ familiæ ſalute non aliter eſſe proſpiciendum. Quid autem in hac difficillima rerum perplexitate agendum erat? Non enim illius conſcientia verbis minacibus, atroci violentia, inſanientiſque plebis ad portas Aulæ & ubique in plateis comminationibus, ſed graviſſimis rectæ Rationis & Theologiæ ſanæ, & ab omni ſeculari politica integræ, principiis ſedari potuit. A *Paribus* igitur ad Regem mittuntur quatuor Epiſcopi, *Uſſerius* Armachanus, *Mortonus Dunelmenſis*, *Guilielmides Lincolnienſis*, & *Potterus Carleolenſis*, qui ex ipſius animo ſcrupulos eximerent; abludit enim ab omni veriſimilitudine, Regem unum & alterum ex his, præſertim *Guilielmidem*, quem maximè infeſto erga *Straffordium* animo eſſe, auraque populari poſt nu-

pe-

peram ex diuturno carcere liberationem tum temporis afflatum noverat, inter Conſultores nominari voluiſſe. Nono die Maji, qui Dominicus erat, tres Epiſcopi convenerant, quibus Rex *Juxonum Londinenſem* adjungi juſſit, abſente *Uſſerio*, quem quidam ex domeſticis Regiis ad accerſendum miſſus, in Eccleſia S. *Pauli Convent-Garden* in media concione perorantem (ibi enim diebus Dominicis ſacro iſto munere fungi conſuevit) reperit: ſed redit incomitatus: *Uſſerio* reſpondente, ſe *jam Dei negotiis occupatum, iis confectis, ad Aulam properaturum.* Potuit ſanè *Uſſerius*, ut ego facilè inducor, ut credam, ſine offenſa Dei & bonorum hominum ſcandalo, imò debuit, relictis roſtris, ſtitiſſe curſum orationis, in re maximi momenti, qualis erat anxiæ mentis pientiſſimi Principis tranquillitas, procuranda. Cùm in argumentis propoſitis, tanquam inanibus Ἀπροφυγίτοις, Rex minimè ſibi acquieſcendum eſſe pro pietate ſua duxerit, res iſta ad diſceptationem alteram veſpere habendam prorogatur. *Uſſerius* tunc aderat, una cum reliquis, qui, inter ſe conſultationibus priùs habitis, Regi poriſmata hæc, de quibus conveniſſet, D. *Juxono* ſuam ſententiam non interponente, ut *rem facti & legis eſſe diſtinguendam & ſecernendam: quod ad rem facti ſpectat, de illo Regem poſſe judicare, ſi ipſi conſtet; iſtorum criminum Comitem non eſſe reum, ſententiæ ferali nullo modo conſentiri jure poſſe: quod verò ad rem legis ſpectat*, h. e. de natura & ratione criminis læſæ majeſtatis, *an hoc aut illud factum in iſto reatu involveretur, illum in ſententiis Judicum*, quorum eſt interpretari legem, & qui jurejurando adſtringuntur, ut juſtos & æquos arbitros erga omnes, nullo diſcrimine habito, ſeſe gerant, *acquieſcere oportere.* Hinc poſteà in infamiam *Uſſeriani* nominis ſpargebatur calumnia iſthæc, quaſi ille ex ſimultate in mente olim contra *Straffordium* ob rejectos ex conſequenti per articulorum Eccleſiæ *Anglicanæ* admiſſionem articulos *Hibernicos*, olim concepta, Regi ad conſentiendum cædi *Straffordianæ* perſuaſiſſet. Quod ille præfractiſſimè negavit omni tempore, & præſertim inſtante periculo mortis, dum in *Wallia* circa A. MDCXLV. moratus ſit, à D. *Parro*, ipſi à ſacris domeſticis, an res ita ſe haberet, interrogatus, appellavitque ad Regem, qui illum, ut dixit, ab hoc crimine impacto vindicare potuerit, ſi vellet. Et ſanè voluit Rex, quod *Uſſerius* exſpectavit. Cùm enim de morte *Armachani* rumor *Oxonii* brevi percrebuiſſet, dixit Rex, hoc nuncio audito, non ſine debitis pietatis & meritorum illius elogiis admiſtis, ſe dolere: cui cùm quidam ex præſentibus Aulicis reſpondiſſet, ſe quoque doliturum, ſi Majeſtatem

tem veſtram ad *ſignandam* contra D. *Straffordium billam* ſuaſionibus ſuis non induxiſſet, Rex non parùm commotus, *id eſſe falſum* replicavit; addens, Archiepiſcopum, illum mox adeuntem, lachrymis obortis interrogaſſe: *Ah Domine, quid feciſti! vereor, ne ſcitum hoc ingentem conſcientiæ veſtræ moleſtiam deinceps ſit illaturum: Deumque veneror, ne ex hoc conſenſu* (extorto planè) *quippiam mali, inde orituri, Majeſtati veſtræ contingat.*

Non conveniebat ingenuis, placidis, ſanctisque D. *Uſſerii*, quo nemo erat ab omni diſſimulatione alienior, moribus inimicitiam in imis præcordiis repoſuiſſe, & per tot annos tempus vindictæ opportunum præſtolari: in quo convitio planè ficto & perperàm ſuppoſito, poſt invictum iſtud D. Regis teſtimonium, quod nemo ſanus in quæſtionem vocare poterit, refellendo, non eſt, quod multis laborem. Ab iſthoc tempore, dum ambo in *Hibernia* manſerint, ſincera inter Proregem & Archiepiſcopum interceſſit amicitia, ſine vel minima læſæ bonæ voluntatis ſuſpicione alterutrinque orta. Poſteà autem, cùm in ipſis motuum civilium, in cruentam rebellionem citò erumpentium, initiis illuſtriſſimus Comes ſub prætextu auctoritatis Parlamentariæ, & libertatis populi vindicandæ in Turrim *Londinenſem* conjiceretur, illum ibi ſæpe tum ad teſtandum affectum, tum honoris & veteris amicitiæ cauſa, piis ſalutaribuſque conſiliis illum ad cruentam mortem Chriſtianè & fortiter oppetendam adjuvans, & in animæ ſolatium cœleſti viatico & ſacerdotali abſolutione muniens, inviſere ſolebat, & cùm fatalis hora inſtaret, ad ferale iſtud pegma, illum comitatus eſt, illius mentem adverſus mortis metum, in iſto extremo agone, ſi opus fuiſſet, ſed non opus erat: (nemo enim è veteribus *Romanis* heroibus, nemo è Chriſtianis, aut majori conſtantia & fortitudine, aut meliori pietatis ſenſu triſtiſſimæ iſti ac immeritæ neci ſuccubuit) Chriſtianis documentis firmaturus.

Hac ex parte vindicatur *Uſſerius.*

A. MDCXLI. Cùm famoſi libelli, inſulſi, indocti, & ſpurciſſimis mendaciſſimisque convitiis ſufferti, contra ſacrum Epiſcopalem ordinem, quem Schiſmatici Miniſtelli radicitùs evellendum eſſe, tanquam Antichriſtianum, fanatica rabie efferati, cupiebant, per univerſam *Angliam* volitarent, venerandi Præſules, omnesque benè morati Eccleſiæ *Anglicanæ* filii, libris editis, concionibus, colloquiis, ſuaſibusque cum omni manſuetudine adhibitis, populum, ad inſaniam uſque miſerè deluſum, ad pacem & unitatem Eccleſiaſticam ſervandam

Libri in defenſionem ordinis Epiſcopalis à multis editi.

allicere pro virili ſtuduerunt. Sed fruſtra: peſtis enim immaniſſimè ſæviens nullis remediis erat expugnanda. Inter quam plures alios didacticos, ſuaſorios, & apologeticos libros pro Epiſcopatu editos, quorundam Opusculorum à viris, tam pietatis & orthodoxæ fidei, quam eruditionis fama inſigniſſimis, putà *Richardo Hookero*, *Lancelotto Andrea*, Epiſcopo *Wintonienſi*, & *Edwardo Breerwoodo*, conſcriptorum Sylloge prodiit *Oxonii*; in qua etiam comparent duo D. *Uſſerii* tractatus, quorum unus inſcribitur: *De Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*, præmiſſis quibusdam breviculis ex *Martino Bucero* & *Joanne Rainoldo* de eodem argumento excerptis. Ille enim à reverendiſſimo viro D. *Joſepho Hall*, tunc *Oxonienſi*, mox *Norwicenſi* Epiſcopo, qui non minus nervoſè & ſtrenuè, quàm argutè & ſcitè ſacram Epiſcoporum cauſam contra tumultuantes ſchiſmaticos tutatus fuerat, rogatus, in priori ſeriem & ſucceſſionem Epiſcoporum à temporibus Apoſtolorum deducendam eſſe, ex veterum Patrum, ſecundi nimirum & tertii ſeculi, ſcriptis clarè oſtendit: item Angelos ſeptem Eccleſiarum *Aſiæ* fuiſſe viros ſingulares, qui iſtis Eccleſiis præſidebant, & Epiſcopos propriè & diſtinctim à Presbyteris ſecundi ordinis dictos: haſce denique ſeptem urbes, ubi primævi iſti Epiſcopi ſuas ſedes habuere, fuiſſe metropoles, quibus vicinæ urbeculæ & oppida ſubjacebant, aliasque ſedes metropoliticas per *Romanum* Imperium ſparſas, juxta formam & diſtributionem civilis juris legibus imperatoriis ſtabiliti, olim obtinuiſſe memorat, ut nulla juſta de hac ſupereminenti Archiepiscoporum dignitate & poteſtate, ad canonas Eccleſiaſticos exigenda, in animo oriri poſſit dubitatio. Alter verò, huic connexus, hoc titulo inſignitur, *Geographica & Hiſtorica Disquiſitio de Lydiana ſive Proconſulari Aſia, & de ſeptem Metropoliticis Urbibus in illa comprehenſis:* & poſteà novis *curis* recognitus & amplior redditus, *Oxonii* MDCXLIII. cujus compendium olim à me Anglicè ſcriptum, & in vita ipſius grandi Epiſtolarum collectioni præfixa αὐτοσχεδὶ inſertum, hîc Latinè interpretabor.

Etiam & ab *Uſſerio*, viz. *de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*:

&

Disquiſitio de Lydiana ſive Proconſulari Aſia.

Poſtquam reverendiſſimus Auctor, admirandam planè in Geographia veteri & Legibus imperialibus peritiam, ut meliùs iſtorum temporum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & civiles intelligerentur, utpote ex quibus varias minoris *Aſiæ* provincias, puta *Myſiam*, *Cariam*, & *Lydiam*, (ſub quarum poſtrema vicinæ *Ioniæ* & *Æolidis* regiones erant comprehenſæ) definivit & determinavit, in initio hujus Opuſculi oſtendiſſet, ille ſtatim demonſtrat:

1. *Aſiam*

1. *Aſiam* in Novo Inſtrumento memoratam intra limites *Lydiæ* contineri, unamquamque ex his ſeptem Urbibus fuiſſe Metropolim; & ideo juxta hanc civilis regiminis partitionem, in ſedes eminentiſſimarum *Aſiæ* Eccleſiarum fuiſſe adaptatas.

2. *Romanas* provincias non ſemper fuiſſe easdem, ſed prout ratio politices exigebat, & ut faciliùs & ſecuriùs adminiſtrarentur, ſæpe variaſſe, & varias ſubinde mutationes admiſiſſe: certum eſt enim partitionem imperii ſub *Auguſto* longè aliam eſſe ab illa, quæ ſub *Conſtantino* obtingebat: quo tempore *Aſia* Proconſularis ſoli *Lydianæ Aſiæ* aſtringebatur: grandi iſta jurisdictione, quam olim obtinuerat, jam valdè contracta, & diſcrimine inter Proconſularem *Aſiam* jurisdictioni Proconſulis ſubditam, & *Aſiæ* Diœceſin, à Vicario ſeu Comite *Aſiæ*, ſive *Aſianæ* Diœceſeos adminiſtratam, invecto: in temporibus etiam ſequentium Imperatorum novas quoque mutationes contigiſſe, in illa verò diſpoſitione ſub *Conſtantino* ordinatum fuiſſe, non niſi unam metropolim in ſingulis diſtinctis provinciis admitti debere: cum earundem numerus antea fuiſſet multiplex. Dicendum eſt tamen, legem hanc ſub illius ſucceſſoribus non ſemper invariatam manſiſſe: hi enim interdum, ne quorundam Epiſcoporum, acriter de titulo iſthoc ob opulentiam & amplitudinem civitatum, quibus præſidebant, contendentium, ambitioni ſatisfieret, duos Metropolitanos in una provincia nuncupari & eſſe permiſere.

3. Reſpectu ad hanc *Conſtantini* conſtitutionem, *Epheſum* (ubi Deputati iſtarum provinciarum, *Aſiæ τὸ κοινὸν* ſive *Commune Concilium* conſtituentes, ſolennes conventus habuere, & quæ olim præcipua Urbs habita fuiſſet) hujus novæ Proconſularis *Aſiæ* factam fuiſſe ſolam metropolim: cujus Proconſul ab auctoritate & juriſdictione Præfecti Prætorio erat immunis. Ac proinde in Eccleſiaſtica rerum adminiſtratione, ad conciliandum majorem huic inclytæ ſedi ſplendorem, Epiſcopum *Epheſi* non ſolius Proconſularis *Aſiæ*, ſed etiam omnium Provinciarum in totius *Aſianæ* Diœceſeos (de qua amplum in modum diſſerit) ambitu comprehenſarum Primatem ſive Exarchum habitum fuiſſe, illumque quandam juriſdictionem Patriarchalem, ipſi ex conſequenti collatam, interdum exercuiſſe.

Denique non modicam inter civilem & Eccleſiaſticam juriſdictionem harmoniam fuiſſe, & proinde ex juſta illatione cujuſque Provinciæ Epiſcopos Metropolitano, i. e. Archiepiſcopo, ſubditos & ſub-

ordinatos fuiſſe, ſicut reliquarum inferiorum civitatum Magiſtratus Præſidi, ſive ſummo iſtius Provinciæ Rectori, ſubjacebant.

MDCXLI. Rebellio *Hibernorum.*

Exeunte hoc anno, frequentes ex *Hibernia* advolarunt nuncii de fœdiſſima illa *Hibernorum* Pontificiorum rebellione nuperrimè exorta, de lanienis & cædibus Proteſtantium, de rapinis, de incendiis, deque horrendis ſtragibus ubique perpetratis, adeò ut de iſta Inſula, excuſſo *Anglorum* imperio, omninò actum videretur. In iſtis Patriæ ruinis graviſſima mala perpeſſus eſt D. *Uſſerius.* In *Ultonia*, ubi teterrima iſta peſtis maximè graſſata eſt, prædia ædeſque illius ferro & igni vaſtatæ, frumentum præteritæ meſſis in horreis repoſitum, boumque & ovium ingens copia perduellibus in prædam ceſſêre: reditus, quos ad ſumptus in *Anglia* faciendos à Colonis Tenentibuſque ipſius ſolvendos exſpectaverat, intermiſſi, imò, & perditi, nec deinceps percipiendi; nihilque jam in *Hibernia*, quod ſui juris eſſet, relictum, præter Bibliothecam, de qua poſteà dicendum erit, non niſi ſingulari divinæ bonitatis indicio, integram ſervatam: nec in *Anglia* quicquam ad alendam familiam in peculio habuit, præter ſupellectilem argenteam gemmaſve, quas aut vendere, aut ſaltem oppignerare cogebatur. Omnia hæc incommoda forti & verè Chriſtiano animo ſuſtinuit *Uſſerius.* Sed cùm D. *Potterus* Januario ſequente è vivis exceſſiſſet, ſereniſſimus Rex, ad damnum illud aliquo modo ſublevandum, Epiſcopatum *Carleolenſem* jam vacantem à D. *Uſſerio* in *Commenda*, uti Juriſperiti loquuntur, *tenendum* conceſſit. Sed *Scotis* militibus, poſt nuperam in *Angliam* irruptionem, provincias iſtas ſeptentrionales inſidentibus, quorum continuis deprædationibus erant obnoxiæ, nec longè aberat exercitus Regius, vix quicquam certi aut magni emolumenti percipere potuit. Poſt, ordine Epiſcopali penitus everſo Patrimonioque ſacro à ſacrilegis ſchiſmaticis occupato, & ſuis ſequacibus viliſſimis conditionibus & longè infra valorem, diſtracto & vendito, D. *Uſſerio*, quem ob ſuam pietatem, eruditionem & moderationem, revereri præ ſe tulerint, quadringentas libras ſterlingicas ex fiſco in annuam penſionem aſſignari curarunt: Sed non diu duravit hæc quaſi extorta liberalitas.

Quomodo *Uſſerio* ad incitas redacto ſuccurritur.

Scribit *Bernardus*, circa hoc tempus D. *Uſſerium*, in tanta rerum perplexitate poſitum, à Cardinale *Richelio*, qui res iſtius regni ſumma, ne dicam, arbitraria, poteſtate, & penè ſolus moderaretur, in *Galliam* invitatum fuiſſe, ut *Anglia* jam motibus inteſtinis agitata, illic ab omni periculo & moleſtia liber, nulla vi conſcientiæ in ſacris illata, Regia munificentia

nificentia ſuffultus, animum ſtudiis intenderet. Sed neſcio qua fide hoc ille aſſeruerit. Non vanus autem ſuſpicor, errorem inde profluxiſſe, quod idem ampliſſimus Cardinalis poſt acceptum D. *Uſſerii* de *Eccleſiarum Britannicarum primordiis* librum, ante duos annos editum, honoris & obſervantiæ cauſa, illum numiſmate aureo, cui inciſum erat ipſius caput, donaverit. *Uſſerius* verò gratum hoc & inſigne munus canibus Leporariis, quales *Hibernia* parit, utpote ubivis gentium famigeratos, rependendum, fortaſſe id rogatus, curavit. Conſtat ſanè (a) ſereniſſimam Reginam *Annam Auſtriacam*, illum ad regnum iſtud florentiſſimum poſt decennium vocaſſe: ſed quibus conditionibus, id mihi planè inexploratum eſt. Penes eundem Auctorem fides eſto, an eodem quoque tempore Curatores Academiæ *Lugduno-Batavæ Uſſerio* Profeſſoris honorarii munus obtulerint, nec ne: quod licèt ſummi viri, *Joſephus Scaliger* & *Claudius Salmaſius* ſuſcipere & amplecti non dedignati fuerint, ille ſupereminentem iſtam, quam nactus eſt in Eccleſia, dignitatem inani iſthoc titulo dedecorare nolebat. Quævis gens de tanto hoſpite excipiendo meritò contenderet: in iſtis tamen turbulentiſſimis temporibus apud interioris admiſſionis amicos domi latere & conſeneſcere, quam prodire foras, & quaſi in Theatro comparens, exterorum plauſibus excipi, longè potius & expetibilius duxit.

MDCXLII. Rege ab Urbe, in qua per ſeditioſos ferocienteſque cives, citra periculum diutiùs morari non licebat, diſcedente, nullaque ſpe diſſidia, inter Regem & Senatum *Weſtmonaſterienſem* orta, aut pacandi aut tollendi jam relicta, *Uſſerius*, impetrata venia, *Oxonium* properavit, ut ibi mentem publicis malis ſauciam repetitis literarum ſtudiis leniret & ſolaretur. *Uſſerius* flagrante bello *Oxonii* moratur.

Vergente verſus finem anno, poſt prælium in campis *Keintonianis* prope *Edgehill* in provincia *Warwicenſi* inter Regios & Parlamentarios commiſſum, Rex, comitante exercitu, rectà *Oxonium* petiit, ibi caſtra ſtativa habiturus. Sequente Dominica coram Regia Majeſtate concionatus eſt D. *Uſſerius*, qui argumentum ſacræ orationis ad res in turbatiſſimis iſtis temporibus ſubinde enatas attemperare norat: nec ſemel tantum, ſed frequenter, Rege jubente, iſto ſacro munere iſthic defungi conſuevit.

(a) V. D. *Uſſerii* Epiſtol. CCCVI. ad *Arnoldum Boolium*, *Londini* 29. Novembris 1651. ſcriptam, in *Sylloge* pag. 622.

R. *Carolus* propenſionis ad Papiſmum introducendum falſiſimè poſtulatus.

MDCXLIII. Iiſdem artibus ac ſtrophis, quibus populum, contra ejuſmodi inſidias præſtigiaſque non ſatis cautum, ad arma contra Regem ſumenda primò induxerunt rebellionis Architecti, uſque & uſque uti perrexêre: Regem nimirum de religione, legibus, & juribus Parlamentorum totiuſque populi *Anglicani* evertendis arcana conſilia in pectore ſuo olim habuiſſe, adhucque alere: quo convitio, ut ut mendaciſſimo, & ab omni ſpecie veri alieniſſimo, nulla potentior machina ad quaſſandam ſubditorum fidem excogitari potuit. Licèt autem innocentiam ſuam publicis edictis ſæpè ſæpiùs, invocato Dei nomine, teſtatus fuerit optimus Rex, eandem tamen dicam toties confoſſam falſique convictam, majori impudentia, ad denigrandam illius famam impegere impii, perjuri, & ſacrilegi calumniatores. Cui ut magis magiſque obviam iretur, novam innocentiæ ſuæ aſſerendæ methodum inire pientiſſimo Principi placuit.

R. *Caroli* proteſtatio.

Rex ſacroſancta corporis & ſanguinis Chriſti in ſacello ædis Chriſti *Oxon.* flexis genibus percepturus, dum D. *Uſſerius*, ea exhibiturus, acceſſerit, indicto facto, ut brevem moram faceret, ſurrexit ex pulvinari, & erecto corpore ſtans, illum clara voce ita affatus eſt.

MYLORD,

I eſpy here many reſolved Proteſtants, who may declare to the world, the reſolution I do now make. I have to the ut moſt of my power prepared my ſoul to become a worthy Receiver: and may I ſo receive comfort by the bleſſed Sacrament; as I do intend the eſtablishment of the true Proteſtant religion, as it ſtood in its beauty in the happy dages of Queen Eliſabeth, *without any connivence of Popery. I bleſſ God, that in the midſt of the publick diſtractions. I have ſtill liberty to communicate; and may this Sacrament be my damnation, if my heart donot joyn with my lips in this Proteſtation:*

hoc eſt,

MYLORD,

Video hìc multos benè firmatos Proteſtantes, qui propoſitum illud, quod jam profero univerſis declarare poſſint. Ipſe, pro viribus meis, quantùm poſſem, animam meam præparavi, ut dignè communicem: & ex hoc benedicto Sacramento ſolamen eatenus percipiam, prout apud me ſtatuo veram Proteſtanticam religionem ſicuti in felicibus Reginæ Eliſabethæ *temporibus in pulchri-*

tudine

tudine ſua floruit, ſtabilire, ſine aliqua Papiſmi conniventia. Benedico Deo, quod in mediis hiſce publicis rerum confuſionibus, adhuc fruar libertate communicandi: & in damnationem meam cedat hoc Sacramentum, ſi cor meum labiis meis in hac profeſſione non conveniat.

Proteſtatio hæc ſolennis D. *Armachano* coràm aliquammultis Proceribus, aliiſque celebrioris notæ viris tunc præſentibus, facta, mox typis exſcripta erat: quam in hoc Commentariolo inſerendam duxi, ne memoria ejus unquam intercidat: & eò quidem lubentiùs, quod ne milleſimus quidem illorum, qui hodiè vivunt, de illa vel fando audiverit. Et facilè quidem & juſtis de cauſis crediderim, neminem præter rebelles ſchiſmaticos, & impios flagitioſiſſimorum Regicidarum nepotes, R. *Carolo* I. quo nemo fuit ſanctiſſimi Numinis reverentior, ita ſub diris obteſtanti diffidere, reclamare, & refragari poſſe.

Hoc anno ſuppreſſa publico edicto, ſive *ordinatione*, ut appellant, contra omne jus faſque, Liturgia, abolitiſque ſacris ritibus in Eccleſia *Anglicana*, ab ipſis Reformationis initiis ſapientiſſimè inſtitutis, ne omnem religionis curam abjeciſſe viderentur Parlamentarii *Weſtmonaſterienſes*, Conventum Anglicè, an *Aſſembly*, Theologorum ibi celebrandum indixerunt, quorum arbitrio, ipſis tamen approbaturis, commiſſum erat, ut novam fidei & doctrinæ confeſſionem, novamque ſacri cultûs formulam. Quales verò fuerint iſtius novæ & hactenus in *Anglia* inauditæ Synodi, ex Clericis Laïciſque conflatæ, Adſeſſores, non parùm intereſſe puto, ut poſteri norint. Plerique claſſicum ad bellum contra Regem gerendum ejurata fide, in pulpitis cecinerant, & in Hierarchiam, ab omni tempore in Eccleſia Catholica ſtabilitam, impudentiſſimis ſpurciſſimiſque libellis, apud vulgus quaquaversùm ſparſis, & procaciſſimis conciunculis furore fanatico perciti, fuerant debacchati. Præclari quidem Myſtæ iſtis egregiis muniis obeundis maximè idonei! Non negandum eſt, verſutos homines ad quandam ſive gratiam ſive auctoritatem ſibi conciliandam, quoſdam ex Epiſcopis, Presbyteriſque, qui nondum ab illorum bona exiſtimatione excidiſſent, intermiſceri voluiſſe. In quibus, ut alios taceam, D. *Uſſerius* venit nominandus. At ille, quod de cæteris venerandis Præſulibus dicendum eſt, ſatis gnarus, intolerandum ſchiſma inde enaſciturum, multaſque prodigioſas in detrimentum, imò & perniciem, veræ Religionis & Eccleſiæ mutationes ex neceſſitate ſuborturas eſſe, illos ne præſentia ſua vel ſemel dignari voluit, & ab iſto *malignantium*

Synodus *Weſtmonaſterienſis.*

nantium cœtu prorſus abſtinuit. Detracta enim ſanctimoniæ, qua ſcelerata conſilia prius obtexerant larva, *Uſſerius Oxonii* ſub caſtrorum Regiorum præſidio tutus, rebellionem jam aperta facie ubique graſſantem ex animo execratus eſt multoſque concionibus aſſiduis, colloquiis, hortatibus, ſolutionibus dubiorum & caſuum conſcientiæ, ſcriptiſque ad abſentes tranſmiſſis, nutantes in fide erga Regem præſtanda confirmavit, lapſoſque reſtituit. Nec id diu factioſos rebelleſque *Weſtmonaſterienſes* latere potuit, qui ex communi ſuffragatione lata illius nomen ex albo Adſeſſorum expungendum juſſere: quod honori & beneficii loco *Uſſerius* duxit. Sed non hîc ſubſtiterunt Presbyteranorum furor & indignatio; mox enim luebat pœnas, licèt maximè immeritas, conſtantiæ ac probitatis ſuæ. Commiſſarii *Delinquentium* (ita enim quotquot ex ſenſu religionis & conſcientiæ Regias partes in iſtis fatalibus diſſidiis ſecuti fuerint, pro modeſtia ſua nuncuparunt) prædiis boniſque mobilibus, ubicunque tyrannis iſta ſub dominante exercitu, illorum juſſu conſcripto, extendi potuerit, diripiendis, inque ſuum uſum convertendis, deputati, ingentem, & quidem ſelectam, librorum copiam, aut ſecum ex *Hibernia*, cum reliqua ſepellectile ad domeſticos uſus neceſſaria, comportatam, aut pecuniis, rebus adhuc proſperis, nuper redemptam, in Collegio *Chelſeiano*, prope Urbem ſito, tanquam in Sanctuario ab omni militum violentia immuni, uti ſacrum depoſitum, relictam, armata vi occuparunt: quam publica auctione eſſent venundaturi, niſi D. *Featleyus*, vir perdoctus, orthodoxuſque Theologus, nondum ex iſta Synodo, ob fidem, quam erga Regem & Eccleſiam clam retinuit, exauctoratus, & D. *Seldenus*, tunc temporis magni nominis Adſeſſor, ſive precibus, ſive pecuniis numeratis, interceſſiſſent: quorum utriuſque junctis operis & cura, theſaurus ille literarius, licèt non integer, (exſpoliatus enim erat & codicibus quibuſdam impreſſis & ſchedis manuſcriptis mutilatus) conſervabatur, D. *Uſſerio* aliquanto poſt tempore reſtituendus.

Epiſtolæ S. *Ignatii Antiocheni* ab *Uſſerio* editæ.

Ante multos annos *Uſſerius* Epiſtolas S. *Ignatii*, Epiſcopi *Antiocheni*, edere apud ſe conſtituit, quas miſerè corruptas, miriſque interpolationibus, quæ ſanctiſſimi Martyris genio, pietati, moribuſque itidem & veterum Chriſtianorum fidei & doctrinæ, & temporum rationi & calculo repugnant, & novitatem planè ſapiunt fœdatas vidit, triſtiſque agnovit, in quibus defendendis, Scriptorum primæ claſſis *Romanæ* communionis, qui eas, prout in vulgatis codicibus exſtant, pro integris & ab omni alienæ manus admixtione & adulteratione liberis haberent, judicium

cium desideramus. De hisce autem genuinis Epistolis, quas à S. *Polycarpo* collectas, & ab *Irenæo*, & *Origene*, & deinde ab *Athanasio*, *Theodoreto*, aliisque veteris Ecclesiæ Patribus frequenter citatas, *Eusebius Cæsariensis* in specie & nominatim memoravit, pristinæ simplicitati reddendis, licèt operæ esset difficillimæ, & vix à quoquam, solis nudis inanibusque conjecturis freto, cum aliqua justa boni successus spe tentandum videretur, (neque enim illo tempore Exemplar Græcum ab istiusmodi assumentis integrum & purgatum comparuit) non desperavit *Usserius*, qui sublimi ingenio & admiranda sagacitate illud primus aggressus est. Cùm ergo harum Epistolarum veterem Latinamque versionem, à tribus *Anglis* Theologis olim citatam, in Archivis Bibliothecæ *Caio-Gonvillani* Collegii apud *Cantabrigienses* latere è catalogo codicum MSS. in utraque Academia repositorum *Jamesiano* A.MDC. typis *Londini* edito, didicisset, maximè solicitus erat, ut in illius usum integra omni cum accuratione exscriberetur: illique etiam geminam in Bibliotheca reverendissimi & doctissimi viri, D. *Richardi Montacuti*, Episcopi *Norwicensis*, repertam posteà felicissimè nactus est. Qua perlectâ & diligentissimè collatâ, quantum inter hanc & vulgatos Græcos codices inesset discriminis, plenè edoctus, sententias istas, contra quarum veritatem & αὐθεντίαν, exceptiones legitimæ, & quidem insuperabiles, à Reformatæ Communionis Theologis fuissent factæ, penitus abesse, & loca à Patribus inde excerpta, & præsertim testimonium illud à *Theodoreto* ex epistola ad *Smyrnæos*, quod in omnibus codicibus vulgatis desideratur, reperiri, lætis oculis vidit animadvertitque. Ut ergo antiquissimum istud Christianæ pietatis & doctrinæ monimentum à laciniis corruptorum fraude & mala mente infertis, quantum fieri potuit, emendatum & integrum in lucem produceretur, summis ingenii & industriæ viribus collectis contendit: quod illo quidem tempore fecit eò libentiùs, quo Presbyterani sub rebellis Parlamenti auspiciis elati, contra sacrum Episcoporum ordinem, in illis Epistolis, quatenus à Presbyteratu distinguitur, assertum, luculentissimisque argumentis demonstratum, non solum calamo & petulanti lingua, sed & gladio tormentisque bellicis pugnarunt. Tandem post longas moras desideratissimum & auro contra non charum opus prodiit *Oxonii* A. MDCXLIV. cum hoc titulo:

Polycarpi & Ignatii *Epiſtolæ: unà cum vetere interpretatione Latina, ex trium manuſcriptorum codicum collatione integritati ſuæ reſtituta: Accedit &* Ignatianarum *Epiſtolarum verſio antiqua alia, ex duobus manuſcriptis in* Anglia *repertis nunc primùm in lucem edita.*
Quibus præfixa eſt, non de Ignatii *ſolum &* Polycarpi *ſcriptis ſed etiam de Apoſtolicis Conſtitutionibus & Canonibus* Clementi Romano *tributis,* Jacobi Uſſerii *Archiepiſcopi* Armachani *Diſſertatio.*

Poſt hanc verò Diſſertationem *Uſſerius* adjicit Veterum teſtimonia de S. *Ignatio* & ejus Epiſtolis, & etiam de *Polycarpo.* Ad calcem apponuntur ejuſdem *Uſſerii* in *Polycarpianarum Epiſtolarum Ignatianarum Syllogen,* diffuſiſsimæ eruditionis, *Annotationes: in quibus Græcorum* Ignatii *exemplarium, & inter ſe, & cum utraque veteri Latina interpretatione, comparatio continetur.*

Hanc *Polycarpianarum Epiſtolarum Syllogen* ſequuntur *Epiſtolæ,* in generali titulo quidem omiſſæ, *B. Ignatio adſcriptæ, à mediæ ætatis Græcis ſex* (in quibus illa ad S. *Polycarpum, Smyrnæ* Epiſcopum, perperam recenſetur) *ſimul cum veteri vulgata Latina Verſione: item à recentioribus Latinis additæ aliæ tres, quibus præmiſſa eſt* Mariæ Caſſobolitæ, *poſterioribus ſubjuncta S.* Mariæ *Deiparæ nomine ad* Ignatium *edita Epiſtola; unà cum* Ignatii *elogio, ipſius in ſede* Antiochena *ſucceſſoris,* Heronis *titulum præferente.*

In qua editione laciniæ ab Interpolatore Græco textui inſertæ, quas vetus hic Interpres non agnovit, utpote longè meliori & ſinceriori uſus exemplari, diſtinctionis cauſa minio ſignantur.

Quàm præclariſsimè autem de S. *Ignatio,* de Rep. literaria, de Eccleſia *Anglicana,* imò & de univerſa Chriſtiana, hinc meritus fuerit D. *Uſſerius,* eruditiſsimi illius ævi ſcriptores cumulatiſsimis elogiis certatim teſtati ſunt, & grata poſteritas cum immortali *Uſſeriani* nominis celebratione mirabitur.

Penè nefas hîc reticere puto, eodem anno, quod non ſine ſingulari Dei providentia factum videtur, S. *Ignatii* Martyris Epiſtolas genuinas Græcè, ex codice Bibliothecæ *Mediceæ Laurentianæ,* unà cum Epiſto-

la

la S. *Barnabæ*, curâ ſummi viri, D. *Iſaaci Voſſii*, *Amſtelodami* prodiiſſe, qui veterem verſionem Latinam *Uſſerianam*, Græco textui conſonam reſpondentemque, ex adverſo curavit apponendam.

De Appendice verò *Ignatiana*, ab *Uſſerio Londini* A. MDCXLVII. edita, in qua, inter cætera Antiquitatis maximi pretii monimenta, genuinæ iſtæ Epiſtolæ Græcè quoque continentur, poſtea ſuo loco dicendum erit.

Syriacum Epiſtolarum *Ignatianarum* Exemplar quantovis pretio redemptum voluit *Uſſerius*, qua de cauſa literas ad *Chriſtianum Ravium* (a) tunc *Conſtantinopoli* agentem, cui annuam viginti quatuor librarum Anglicarum penſionem, dum in Oriente moram fecerit perquam benevolè aſſignavit, Septembre menſe A. MDCXXXIX. datis, ex *Hibernia* tranſmiſit, ut inter alios rariſſimæ notæ codices ibi notatos, exemplar iſtud, ſi reperiri poſſet, à *Maronitis* compararet. Sed conatus iſte perquam laudabilis planè in irritum cecidit; nec minus infeliciter poſt quadraginta annos ſuccubuit V. Cl. D. *Roberti Huntingtoni* induſtria, qui eaſdem Epiſtolas Syriacè verſas à Patriarcha *Antiocheno*, aliiſque, tum per *Syriam*, tum per *Palæſtinam*, *Meſopotamiam*, & *Ægyptum* ſparſis, diligentiſſimè quæſivit, & inveſtigavit. Sed omninò fruſtra; ut in illius vita fusè oſtendi. Nec tamen hîc ſubſtitit in iis perquirendis anxia *Uſſerii* cura; quin volupe fuiſſet, eaſdem quovis idiomate, ſive *Arabico*, ſive *Perſico*, ſive *Armeno*, conſcriptas, acquiſiviſſe: ex quibus non parum emolumenti ad perficiendam, quam adornaturus eſſet, Græcam editionem ſe conſecuturum ſperabat. Ita intimis medullis fixus inhæſerat *Ignatii* ſui amor.

Dum hoc opus ſub prelo adhuc ſudaret, mox tamen in dias luminis auras ex iſtis tenebris anguſtiisque exiturum, de quo præclariſſimè & optimè ſentiebant Primores Academiæ *Oxonienſis*, utpote quibus *Uſſerii* pietas, ſumma eruditio & candidiſſimi mores, à multis annis, & jam longo apud illos incolatu, familiari converſatione, & convictu coram erant perſpectiſſimi, in ſolenni Doctorum & Magiſtrorum convocatione, decimo Martii A. MDCXLIV. juxta computum *Anglicanum* celebrata, decretum erat, ut publico Academiæ *Oxonienſis* ſumptu & nomine, *Uſſerii effigies* Ignatianis Epiſtolis, ab illo illuſtratis, præfigenda, una cum elogio, *illius, quàm fieri poteſt, meritis*

Elogium Academiæ *Oxonienſis* de *Uſſerio* publicè exhibitum.

M 2

(a) V. Epiſt. CCCV. in *Sylloge*, pag. 623.

meritis pari, nec non hac Academiâ digno incideretur. Sed ii quorum intererat, ut liber ille, ab operis Typographicis conſummatus, citra omnem diuturniorem moram, quàm citiſſimè publicaretur, de iſta effigie parùm ſolliciti erant, perito chalcographo deſtituti: quam poſtea ſeorſim excudendam curarunt. Elogium verò illud, quo inter quosdam inſignes viros, huic rei procurandæ deputatos, convenerat, ita ſe habet:

Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *totius* Hiberniæ *Primas*, *Antiquitatis primævæ peritiſſimus*, *orthodoxæ Religionis vindex* ἀνυπεύθυνος, *errorum malleus*, *in concionando frequens*, *facundus*, *præpotens*, *vitæ inculpatæ exemplar ſpectabile.*

ROB. PINK, *Vice-Cancell.*

Ita nimirum illuſtre hoc reverentiæ, honoris, & obſervantiæ ſuæ erga *Uſſerium* monimentum ad poſteros tranſmittere, inque omne ævum propagare Academici *Oxonienſes* voluere.

S. *Barnabæ* Epiſtola.

Hoc anno etiam primùm prodiiſſet S. *Barnabæ* Epiſtola, quam prelo paratam S. *Ignatii* Epiſtolis annexuiſſe deſtinaverat *Uſſerius*, niſi caſus maximè deplorandus interveniſſet. Exemplari enim manuſcripto, cum reliquo apparatu, apud Typographum depoſito, ferali incendio in civitate *Oxonienſi* de ſubito & rapidiſſimè erumpente, ipſius ædes & officina, cum omni ſupellectile libraria, flammis abſumptæ erant: nec quicquam ereptum ſervatumque relinquebatur, præter pauculas ſchedas, typis nuperrimè excluſas, in quarum prima *Uſſerii Præmonitio* de iſtius Epiſtolæ ratione, argumento, contextura, antiquitate, auctoritate, & vero Auctore continetur. Hanc in præfatione editionis ejusdem Epiſtolæ *Oxonii* è *Theatro Sheldoniano* MDCLXXXV. vir præſtantiſſimus, D. *Joannes Fellus*, Epiſcopus *Oxonienſis*, de Rep. literaria, & de illa Academia optimè meritus, inſerendam curavit: ſed in fine mutilatam. Quem defectum cum ex iisdem ſchedis in oculum manumque fortè incurrentibus ſuppleviſſem, deſideratam iſtam clauſulam illi mox communicavi, ut in nova editione *Præmonitio* iſta integra legeretur. Cùm verò ſupplementum

tum illud è paucis lineis conſtet, ne penitus intercidat, cum venia eruditi & curioſi Lectoris, hîc apponendum duxi.

Poſt Δέκα Βασιλεῖς ἀναχήσονται καὶ ὀπίσω, *adde* αὐτῶν ἀναχήσεται ἕτερος, ὃς ἐκτρίψει κακῶς πάντας τοὺς ἔμπροσθεν, καὶ τρεῖς Βασιλεῖς ταπεινώσει. *Quod & ipſum non leve eſt antiquitatis argumentum.*

Quare quod de duobus locis, altero (a) *ex Evangelio juxta Hebræos de Servatore à* Joanne *baptizando, de nequitia Apoſtolorum altero* (b) *ex ipſo* Barnaba (*licèt* Ignatii, *ut dictum eſt, ſubſtituto nomine*) *à ſe producto uſurpavit olim* Hieronymus, *quibus teſtimoniis, ſi non uteris ad auctoritatem, utere ſaltem ad antiquitatem, id in univerſam hanc epiſtolam accommodandum cenſemus: ejus antiquitatem ita ſuſpicientes, ut auctoritatem tamen* (c) *ſententiæ illi Apoſtolicæ ſubjiciendam eſſe non abnuamus: omnia probate, quod bonum eſt, retinete.*

A. MDCXLV. Appetente vere, cùm Sereniſſimus Rex, ipſius rebus jam inclinatis, inque pejus quotidiè labentibus, Principem *Walliæ*, primogenitum ſuum, ſapientiſſimis Conſiliariis & numeroſo equitatu ſtipatum, verſus occidentales *Angliæ* plagas, tum illius ſaluti, ne in manus Rebellium, qui de obſidendo *Oxonio* conſilia inière, incideret, conſultaturus, tum nobiles viros in iſtis Provinciis fide integros, præſentia illius copiisque ſubſidiariis roboraturus, dimittere ſtatuiſſet, *Uſſerius*, quem in caſtris *Oxonienſibus* commorantem, perpetuis ferocientium Militum clamoribus intereſſe magis magisque tædebat, felici hac opportunitate arrepta, relicto *Oxonio*, heu! muſis depulſis, in ſedem *Bellonæ* converſo, ſereniſſimum Principem *Briſtoliam* uſque comitatus eſt. Inde in *Walliam* poſteà ſe recepit, aſylum apud Amicos, ubi Deo & ſibi vacaret, in mediis montibus quæſiturus. Relicto *Oxonio* *Uſſerius* *Walliam* petit.

Superato freto *Sabriniano*, appulit *Cardiffam*, oppidum in comitatu *Glamorganienſi*, in Auſtrali *Wallia* prope mare, tum ſitu, tum propugnaculis, contra quosvis ſubitaneos hoſtium impetus, munitum ſatis: quò confugerant etiam multi Nobiles ex propinquis vicis, qui Regiis partibus adhæſerant, Parlamentariorum deprædationibus inſultibuſque expoſiti & obnoxii: cujus erat Præfectus, vir antiquæ fidei & excelſi animi, D. *Timotheus Tyrrillus* Eques auratus, qui illius unicam filiam, virginem lectiſſimam, D. *Eliſabetham Uſſeriam*, in uxorem duxerat:

(a) V. Cl. *Salmaſium* de fœnore trapezitico p. 327.
(b) *Hieron.* l. 3. adv. *Pelag.* cap. 1.
(c) 1 *Theſſ.* V. 21.

Hæc incredibili cum lætitia à digniſſimo genero & filia exceptus, ad deſueta ſtudia (ciſtulas enim librorum, pro more, quocunque iverit, attulerat) lætus rediit, condendis *Annalibus* maximè intentus. Dum in hoc ſeceſſu per dimidium anni ſecurus delituerit, Sereniſſimus Rex, poſt prælium *Naſebeienſe* inauſpicatiſſimè initum, ex iſta clade tandem ad arcem *Raglandianam*, antiquam illuſtriſſimi viri, Marchionis *Wigorniæ*, ſedem ſalvus evaſit: deinde rebus ſuis, quoquo modo compoſitis, *Cardiffam* venit, ædibus Gubernatoris excipiendus. *Uſſerius* verò eodem, quo antea, benigniſſimo vultu & ſermone à Rege excipitur, ad frequens colloquium, jam ſub eodem tecto hoſpes, admiſſus: & concionem coram illo, iſtorum temporum circumſtantiis, ut credi oportet, maximè accommodatam, die Dominico habuit. Poſt paucos dies diſcedens Rex, annona, armis, pulvere pyrio, reliquisque bellicis proviſionibus exinde ſublatis, milites præſidiarios ſecum duxit, ut oppidum illud, jam planè incuſtoditum, non amplius defendi potuiſſet. Poſtquam autem Regi valedixiſſet *Uſſerius*, redux triſtiſſimum Eccleſiæ *Anglicanæ* fatum, & periculoſiſſimam, ad quam pientiſſimus Princeps impia rebellium ſubditorum rabie, hactenus fuiſſet redactus, & deinceps videretur redigendus, conditionem non ſine horrore & ſumma animi triſtitia deploravit.

Dubius animi, quò ſe verteret, planè neſcivit. Omnis enim ſpes redeundi *Oxonium*, adhuc, invicta præſidiariorum virtute ſervatum, quò Rex per ambages tandem incolumis perveniſſet, præcludebatur. Facilis equidem erat ex iſthoc portu in *Galliam* aut *Hollandiam* navigatio: ſed credo multa interveniſſe, quæ cogitationem iſtam, ſi in animo ſuborta fuiſſet, omninò averterent. In hac verò rerum, qua diſtinebatur, perplexitate, ſenſu reverentiæ erga D. *Uſſerium* tacta, illuſtris femina, Domina *Stradlinga*, dotaria, illum cum filiâ, pauciſque famulis, ad ædes ſuas, *Caſtrum S. Donati* nuncupatas, humaniſſimis literis invitavit. Sed ad proficiſcendum promptis paratiſque novaremora injecta eſt. Certiſſima enim fama percrebuit, ruſticos ad multa millia, correptis, uti præ ſe ferebant, pro Rege armis, ubique per globos coeuntes, viis publicis inſediſſe, ita ut iter iſtud ingredi temerarium videretur. Utcunque ductores, qui per vias invias à nemine calcatas, aut ſaltem minus frequentatas, in lateribus montium illos abſque periculo pertranſire poſſe, fide data, ſpopondiſſent, ab inſtituto itinere, Amicorum conſiliis ad id perſuaſi, abſiſtere noluerunt: quos citò temeritatis

ſuæ

ſuæ pœnituit. Nam quidam palabundi illac fortè tranſeuntes, illos, immanium latronum ritu, equis, pecuniis, & pretioſa ſupellectile abreptis, ſpoliare nequaquam contenti, ciſtis effractis, libros omne genus, mox per multorum manus diſtractos, prout quiſque in prædam incidiſſet, abſtulere. Opportunè quidem intervenerunt duo treſve, qui militibus hiſce, potius confuſè, licèt ingenti numero congregatis, quàm in juſtum exercitum, ſub diſciplinæ militaris regulis aptè conſcriptis, præfuere, quorum juſſu & auctoritate, equis & ſupellectile reſtitutis, ab omni alia barbarie ceſſatum eſt. In ædibus cujuſdam viri nobilis, non procul diſſitis, quò ſe receperat *Uſſerius* pernoctaturus, diriſſimo mœrore penè confectus, de miſeranda iſta ſorte, permittente Deo, cujus divinæ voluntati ſe morem gerere æquo animo debere agnovit, maximè dolebat, eo quod ingens iſta Collectaneorum, viginti annorum labore & induſtria congeſtorum, moles, quæ tandem aliquando in publicum Eccleſiæ & literarum commodum eſſet producturus, jam coram oculis pauculis momentis periiſſet. Nec videtur bonorum jactura, quam à rebellibus *Hibernis* ante paucos annos paſſus fuerit, ipſius animum acriùs pupugiſſe. Sequenti die, vicini Nobiles & Parochi illum adeuntes, ſe de hoc damno, quantum in illis erat, reparando, ſolicitè curaturos, interpoſita fide polliciti ſunt, quod & abundè præſtiterunt, publicis enim denuntiationibus, tum in vicis oppidiſque, tum in eccleſiis paſſim factis, ita cum colonis, ſibi jure clientelari, aut qualitercumque obnoxiis egêre, ut ſpolium illud literarium non integrum quidem (ſolebat enim dolens inter deperditos, duos codices manuſcriptos de *Waldenſibus*, catalogum Regum *Perſiæ*, Perſicè, ipſi ab *Elichmanno* communicatum, & denique (a) volumen de variis novi Teſtamenti lectionibus, recenſere) poſt (duos treſve menſes reſtituendum curarent.

Mox ventum eſt ad *caſtrum S. Donati*, in quo, tanquam in centro quietis, ob omni militum injuria immunis & illæſus, ſuaviſſimisque vitæ delinimentis benigniſſimæ Hoſpitæ munificentia perfuſus, hanc novam & inſperatam felicitatem ſibi gratulatus eſt, quod ingentis copiæ librorum optimæ notæ uſus jam ſuppeteret. Olim enim Viri ſplendore natalium & titulis illuſtres, D. *Edwardus Stradlingus*, regnante *Eliſabetha*, Eques auratus, & filius D. *Joannes*, poſtea ſub Rege *Jacobo* I. ex ordine Baronettorum, ſed omnigenæ antiquitatis, præſertim *Bri-*

(a) Epiſt. CCXLVI. D. *Uſſerii* ad D. *Hammondum* in *Sylloge* p. 543.

Britannicæ, ſtudio longè illuſtriores, quorum utriuſque V. Cl. *Gulielmus Camdenus* in *Britannia* ſua, in deſcriptione *Glamorganiæ*, non ſine debitis meminit elogiis, Bibliothecam inſtructiſſimam ad ſeros nepotes transmittendam magnis ſumptibus illic condidere. In iſtud ſacrarium illicò admiſſus *Uſſerius*, membranas chartaſque antiquas, Hiſtorias, Annales, & quicquid veteris ævi monimentorum ibi exſtabat, frequenti & diligenti manu verſavit; ex quibus non mediocre acceſſit auctarium, illuſtrandis Eccleſiarum *Britannicarum* Antiquitatibus non ita pridem editis deſtinatum. Sed poſt menſem, ſive id ex immodicis laboribus, ſive ex inveteratis ſupervenientis ſenectæ malis, eveniſſet, acutiſſimis tum ſtranguriæ, tum iſchuriæ doloribus correptus jacuit, quos poſtea ſanguinis ex naribus fluxus, neutiquam per multas horas ſiſtendus, excepit, ut jam de illo, viribus exhauſtis, in extremis mortis agonibus laborante, ipſis medicis quoque deſpondentibus, penè conclamatum fuerit. Undique percrebeſcebat rumor, illum morti ſuccubuiſſe, quem Regis adhuc *Oxonii* moram facientis aures attigiſſe ſupra retuli: & quaſi extra omne dubium poſitum fuiſſet, Vir doctiſſimus & *Uſſerio* perquam charus, *Joannes Grævius*, Aſtronomiæ apud *Oxonienſes* Profeſſor *Savilianus*, ad teſtandum tum luctum, tum reverentiam & amorem ſuum erga reverendiſſimum Antiſtitem, Inſcriptionem ſepulchrali marmori incidendam, quam inter illius ſchedas manu exaratas, reperi, paravit. Sed Deo Opt. Max. miſericorditer ordinante, poſt diuturnos languores, & lentè admodùm, non ſine gaudio omnium bonorum, tandem convaluit, quod reliquum erat vitæ, Deo, Eccleſiæ, Patriæ, & Reip. literariæ conſecraturus.

A periculoſo morbo, quo correptus liberatur.

Londinum repetit, à Comitiſſa Petroburgenſi invitatus.

Seſquianno propemodùm in *Wallia* expleto, incertus adhuc, ubi pedem & lares figeret, an in *Anglia*, an aut alibi terrarum, tandem viatico, pecuniiſque, quas vicini Nobiles benevolè ſuppeditarunt, inſtructus, & ſalvo conductu à Parlamentariis, qui devicto Regio exercitu, rerum potiti ſunt, ægrè impetrato, *Londinum* contendit, in ampliſſimis ædibus illuſtriſſimæ Dominæ, Comitiſſæ *Petroburgenſis*, de qua olim optimè meruerat, recipiendus. Illa enim ſpondebat & fidejubebat, ex gratia cum quibuſdam Magnatibus adverſarum partium jam dominantibus, quos cognatione attigit, inita, ut nihil mali ille, futurus domeſticus, ex Presbyteranorum aliorumque Sectariorum malevolentia, odio, & invidia pateretur.

Utcunque, conſultum, imo neceſſarium videbatur, id Commiſſa-

riis,

riis, ad explorandum omnes, qui Regias partes ſecuti, urbem acceſſerint, Deputatis protenus repræſentare. Coram hiſce Inquiſitoribus comparere juſſus *Uſſerius*, tortuoſis quæſtionibus pro ſapientia ſua ingenuè reſpondit, fide adhibita, ſe, præſentibus tunc *Oxonii* Agentibus, à Confœderatis Rebellibus de toleratione Pontificiæ religionis in iſta Inſula poſt inducias procuranda miſſis, Regiam Majeſtatem humillimè interpellaſſe, ut nihil in rebus ad Religionem ſpectantibus, illo inſcio, ageretur: quod & Rex benigniſſimè pollicitus eſt: nec apud Regem aliud conſilium ſe interpoſuiſſe, neque eidem tolerationi propoſitæ Regem ipſum vel minimùm faviſſe; ſed è contrario, eandem, cùm res iſta in Concilio ſanctiori diſceptaretur, ſtrenuè impugnaſſe. Poſtquam verò Præſidem *juramentum*, uti appellabant, *negativum* obtrudentem, ut de re tanti momenti apud ſe paucis diebus interpoſitis, deliberaret, rogaſſet, abiit impunis, nec, utpote D. *Seldeno* aliiſque ex inferioris Cameræ Adſeſſoribus, quos habuit amicos, ſeſe in illius gratiam interponentibus, iterùm comparebat, ab ejusmodi impiis poſtulationibus, quas execratus eſt, omninò liberatus.

Ab iſthoc tempore, rariſſimè, niſi juſtis de cauſis, ab illuſtriſſima femina reliquo vitæ tempore avellebatur, ad mortem uſque; ædibus illius, ſive in urbe, ſive rure, in Provincia *Surreienſi* affixus, & incredibili iſtius comitate, quaſi vi placidiſſima detentus, tanquam in propriis & ſui juris ædibus, ibi manſit.

In Sacello Hoſpitii *Lincolnienſis* ordinarius Concionator.

Ineunte A. MDCXLVII. venia à Parlamentariis ægrè admodùm impetrata, in ſacello Jurisperitorum Collegii, quod *Hoſpitium Lincolnienſe* nuncupatur, in ſuburbiis *Weſtmonaſterienſibus*, juxta illorum deſiderium munere concionatorio fungi cœperat, quaſi id, ſi non unicum, ſaltem præcipuum vitæ Eccleſiaſticæ habendum eſſet propoſitum & finis: in quo quidem longo uſu exercitatiſſimus, ingenio & memoria expeditè per omnes poſitivæ ac practicæ Theologiæ articulos communeſque locos percurrentibus, quicquid in mente abſque aliquo laborioſo cerebri nixu concepiſſet, id facili oratione, nec tamen incompta, parturivit: nec penſum iſtud hebdomadarium, durantibus terminis h. e. quando nimirum lites cauſæque forenſes aguntur, ferè per octo annos continuatum, obſtabat, quominus libris, quos dudum compoſuit aut compoſiturus erat, edendis ſtrenuam navaret operam. Quò autem commodiùs apud ipſos, quotiescunque adlubitum fuerit, diverſaretur *Uſſerius*, hujus ſocietatis Primo-

mores, (inter quos vir inſigniſſimus & juriſconſultiſſimus, D. *Matthæus Haleſius*, poſt inſtauratam Monarchiam, primarius *Angliæ* Juſtitiarius à R. *Carolo* II. conſtitutus, maximè memorari debet) amplas cameras, omni cum decora & utili ſupellectile inſtructas, illi aſſignarunt, eò ſanè expetibiliores, quod jam commodiſſimum penu, quo reponerentur libri, non niſi propitio Numine ſervati, quibus uti frui pridem negatum fuit, ibi eſſet reperturus.

Bibliotheca ipſi reſtituta.

Bibliothecam enim ſelectiſſimam & omne genus libris refertiſſimam in ædibus ſuis *Droghedæ* reliquit, ex *Hibernia* egreſſus. Hanc verò Urbeculam Rebelles arctiſſima cinxerunt obſidione, tumida ſpe elati, imò ſecuri, opimam iſtam prædam ab illorum manibus eripi non potuiſſe. Sacrificuli de Bibliotheca iſta ditiſſima inter ſe propria & peculiari ſorte partienda, vel ſaltem igni devovenda, frequentes ſermones conſeruere. Sed impia illorum conſilia cruentaſque machinationes evertit juſtiſſimus ſcelerum vindex, Deus. Immiſſi enim milites, civeſque, quò majoribus cladibus preſſi, eò obſtinatiores redditi, licèt fame penè enecti, nullis blanditiis pellicendi, nullis minis vel crudeliſſimæ mortis ad deditionem perterrefaciendi, hoſtes cum ingenti ſtrage & dedecore ſeſe turpi fuga ſubducere coegerunt.

Mox *Nicolaus Bernardus*, S. Theologiæ Doctor, & Eccleſiæ *Ardachenſis* Decanus, Bibliothecam iſtam, cui concredita fuerat, primò *Ceſtriam* in *Anglia* avehendam, & inde, deſæviente bello, viiſque publicis à militum rapinis & concuſſionibus, liberatis, tandem *Londinum* vero poſſeſſori, qui de hoc pretioſo peculio triumphos egit, reddendam curavit.

In hoc ſacro munere obeundo alacri, prompto, inconcuſſoque animo perrexit, uſque dum affecta ætas permiſerit. Caligantibus enim oculis & voce præ defectu dentium ita deficiente, ut illa vix in tanto Auditorum conſeſſu percipi potuerit, non longè ante mortem, admodum triſtis & invitus cedere cogebatur.

Appendix Ignatiana ab *Uſſerio* edita.

A. MDCXLVII. *Londini* edita eſt ab *Uſſerio Appendix Ignatiana*, in qua continentur.

I. Ignatii *Epiſtolæ genuinæ, à poſterioris Interpolatoris aſſumentis liberæ, ex Græco Mediceo exemplari expreſſæ, & nova verſione Latina explicatæ.*

II. Ignatii *Martyrium*, à Philone, Agathopode, *& aliis, qui paſſioni illius*

illius interfuerant, deſcriptum, ex duabus antiquis Latinis ejusdem verſionibus, nunc primum in lucem editum.

III. Tiberiani, Plinii Secundi & Trajani *Imperatoris, de conſtantia Martyrum illius temporis Epiſtolæ.*

IV. Smyrnenſis *Eccleſiæ de* Polycarpi *Martyrio Epiſtola, cùm antiqua Latina ejuſdem Metaphraſi, integre nunc primum edita.*

V. *In* Ignatii & Polycarpi *Acta, atque in Epiſtolas, etiam* Iguatio *perperàm adſcripta, Annotationes.*

Acta Martyriorum S. *Ignatii* & S. *Polycarpi*, præclara Antiquitatis maximi pretii monumenta, (unà cum *Actis* Barnabæ, *conſobrino ipſius*, Joanni Marco *ineptè affixis*) ante tres annos in publicam lucem *Oxonii* protuliſſe deſtinârat *Uſſerius*, ut ex ſynopſi totius operis, ſuperſtitibus Epiſtolæ S. *Barnabæ* ſchedis præmiſſâ, liquet, niſi grave illud incendium ſupra memoratum fataliter obſtitiſſet. Licèt verò aut illius in *Wallia* abſentia, aut publica mala longiorem moram, quam ſperaverit, indulſiſſent, tamen bonas inceptum illud abſolvendi in animo ſpes alebat, quod jam tandem factum fuiſſe orbis literatus gratulatur. Interea temporis, omni mala *Voſſianæ* induſtriæ & fidei ſuſpicione poſthabita, ex ſumma ſereniſſimi Principis *Ferdinandi*, Magni Ducis *Hetruriæ*, benevolentia & gratia, V. Cl. D. *Americo Salveto*, ipſius apud Regem *Carolum I.* Ablegato, operam & commendationem interponente, exemplar iſtud *Medicæum*, quod ad Epiſtolas genuinas ſpectat, exſcribi, & denuò hic etiam imprimi curavit: criticis tum ipſius, tum D. D. *Patricii Junii* & *Iſaaci Voſſii* conjecturis & emendationibus margini appoſitis, doctiſſimaque præfatione, in qua *Claudii Salmaſii* & *Davidis Blondelli* exceptiones *de verbo ex ſige producto* ſumptæ, quaſi poſt *Valentini* hæretici tempora à quodam Impoſtore ſub S. *Ignatii* nomine excogitatæ fuiſſent, contra illarum *'αυθεντία* intentatæ, refelluntur, præfixa.

Prodiit etiam hoc anno *Uſſerii* de *Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere, aliiſque fidei formulis, tum ab Occidentalibus, tum ab Orientalibus, in prima catecheſi, & baptiſmo proponi ſolitis*, Diatriba. *De Symbolo Apoſtolico, aliiſque fidei formulis Diatriba.*

Acceſſerunt.

I. Athanaſii *Symbolum, à Græcis interpolatum.*

II. *Symbolum aliud, eidem etiam à quibuſdam tributum.*
III. *Hymnus Matutinus & Veſpertinus veteris Eccleſiæ.*
IV. Hildeberti Cenomanenſis *de confeſſione Trinitatis Hymnus, & Oratio ad Dominum.*

Hoc opuſculum inſcribit *Uſſerius* clariſſimo & doctiſſimo viro, *Gerardo Joanni Voſſio*, qui, uti olim in Hiſtoriæ Pelagianæ elucidatione, ita nuper, Diſſertatione de tribus Symbolis edita, in hoc argumento illuſtrando, abſque communicatis ſibi invicem conſiliis, illum antevertiſſet. Multa verò hîc occurrunt à *Voſſio* aliiſque ſynchronis Scriptoribus, intacta, aut ſaltem leviter tacta, & multa nova ex obſcuriſſimis Bibliothecarum adytis in lucem eruta, doctiſque ſcholiis & obſervationibus illuſtrata. Novum verò illud, amplas nimirum de Spiritu Sancto explicationes, cum ſequentibus articulis, quas communis opinio à Patribus Concilii *Conſtantinopolitani* contra *Eunomii* & *Macedonii* τῶν πνευματομάχων hæreſin additas aſſerit, à primariis quibuſdam Synodi *Nicænæ* Adſeſſoribus, poſt ſolutum Concilium eidem Symbolo adjunctas fuiſſe, vix admittendum aut probandum videtur. Rationes autem, quibus hanc ſententiam ſuam tuetur, hîc in examen non revocabo: diſpiciant alii.

De *Macedonum* & *Aſianorum* anno Solari Diſſertatio.

Cùm omnis hiſtoria planè manca ſit, & confuſa obſcuritate laboret, abſque explicita & accurata temporum deſignatione, *Uſſerius* ideò quò faciliori opera res omnium ſeculorum aptiori ordine connecterentur, ab intima antiquitate replicandæ, Chronologiæ ſtudium ſibi gnaviter eſſe excolendum pro prudentia ſua duxit: quali autem ſucceſſu, breviculum quidem, ſed tamen perinſigne ſpecimen (inter alia poſthac memoranda) anno MDCXLVIII. *Londini* editum, in omne ævum teſtabitur, ſub hoc titulo: Jacobi Uſſerii Armachani *de* Macedonum *&* Aſianorum *anno Solari Diſſertatio: cum* Græcorum *Aſtronomorum Parapegmate, ad* Macedonici *&* Juliani, *anni rationes accommodato.*

In hoc libello eruditiſſimus Auctor de menſibus ſolaribus à *Macedonibus* in communem *Græcorum*, qui lunaribus hactenus aſſueverint, uſum, utrorumque collatione cum *Julianis*, uti & aliarum Gentium menſibus, facta, & de tempore, quo Martyrium ſubiit S. *Polycarpus*, diſſerit: & deinde poſtquam de integra *Macedonici* & *Aſiani* anni diſpoſitione & methodo egiſſet, canonas certos fixoſque ad inveniendum Cyclos Solis & Lunæ, tempuſque celebrandi Paſchalis modo didactico ſub-

ſubſtituit; curioſis quibuſdam adnotationibus de cœleſtibus motibus juxta veterum *Græcorum* Aſtronomorum, putà, *Metenis*, *Calippi*, *Eudoxi*, & aliorum obſervata, ſubindè intermiſſis. Ad calcem apponitur pulcherrima & utiliſſima *Ephemeris* totius anni, in qua, utpote ex diverſis eorundem Aſtronomorum Parapegmatibus ſummo cum labore collecta, ſtellarum ortus & occaſus, & tempeſtatum præſagia, quæ in iſtis climatibus accidere ſolebant, κατὰ πλάτος indicantur. In iſta perplexa parumque tunc temporis explorata Chronologiæ parte, ut *Uſſerii* conjecturæ ſcopum ſemper attingerent, id quidem humani ingenii vires ſupergredi videtur. Atque hanc laudem apud omnes ingenuos ſaltem meretur, quod viris doctiſſimis & præſtantiſſimis, in eodem ſtadio poſtea ſecundiori pede decurrentibus, tanquam dux & monſtrator viæ, vel invidia teſte, præivit.

Collatio-ni inter Regem & Parla-mentarios De-putatos in inſula Vecti in-ſtitutæ interfuit *Uſſerius*.

In ſolenni iſta collatione inter Regem captivum & Parlamentarios Deputatos de revocanda pace, ſopiendiſque illis cruentis, ſub quibus *Anglia* magis magiſque fatiſcebat, propemodum expiratura, diſſidiis in Inſula *Vecti* menſe Septembre hujus anni haberi cœpta, inter alias iniquiſſimas conditiones, poſtularunt Presbyterani, ut Epiſcopatus ex Eccleſia *Anglicana*, ipſo conſentiente, & ſcitum illud, prius ab illis latum, ratum habituro, exterminaretur in perpetuum. Hoc pientiſſimi Regis animum acerrimè urebat, qui ordinem illum ſacrum, ab ipſis Apoſtolis in primis naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ initiis fundatum, armis licèt infelicibus, adhuc tamen invicto calamo & lingua, propugnavit. Si in moderando Epiſcoporum, ſalvo ordine, poteſtate, adhibitis in graviſſimis cauſis Eccleſiaſticis Presbyterorum conſiliis & ſuffragiis, Schiſmaticorum furor ſeſe ſtitiſſet, haud invitus conſenſiſſet. Sed omnes indebitas *conceſſiones* omniaque pacifica conſilia cum ritu & contumelia rejecerunt hi Demagogi & Miniſtelli, qui in Eccleſia dominari cupiebant, nullius juriſdictioni & juſſibus obnoxii. Inter Theologos magni nominis, quos bonis, dignitatibus, reditibuſque exutos, Regiis partibus fideliſſimè adhærentes, Rex accerſiverat, ibi præſentes, aderat quoque *Uſſerius*, qui ad Presbyteranorum contumaciam expugnandam, ſciagraphiam novi regiminis Eccleſiaſtici, maximè in juris Epiſcopalis diminutionem ceſſuri, exhibuiſſe fertur, ejuſdem planè cum illa ſupra memorata, ad diſciplinam Eccleſiæ *Scoticanæ*, primò à *Knoxio* & *Melvino* introductam & ante paucos annos ſub *Carolo* I. rebellibus Confœderatorum armis ſtabilitam, nimium quam adaptata, formæ: hoc

ſolo nomine excuſandus, ut hoc iterum repetam, quod illorum exacerbatas mentes non aliud malorum impendentium remedium admiſſuras eſſe credidiſſet. Sed omnis ſpes ineundæ concordiæ citò evanuit, ceſſantibus poſt duos menſes fraudibus & perfidia *Cromwelli*, *Iretoni*, aliorumque è factione & ſecta Independentium, qui in Senatu pariter, ac in exercitu, ſuperiores partes tulerint, colloquiis. Inde, expulſis Presbyteranis, tragica optimi Principis cædes mox ſecuta eſt, quod norunt omnes : neque iſtorum temporum Annales replico.

Summus *Uſſerii* dolor ob immaniſſimum. R. *Caroli* parricidium à Perduellibus perpetratum.

Cùm inauſpicatiſſimus iſte dies, triceſimus Januarii, inſtaret, quando innocentiſſimæ vitæ & afflictiſſimæ virtutis Princeps, *Carolus* primus, quo nemo aut ſancti Numinis reverentior, aut legum obſervantior, aut populi illius curæ commiſſi amantior fuerat, nefando & poſt homines natos inaudito impiiſſimorum Perduellium ſcelere morti adjudicatus, cruentum pro Eccleſia & pro legibus martyrium ſubibat, ædium Comitiſſæ *Petroburgenſis*, in quibus hoſpitabatur *Uſſerius*, tectum, unde facilis verſus fatale pegma in ſpatioſa area juxta Palatium Regale, quod *Whitehall* nuncupatur, erectum, pateret proſpectus, invitus & reluctante animo, aliorumque repetitis poſtulationibus potius, quam ſibi indulgens, tandem aſcendit, ut longum vale clementiſſimo Domino ſuo diceret, illo ipſo tempore, quo Rex ad circumſtantes orationem habuit : interim precibus intus conceptis, quas lachrymæ ab oculis ubertim manentes, ſuſpiria & gemitus excepere, apud Deum fuſis, ut illius animum Spiritus S. gratia in iſtis ultimis agonibus firmaret, & ſolaretur. At cùm finita oratione vidiſſet Regem ſibi exuiſſe diploidem, ut ſecuri cervicem commodiùs ſubmitteret, totus contremuit, ingentique oppletus horrore, deliquium pati cœperat : inde citra vel minimam moram à famulo in cubiculum ductus, lecto decubuit, ibi aut extremum exſpiraturus, aut ſaltem applicitis corroborantibus remediis refocillandus. Nemo ſanè immaniſſimum illud & maximè execrandum flagitium aut acriori doloris ſenſu luxit, aut parricidas majori odio inſectatus eſt, aut pientiſsimi Martyris memoriam grandioribus elogiis celebravit, cujus natali die, quo victima cecidit, recurrente, per reliquos vitæ annos, ſe precibus, ſacris meditationibus, jejuniis, & mœrori totum devovere, iramque provocati Numinis, ne in univerſam Gentem communi clade inardeſceret, importunis interceſsionibus deprecari ſolitus eſt.

Annales mundi ab *Uſſerio* editi.

Cum *Uſſerius* diligentiſsimam Hiſtoriæ univerſali omnium ſeculorum

ab

ab orbe condito ad ultimum *Hieroſolymorum* excidium, quantum ex ſacris Scripturis, libriſque Ebræis, Græcis, & Latinis, quotquot hodie exſtant, aut in bibliothecis manu exarati reperiuntur, exhauriri potuit, ſive longè antè, ſive poſt religionem Chriſtianam in univerſum orbem terrarum prædicatione Evangelii introductam, juxta veros calculos juſta & concinna ſerie conſcribendæ operam diu adhibuiſſet, de edendis iſtis Annalibus, incredibili induſtria, ſudore, vigiliiſque elaboratis, præcipua illi jam ſeptuagenario cura fuit: & meritò quidem: quicquid ille ſenſerit, non tam ipſius, quàm poſterorum plurimùm intereſſe, ut hi accuratiſſimi omnigenæ Antiquitatis Commentarii, manu propria elimati, & abſque alienis admixtionibus integri, ipſo adhuc vivente, legerentur. Feliciſſimè ergo *Londini* A. MDCL. prodiit *Annalium pars prior, à temporis Hiſtorici principio, uſque ad* Maccabaicorum *initia producta: unà cum rerum* Aſiaticarum *&* Ægyptiarum *Chronico:* quam poſtea A. MDCLIV. ſecuta eſt *Pars poſterior, in qua, præter* Maccabaicam *& Novi Teſtamenti hiſtoriam, Imperii* Romanorum *Cæſarum ſub* C. Julio *&* Octaviano *ortus, rerumque in* Aſia *&* Ægypto *geſtarum continetur Chronicon, ab* Antiochi Epiphanis *regni exordio, uſque ad Imperii* Veſpaſiani *initia atque extremum Templi & Reip. Judaicæ excidium deductum.* Hiſce vero Annalibus poſterioribus addendum primo inſtituit, *Eccleſiaſtici Chronici Breviarium, uſque ad quarti poſt Chriſtum natum ſeculi exordium.* Quod utinam abſolviſſet! Poſtea Annales hi veteris & novi Teſtamenti ſimul editi erant *Pariſiis* A. MDCLXXIII.

Quantis plauſibus exceptum fuerit hoc deſideratiſſimum opus & maximi in omni hiſtoria uſus, cum id omnibus in harumce literarum ſtudiis paulò verſantibus ſit compertiſſimum, non opus eſt, ut hîc multis oſtendam. Quidni tamen dixero, chronologiam, tam ſacram, quàm civilem, quæ hactenus ſpiſſa obſcuritate & incertitudine laboraverit, jam ad certam facilemque methodum redactam; Epochas celebriores tum *Judæorum*, puta orbis conditi, diluvii, exitus *Iſraelitarum*, ex *Ægypto*, eorundemque ex captivitate *Babylonica* reditus, tum aliarum Gentium, uti Olympiadum, *Nabonaſſari*, *Romæ* conditæ, quarum anni jam ordine imperturbato decurrunt: (ex harum enim originibus evolutis monſtratisque pendet luculenta rerum ubique geſtarum cognitio, ut nullo negotio in communi periodi *Julianæ* menſura ſimul conjungi, comparari, & conciliari poſſint, fixas & determinatas, denique tem-

temporum rationes, ſucceſſionesque Regum *Judæorum*, *Ægyptiorum*, *Aſſyriorum*, & *Perſicorum* ritè compoſitas; item *Romanorum* peragrationes, itinera, victorias, triumphos, reliquaque in *Aſia*, *Syria*, *Paleſtina*, *Ægypto*, & alibi, ſive foris, ſive domi præclarè acta, cum N. Teſtamenti hiſtoria ſuis locis & tempore inſerta eſſe? Inter præcipua & celebratiſſima ſtupendæ eruditionis monimenta, quæ ſuperior ætas produxerit, *Annales* hoſce jure meritiſſimo recenſeri oportere, non vanus auguror, omnes proba mente & judicio præditi promptè fatebuntur.

Uſſerii ad *Cappellum* Epiſtola de variis Ebraici textus lectionibus.

Cùm acerrimæ lites, verboſa protervitate gravidæ, inter *Ludovicum Cappellum*, doctiſſimum *Criticæ ſacræ* Auctorem, & *Arnoldum Bootium*, Ebraicè peritiſſimum, de variantibus Ebraici textus lectionibus, an nimirum ex Græca τῶν LXX. verſione, aut aliunde, colligi aut poſſint, aut debeant, agitarentur; ambo ſuarum opinionum invicem repugnantium vi nimium confiſi, Epiſtolis ad *Uſſerium*, tanquam ad æquum idoneumque Arbitrum ſcriptis editisque publicè appellarunt. Ille verò ſilentio ſibi indicto, ejusmodi concertationibus, à quibus mentem habuit averſiſſimam, intermiſceri diu nolens, tandem *Capelli* repetitis, iisdemque importunis, epiſtolis provocatus, ſententiam, non præcipitem quidem & temerariam, aut ex ſtudio partium dictatam, ſed gravem, modeſtam, & ex ſano judicio, libratis rerum momentis, prout ſibi videbatur, derivatam, epiſtola ad eundem A. MDCLII. edita, dixit. Veruntamen an ille omnibus *Cappelli* argumentis probè & ad plenum ſatisfecerit, & an conjecturæ illius ſcopum ſemper attigerint, ego non inquiro: alii judicent: qui facilè interim dabunt, multa tum ad Græcam verſionem, tum ad *Samaritanum* Pentateuchum, quem à *Doſitheo*, ortu & genere *Samaritano*, & ſupparis cum *Simone* Mago ætatis, interpolatum, correptum, & depravatum fuiſſe ex decreto Synodico *Eulogii Alexandrini* apud *Photium* ſtatuit, pertinentia, curioſa indagine eruta, & lectu digniſſima, illic reperiri.

Uſſerium ad ſe vocat *Cromwellus*, cum illo conſilia varè initurus.

Uſſerii fama per univerſam *Angliam*, & potiſſimùm in Urbe, tum ob concionum in ſacello *Lincolnienſis Hoſpitii* habitarum frequentiam, tum ob libros recèns editos, magis magisque inclareſcente, ſceleſtiſſimus Latro, *Oliverus Cromwellus*, qui infamibus rebellis Parlamenti reliquiis (quæ vulgatiſſimo ſcommate *Uropygium*, Anglicè *The Rump-Parlament*, erant nuncupata) menſe Aprili expulſis, ſummam rerum poteſtatem, imperio planè deſpotico ſibi arripuiſſet, ut majorem populi pri-

plauſum captaret, *Uſſerium* accerſitum obvia comitate excepit, & inter alia colloquii argumenta, ſub falſa fictaque pietatis ſpecie *de augendo & ſtabiliendo tum in* Anglia, *tum alibi terrarum, communi Proteſtantium commodo*, (ſic ad fallendam incautam plebem ſceleribus ſuis meliùs ſecuriùsque obtegendis *religionis Proteſtanticæ* cauſam prætexere ſolent Invaſores) diſſeruit: ſed quicquid ſani conſilii dictaverit prudentiſſimus & piiſſimus Archi-Præſul, enthuſiaſticus iſte, quo exagitatus erat, furor, id planè irritum reddebat. Utcunque benignè dimiſſus erat *Uſſerius*, quem, licèt fanatico œſtro percitus, Ordinem Epiſcopalem, Liturgiam, ſacrosque Eccleſiæ *Anglicanæ* ritus, Clerumque Orthodoxum, fortunis & dignitatibus ſuis ob fidem in Regem Martyrio coronatum, Filiumque exulantem præſtitam, exutum capitaliter odiſſet, nondum retecta hypocriſeos larva, revereri & diligere præ ſe tulit: & ut id luculentiori documento conſtaret, ſuggerente, quod vero non abſimile videtur, *Bernardo*, olim *Uſſerio* à ſacris, jam verò *Cromwello* ab eleemoſynis . . . . libras ex pecuniis à *Deo dandis*, h. e. ex animalibus aliisve rebus divenditis, quæ aliquo modo ad mortem cujuspiam inferendam conduxerint, creſcentibus, utpotè ex veteri lege Regio Eleemoſynario ceſſuris, pioſque in uſus erogandis, illi numerandas permiſit. Nemo ſanè *Uſſerio* puſillanimitatem exprobrare debet, quod penſionem iſtam non optanti, nec teruncium quidem exſpectanti oblatam, ne dicam, obtruſam invito animo acceperit: cùm præcipitis conſilii damnoſæquæ imprudentiæ fuiſſet redarguendus, ſi ſecus feciſſet. Hac autem prudentia faciliorem ſibi parabat viam intercedendi apud Tyrannum alias infeſtum, pro fratribus oppreſſis afflictisque, ſi quando nova perſecutio oriretur, quæ mox ſecuta eſt, ut ſtatim videbimus.

Uſſerius ſolennem in funere *Seldeni* concionem habet.

D. *Joanne Seldeno*, viro ſummo, cujus fama, ob excelſiſſimas animi dotes conſummatamque eruditionem, nunquam interibit, neque ex hominum memoria delebitur, quamdiu literis conſtabit honos, triceſimo Novembris A. MDCLIV. è vivis excedente, clariſſimi viri, D. D. *Matthæus Haleſius* & *Joannes Vaughanus*, hic poſtea regnante *Carolo* II. ſummus Communium placitorum, ille ſummus totius *Angliæ* Juſtitiarius, aliique, ultimarum tabellarum Executores, impenſè rogarunt *Uſſerium*, ut amico jam fatis functo concione funebri parentaretur; utpote ſatis gnari, neminem, qui laudaret, quàm *Uſſerium*, digniorem habitum iri. Ut ſuum erga Virum

rum arctiſſima per quadraginta annos & ultra neceſſitudine ipſi conjunctiſſimum teſtatum faceret affectum & amorem, facilè adſenſus eſt, & die decimo quarto Decembris, quo corpus in Societatis, cujus *Seldenus* erat ingens lumen & decus, Jurisperitorum Templariorum ædes occupantium, Eccleſia terræ mandabatur, conſcenſis ſacris roſtris, perorans, non ſibi, non ampliſſimo illuſtrium virorum, qui ſplendidiſſimis maximèque ſolennibus interfuere exequiis, cœtui, non *Seldeno* defuit. Inter elogia, quibus dilectiſſimum ſuum *Seldenum* cumulavit, hoc maximum meritò videbitur, quod *ſe vix dignum, qui*, phraſi apud nos uſitatiſſima, *illius libros portaret.* h. e. nullo in pretio, ſi cum illo conferatur, habendum eſſe putaverit. Ita præ modeſtia propriæ dignitatis obliviſci viſus eſt *Uſſerius*, dum ſummam *Seldeni* doctrinam, quaſi in altiſſimo humanæ induſtriæ faſtigio collocatam, præconiis penè fidem exſuperantibus, extollere ſtuduerit.

Uſſerii de Græca LXX Interpretum verſione Syntagma.

Quò, ſenecta jam indies ingraveſcente, & propemodùm confecta, ſe propiùs ad ultimam vitæ metam accedere ſenſit *Uſſerius*, eò impenſiori ſtudio, quod prelo habuit paratum, in publicam lucem protrudere cupiebat. Sui ipſius ergo juſſu & cura prodiit *Londini* MDCLV. *De Græca Septuaginta Interpretum verſione Syntagma: cum libri Eſtheræ editione Origenica, & vetere Græca altera, ex Arundelliana Bibliotheca, nunc primum in lucem producta.* Fatendum eſt, *Uſſerium* quasdam κρίσεις δίκας & ſibi peculiares, de quibus meritò dubitari poteſt, in hoc Syntagmate protuliſſe, quas tamen mira ingenii ſubtilitate adſtruere conatus eſt. Prætermiſſo enim, quod ſolos quinque libros *Moſis* ab illis Interpretibus Græcè, & quidem accuratiſſimè, converſos fuiſſe dixerit, quæ erat *Ariſteæ*, *Joſephi*, *Hieronymi*, totiusque Scholæ *Judæorum* ſententia, ſtatuit, veterem iſtam interpretationem, in Bibliotheca *Ptolomæi Alexandriæ* repoſitam, incendio periiſſe: illam verò, quæ non multò poſt loco illius ſubſtituta, omnium tum Græciſſantium *Judæorum*, deinde ab hiſce Helleniſtis ad Apoſtolos & primitivæ Eccleſiæ Doctores derivata, quam Chriſtianorum in manus & ſub oculis veniebat, reliquos veteris Teſtamenti libros complectentem, ab aliquo *Judæo* poſt quartum *Ptolemæi Philometoris* annum factam fuiſſe: hunc obſcurum homuncionem textum ſacrum, aut addendo, aut detrahendo, aut mutando, aut pro laſcivia ingenii & dedita opera perperàm interpretando, adulteraſſe, illiusque fraudibus & perfidiæ miram iſtam, quæ inter Ebraicos & Græcos codices intercedit, diſcrepantiam

tiam adſcribendum eſſe. *Judæos* Sacerdotes & Levitas, tunc in *Ægypto* commorantes, qui, deſertis *Hieroſolymis*, in novo *Oniæ* templo, in agro *Heliopolitano* condito, ſacris operari conſueverint, ex oſcitantia, turpique ignavia hanc novam verſionem corruptam fœdatamque, temerario auſu, absque aliqua exploratione admiſſam, in publicos uſus adhibuiſſe, aliaque gratis dicta, à quibus recenſendis abſtineo: quæ ad rigidum examen vir doctiſſimus, *Henricus Valeſius*, in Epiſtola *Lutetiæ Pariſiorum* idibus Novembris anno MDCLXV. ſcripta, & in calce illius adnotationum in *Euſebium* edita revocavit. Longè tamen plura, miræ curioſitatis, quæ ſacrum textum, iſtius Græcæ verſionis varias editiones, illorumque temporum hiſtoriam illuſtravit, illic reperiri, omnes, qui de hiſce literis rectè judicare norunt, facilè concedunt, & inter illos ipſe animadverſor *Valeſius*; qui in limine Epiſtolæ memoratæ ita *Uſſerium* alloquitur. *Volo hic Tibi laudes tuas ingenere. Neque enim id modeſtia tua, nec amicitia noſtra patitur: Dicam tamen ingenuè, quod cenſeo, in plerisque quidem, quæ illic à te ſcripta ſunt, aſſentior tibi: tuamque eximiam eruditionem & acumen ingenii magnoperè demiror. Sunt tamen nonnulla, in quibus abs te diſſentire cogor invitus.*

Huic Syntagmati *acceſſerunt ob argumenti cognationem, de* Cainaane, *in vulgata LXX. editione ſuperaddito, ex illius Chronologia ſacra nondum edita, Diſſertatio: una cum ejusdem edita ad* Ludovicum Cappellum *de variantibus textus Hebraici lectionibus, anno* 1652. *& altera à* Gulielmo Eyrio *ad ipſum A.* 1607. *data Epiſtola.* De *Cainane* ſecundo Diſſertatio.

Sed de hac Chronologia ſacra, aliisque libris, quos *Uſſerius* reliquit ineditos, quorum tamen aliqui poſt mortem prodiere, uti & de ingenti ſchediorum illius & Collectaneorum mole, poſtea opportuniùs dicam.

Cromwellus mala & tetrica conſcientia, quæ illum ſuſpicioſum & irrequietum reddiderat, exagitatus, & de ſumma poteſtate, quam cædibus peſſimiſque artibus uſurpaverat, retinenda valdè anxius, jam retecta ſimulatæ miſericordiæ larva, in nobiles alioſque, qui Regias partes flagrante rebellione & funeſtiſſimo bello ſecuti ſunt, præſertim verò in Eccleſiæ *Anglicanæ* Presbyteros (nam Præſules deſpectui habuiſſe videtur propter paucitatem) qui omnium bonorum jacturam jurisjurandi reverentiæ & conſcientiæ tranquillitati firmiſſima mente poſtpoſuerint, ferocire, imò & ſævire cœperat. Horum plerique omnes ex utriuſque Aca- *Cromwellus* in Presbyteros Epiſcopales furioſè graſſatur. quem, pro illis interceſſurus adit *Uſſerius*.

Academiæ Collegiis, & Eccleſiis Parochialibus, quas ſacrilegè invaſerant Miniſtelli Presbyterani & Independentes, crudeliter ejecti, aut in ædibus conductis, aut in Nobilium familiis, aut in privatis ſacellis ſacrum juxta Eccleſiæ Anglicanæ conſtitutionem Miniſterium obibant, aut pueros & adoleſcentes in rudimentis doctrinæ, & erga legitimum Principem fidei, inque ſanæ Theologiæ articulis inſtituendi munus ſuſcipiebant: alii aliter, prout quiſque animo propendebat, in mediis hiſce anguſtiis amicorum benevolentia & liberalitate adjuti, vitam tolerarunt. *Londinum* autem erat reliquorum Confeſſorum aſylum, ubi in tanta civium multitudine tutiùs ſecuriùſque delituerunt, & majori libertate gaviſi ſunt. Hoc limis, imò indignabundis furentibuſque, oculis videns *Cromwellus*, & animo ferens iniquiſſimo, *Declarationem*, uti appellant, (nam conculcatis legibus, omnia pro arbitrio adminiſtrari voluit) primo die Januarii A. MDCLV. juxta ſtylum & computationem noſtram, publicavit, in qua ſub ſeveris pœnis jubetur, ne quiſquam ex illis in privatis ſcholis pueros doceret, aut in ædibus Nobilium exceptus, aut in Oratoriis, in quibus ſacri conventus haberi ſolebant, aliquam ſacræ functionis partem adminiſtraret, rapiendis in carcerem, qui contra fecerint. Ut ab hiſce moleſtiis periculiſque meliùs & honeſtiùs ſeſe eriperent Epiſcopales Theologi, multi ex his celebrioris notæ *Londini* commorantes, dira hactenus paſſi, diriora jam paſſuri, ut par eſt credere, (licèt ſibi ſoli gratiam hanc deberi aſſeruerit *Bernardus*, quem juſta laude hac ex parte, ſi rem ita ſe habuiſſe certò mihi conſtaret, neutiquam fraudandum cenſerem) ab *Uſſerio*, tunc rure agente, literis petiere, ut *Cromwello* pro gratia & bona exiſtimatione, qua apud illum valere ferebatur, interpoſitâ ſuâ operâ, iret ſupplicatum, ut libertas conſcientiæ, omnibus ſectis tum effusè conceſſa, ipſis quoque concederetur: & cùm in publicis Eccleſiis, è quibus detruſi fuiſſent, ſacri cultus causâ convenire non liceret, id ſaltem illis impunè conveniendi in Oratoriis privatiſque ædibus daretur facultas. Ut afflictiſſimis viris, ejuſdem ſacræ communionis Myſtis, in ſummo periculo conſtitutis, quoquomodo, quantùm in illo erat, opitularetur *Uſſerius*, relicta *Rigata* in provincia *Surreienſi*, ab urbe quindecim circiter milliaribus diſſita, animo penè deſpondente, de itineris ſucceſſu malè ominatus, *Londinum* repetit, bonaque cauſa fretus, ſacraque hac quaſi fungens legatione, ad *Cromwelli* præſentiam admiſſus, rem propoſitam piè & tenerrimo cum affectu urſit, tamque juſtis ac ſolidis rationibus & argumentis corroboravit, ut victor evaſe-

evaſerit, *Cromwelli* pertinacia, licèt ægrè quidem expugnata, qui pollicitus eſt, nullam iis moleſtiam faceſſendam eſſe, *modò rebus civilibus & ad præſentem πολιτείαν ſpectantibus ſeſe non ingeſſerint.* Sed nudis verbis abſque aliquo fortiori auctoramento licèt mille teſtes adfuiſſent, neutiquam fidendum erat. Ideo *Uſſerius* altera vice illum adibat, petiturus, ut priori *Declaratione*, ſi non penitùs revocata, ſaltem pro tempore ſuppreſſa, promiſſum iſtud ſcripto publico firmaretur. Facilè in cubiculum introductus, & ſedem capeſſere juſſus, ibi Chirurgum ulceroſo tuberculo in *Cromwelli* pectore excreſcenti emplaſtrum apponentem reperit. Aliquantillo poſt tempore, ad novum colloquium ventum eſt. *Cromwellus* autem auditis, quæ proponerentur, replicavit, *ſe de re iſta meliùs & exploratiùs cum Conſiliariis ſuis deliberaſſe, qui illius quàm maximè intereſſe judicarunt, neutiquam ejuſmodi hominibus, novis motibus quotidie intentis, qui erant ipſius, præſentiſque rerum adminiſtrationis infeſtiſſimi hoſtes, libertatem petitam concedi oportere.* Quo brevi colloquio finito, urbanè quidem dimiſſus eſt *Uſſerius.* Triſtis admodum rediit domum, & clam apud ſuos de *Cromwelli*, qui promiſſis non ſteterit, perfidia graviſſimè queſtus, ultra addidit inter alia, quod *Cromwelli* potentiam vix ſtabilem fore, aut permanſuram, aut ſaltem illius vitam ad multos annos prolongari non poſſe, illud nimirum ex turbatiſſimo rerum ſtatu, hoc verò ex ægritudinibus perpetuaque illius mentis agitatione, quæ eſt miſerrima ſors Tyrannorum, ut puto, pro ſagacitate ſua præſenſiſſet, *extorrem Regem tandem in* Angliam, *reverſurum eſſe.*

Uſſerium Chronologiam ſacram edere geſtientem primò ægritudo, deinde mors intercepere.

Circa medium Februarii, Urbe relicta, rus repetens, licèt acerrimus dolor menti, ob perſecutionem, quam interceſſione ſua apud flagitioſiſsimum Tyrannum avertere non poterat, jam adverſus Epiſcopalem Clerum paſsim graſſantem, altùm inſederit, quantillum erat vitæ, quod ſupererat, pro more quaſi in naturam verſo, dum ſolus eſſet, nulliſque innexus negotiis inter ſtudia doctrinæ ac pietatis officia partitus eſt. Relectis inque novum adductis examen ſchedis, quas de *Chronologia ſacra* prius apparaverat, quicquid ad opus iſtud abſolvendum defuiſſe videretur, addidit & ſupplevit: quod non modicum erat mentis ſolamen. Præſagire enim viſus, ſive ex viribus in iſtâ confectâ ætate penè abſumptis, ſive aliundè, ultimum vitæ ſuæ terminum non procul diſtare, nec longè prorogandum: ad diem natalem in Ephemeride iſtius anni adnotans, quotum ætatis ſuæ annum tunc attigiſſet, ſubjunxit, *dies meos completos eſſe*, & deinde literis majuſculis ſcripſit,

RESIGNATIO. Properabat quidem ultima hora, illo quidem exſpectante, Amicis non item. Viceſimo enim die Martii, ad veſperam, fataliter ægrotare cœperat, iſchiade primò laborans, quam proximo mane ſecuta eſt pleuritis. Inde dolor magis magiſque augebatur, remediis nullis à Medico, qui, ſive ex ignorantia, ſive errore, non benè, ut ex diſſecto corpore liquebat, partes ſuas impleverit, præſcriptis expugnandus. Interim per quatuordecim plus minus horas, ingenti, licèt non æquali, intentione & violentia, cruciatu diſtineretur, cui ferendo, vires imminutas vix aliquandiu ſuppetere poſſe, facilè ſentiens, Deo ſe totum effuſis precibus commendavit, aſsiſtente Comitiſſæ Sacellano. Circa lectum adſtantibus pia ſuggeſſit conſilia de præparatione ad benè ſanctèque moriendum, etiam dum robur, dum valetudo adeſſet: illuſtriſſimæ verò Comitiſſæ, ob inſignem illius benignitatem, quam per multos annos ſumma cum animi lætitia & voluptate expertus eſt, ſolennes egit gratias. Tunc paulò ante mortem petens, ut jam ſibi privatiſque ſuis orationibus & meditationibus vacaret, in hoc unicè intentus, Deum, ut propter *Jeſu-Chriſti* paſſionem & mortem illius miſereri pro infinita ſua miſericordia dignaretur: *Condona mihi*, inquiebat, *ô Domine, peccata mea omiſſionis.* Hæc erant illius ultima verba, nec quicquam aliud poſtea ab illo prolatum fuiſſe, qui aderant, audivere. * Mox enim piam efflavit animam *Uſſerius*, Vir ſummus, & propter pietatem, eruditionem, & dignitatem eminentiſſimus: poſtquam ſeptuaginta quinque annos, treſque, dempta una ſeptimana, menſes vixiſſet.

XXI. Martii MDCLV.

Convenerat inter V. C. D. *Timotheum Tyrrillum*, *Uſſerii* generum, & illuſtriſſimam Comitiſſimam *Petroburgenſem*, de illo ſepeliendo, cum omni debito decore, ſed ſine ſumptuoſa pompa & ſtrepitu, in Eccleſiæ Parochialis crypta, ad familiam iſtius propaginis *Howardorum*, è qua erat oriunda, pertinente. Sed quod veriſimillimum eſt, procurante *Bernardo*, qui ſe ſe in gratiam & favorem *Cromwelli*, utpote cui vitam debuit in iſta horrenda ſtrage, poſt expugnatam ferro ignique *Droghedam*, in qua, paucis admodum, ne mulieribus quidem exceptis, parcitum fuerit, inſinuaverat, *Cromwellus* artis diſſimulandi peritiſſimus, literis transmiſſis interceſſit, non ex amore pietatis aut reverentiâ canitiei ſacrarumque inſularum venerandi Archipræſulis, ſed vafris artibus politicisque rationibus inductus, voluit, ut ſacræ iſtæ exuviæ in Abbatiali Eccleſia *Weſtmonaſterienſi* publicè illius ſumptibus conderentur. Ille enim ſatis gnarus, quantùm decoris, quamque inſignem

Sepultus in Eccleſia Abbatiali *Weſtmonaſterienſi.*

nem gloriam, non tantum domi, ſed per univerſum orbem Chriſtianum, & potiſſimùm apud Eccleſias Reformatas in *Gallia*, *Belgio*, *Germania*, & alibi gentium, ſibi peperiſſet *Uſſerius*, id pro verſipelli ſuo ingenio dedita opera & ſedulò egit, non modicam laudis partem in ſe ex hoc magnifico funere derivaturus. Cui igitur apparando ducentas libras Anglicanas è fortuitis *Deo dandorum* pecuniis eximendas ſolvi juſſit. Non enim majori pretio egregiam iſtam, quam ab Exteris captaturus eſſet, laudem, cenſuit redimendam Parricida ſceleratiſſimus, & in omne ævum execrandus. Exequiis ex improviſo dilatis, corpus condiri oportuit: quod tandem indicto die, viz. XVII. Aprilis A. MDCLVI. currui, pullatis pannis lugubrem in modum, cum reliquis appendicibus, ornato, impoſitum, magno Nobilium numero comitante, prout in Magnatum funeribus fieri ſolet, *Londinum* deſertur. Cùm ventum eſſet ad ædes *Sommerſettanas*, ſereniſſimæ Reginæ *Henricæ Mariæ*, auguſtiſſimi Regis *Caroli* I. viduæ, palatium, *ſequeſtrati* (ut verbo forenſi utar) Presbyteri Eccleſiæ *Anglicanæ*, qui teſtandæ reverentiæ & obſequii erga *Uſſerium* causâ, illic ex pacto convenerant, ſeſe immiſcentibus, ni malè, poſt quadraginta octo annos, memini, paucis ex Miniſtris Presbyteranis *Londinenſibus*, inde egreſſi, bini longo rectoque ordine *Weſtmonaſterium* proceſſerunt, ut de confertiſſima aliorum, qui aderant, multitudine ſileam. Depoſita aliquanto tempore in Eccleſiæ choro ſandapila, *Bernardus* conſcenſis roſtris concionem, cui interfui, habuit in hæc verba 1. Sam. XXV. 1. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt univerſus Iſrael, & planxerunt eum nimis, & ſepelierunt eum in domò ſua in Ramatha*; qua ad finem perducta, proceditur ad ſepulchrum, in S. *Eraſmi* ſacello à latere magnificæ Capellæ R. *Henrici* VII. effoſſum, in quo, *Bernardo* officium iſtud in Liturgia præſcripturo, juxta ritus Eccleſiæ *Anglicanæ* iſthic peragente, recondebatur, uſquedum reſurrectionis aurora illuxerit, cuſtodiendum.

Hac compendiaria vitæ *Uſſerii* hiſtoria defunctus, ea, prout in contexendis deſcribendisque magnorum virorum vitis uſu venit, quæ ad formam habitumque corporis, *ἰδιοσυγκρισίαν*, mores, ingenteſque animi dotes, aliaque mixti generis propiùs ſpectant, paucis ex induſtria (neque enim Panegyriſten in celebrandis illius laudibus fuſiori ſtylo ſuperfluè excurrentem ago) referre, & quaſi coarctata tabella repræſentare, & demùm ſcripta, quæ reliquit, ſive perfecta, poſt mortem in lucem edita, ſive affecta tantùm, à quibus abſolvendis, aliis ſtudiis impeditus, manum abſti-

abſtinuit, recenſere jam, ut Lectorum curioſitati pariter ac profectui & commodo hac ex parte ſimul proſpiciam, aggredior.

Forma habituſque corporis.

Statura erat aliquantulum procera, & corpore benè compoſito, cæſarie, præſertim in juvenilibus annis, ſubnigra, temperie paulò ad ſanguinem inclinante, vultu gravi & ſerio, bonæ indolis ſedatæque mentis indice, inceſſu, etiam in ſenecta, erectus, robuſta valetudine, licèt ſemel febre quartana, iterumque ſtranguria immodicoque ſanguinis effluxu quaſſata: rarò admodum capitis dolori obnoxius, nunquam verò aut calculo, aut podagra vexatus: parcus vini, in cibo abſque condimentis reliquisque gulæ irritamentis cocto paratoque moderatus: ita ut, ſive id ipſius temperantiæ ſive facili bonæque concoctioni adſcribendum ſit, nihil inde mali ſentiente aut ſtomacho aut cerebro, è menſa repente, quamprimùm per hoſpites licuit, in muſeum ſtudiorum gratia valuerit reverti.

Mores doteſque animi.

Dein genio ſublimi, omniumque ſcientiarum, tam divinarum, quàm humanarum capaci, & de indefeſſa, quæ illum, exporrecto totius vitæ ſpatio, nunquam deſtituit, induſtria, non eſt, quod hîc quicquam denuò repetam, quod apud omnes notiſſimum eſt, quibus *Uſſerii* nomen non ignotum, & quod etiam libri, in omne ævum victuri, luculentiſſimis documentis teſtabuntur.

Pietas ſincera & abſque omni fuco & oſtentatione, quam ab ineunte adoleſcentia à corde, amore Dei cœlitus accenſo, fluentem, à turpitudine & opprobrio per gratiam *Chriſti* integram ſervavit, in omnibus vitæ actionibus officiisque religionis, ſive clam, ſive publicè peractis, illuxit. Non pecuniarum avidus, non opum corraſor, effuſæ in pauperes, præſertim in juvenes Academicos anguſtioris fortunæ, aſſignatis annuis penſionibus, ut ſtudiis animum alacriùs intenderent, liberalitatis: orphanorum aliorumque, quos impenſis ſuis in ſcholis educandos curavit, fautor & patronus. Sed inter Chriſtianas, quas exercuit, virtutes, mira humilitas potiſſimùm eminuit, quæ illum ſupra omnes titulos reddidit maximè venerabilem: non ſui amans, non aliorum contemptor. In tam alto dignitatis & famæ faſtigio poſitus, cunctos, etiam mediocris fortunæ & ingenii, obvia comitate excepit, amicos verò perquam benignè & familiariter, ſemper tamen ſub juſto veræ prudentiæ moderamine: ſibi minimè placens, relicta cuiquam opinandi libertate; non rigidus alieni operis cenſor: in Adverſarios, licèt laceſſitus, non contumelioſus: in congreſſu facilis, & ab omni moroſitate

va-

vacuus, à quo neminem aut elato ſupercilio aut faſtuoſò ſermone repellebat, ne Presbyteranos quidem Miniſtros, qui, licèt implacabili in ſacrum Epiſcoporum ordinem, illorum technis furoribusque hîc everſum, odio adhuc ferrentur, illum tamen revereri, & non mediocri obſervantia & obſequio proſequi præ ſe tulerunt.

Cenſurâ à quibusdam ob nimiam Presbyteranis præſtitam gratiam notatus.

Sed celari non oportet, illum inde ſibi apud ſuos non parùm invidiæ conflaviſſe, quaſi illorum ſchiſmati pariter ac ſententiis in quibusdam dogmatibus Theologicis controverſis nimiùm quantùm indulſiſſet, ne dicam, in præjudicium Epiſcopalis Eccleſiæ, oppreſſæ licèt & oppugnatæ, nondum tamen per horum fidem, conſtantiam in duriſſimis rebus patientiam & zelum ab hoſtibus triumphatæ, faviſſet. Multi enim *Uſſerium* lenitatis & benignitatis erga iſtiusmodi homunciones, qui indicto contra Regem & Eccleſiam *Anglicanam* bello, res ſacras civileſque perjuriis, rebellione & cædibus ſub larva *reformationis* commiscuiſſent, oſtenſæ, exceſſu peccaſſe cenſuerunt.

Strenuus olim *Calvinianorum* dogmatum aſſertor.

Quisquis in memoriam revocat, ut Catechiſmum, conciones (quandoque enim cùm de *Arminianorum* dogmatibus coram Rege aut ad populum peroravit, non abſtinuit ab acribus cenſuris) Epiſtolas editas, & *Gotteſchalci* Hiſtoriam omittam, quàm magnam in condendis Eccleſiæ *Hibernicæ* articulis partem olim ſuſtinuerit *Uſſerius*; illum quibusdam *Calvini* placitis addictiſſimum fuiſſe facilè ſibi perſuadebit; de quo, cùm diſputationes ejusmodi iterum paulò poſt mortem ipſius incaleſcerent, Presbyterani, quibus nimirùm diſciplina *Genevenſis*, pariter ac doctrina, cordi erat & in deliciis, ſpondentes, non parùm præſidii ex tanti nominis auctoramento in cauſam *Calvinianam* derivandum eſſe, tanquam de magno earundem opinionum Patrono & Fautore, ſeriò gloriati ſunt. Eſto. Quid ergo? Num cuipiam vitio verti debet, ſi in iſtis perplexis dogmatibus Theologicis, neutiquam ad doctrinam fidei ſpectantibus, quæ meræ ſunt argutiæ, & de quibus, pro varia laſcivientium ingeniorum inclinatione & indole, rixæ liteſque nunquam ceſſaturæ movebuntur, aut amplectendis aut rejiciendis, judicium ſuum, unitate Eccleſiæ ſalva & integra manente, ſecutus fuerit? Abſit: Nemo enim aut pius, aut prudens, aut modeſtus id dixerit. De qua re utique prorſus ſiluiſſem, ſi in eadem ſententia, quam pridem amplexus fuerat *Uſſerius*, tuenda perſeveraſſet. Illum verò ante mortem, quod ad hoſce articulos *de Electione & Reprobatione*, *de gratia*, *de libero arbitrio*, *de redemptione*

Sed mutavit ſententiam ante mortem.

ne humani generis per mortem Chriſti Salvatoris; reliquosque omnes ſpectat, aliam à priori, mutata mente, ſuſcepiſſe, & in gratiam cum Epiſcopo *Overallo*, conſummatiſſimo Theologo, rediiſſe, ex trium magnorum Virorum, omnique fide digniſſimorum, D. D. D. *Briani Waltoni*, *Petri Gunningi*, & *Herberti Thorndikii* teſtimoniis, propria ſingulorum manu ſignatis, adverſus quorum veritatem nulla legitima exceptio admitti poteſt, luculentiſſimè, quicquid contra dixerit *Bernardus*, liquet. Hæc verò, quod ex intuitu noſtratium, qui haſce ſchedas legerint, addo, in præclara de hoc argumento appendice, ad librum, cui titulus, Ἑαυτοντιμορούμενος, ab eruditiſſimo Viro, & invicto Eccleſiæ *Anglicanæ* contra iſtius temporis ſchismaticos vindice, D. *Thoma Piercio*, poſtea digniſſimo & integerrimo Collegii B. *Mariæ Magdalenæ Oxonii* Præſide, & Eccleſiæ Cathedralis *Sarisburienſis* Decano, contra quendam famoſum Presbyteranum Miniſtrum *Londini* A. MDCLVIII. Anglicè editum, exſtant.

In *Uſſerum* inſurgit *Heylinus*.

Hæc multis fortaſſe levia quidem videntur, ac ne hili æſtimanda. Sed longè ſeveriori dica intentata, *Uſſerium* aculeato ſcripto præſtringit D. *Petrus Heylinus*, jurium, doctrinæ, diſciplinæ, rituumque ſacrorum in peſſimis & difficillimis temporibus, Eccleſiæ *Anglicanæ*, ringentibus indignantibuſque Puritanis, ſtrenuus admodùm Aſſertor, quaſi ille in multis religionis capitibus explicandis à vero Articulorum, quibus omnes ſacris ordinibus initiandi ſubſcribere tenentur, ſenſu, & ab Eccleſiæ mente abiiſſet, imò & contraria dogmata invexiſſet. Adverſus has exceptiones breves Avi ſui, longo poſt tempore Actoris convitiis, ut putabat, irritatus V. Cl. D. *Jacobus Tyrrillus*, ex filia nepos, vindicias edidit. Sed nolo hiſce controverſiis dudum ſopitis me ingerere, nec ſingillatim iis recenſendis immorari: (utpote quod ſcopo & inſtituto Hiſtoricæ narrationis, quam ſuſcepi illuſtrandam, neutiquam convenit) unum aut alterum ex articulis objectis, qui præ cæteris cenſuræ obnoxii ſunt, quaſi in tranſitu memorare contentus.

A nepote defenditur.

Uſſerius Epiſcopos & Preſbyteros ſolo gradu, non ordine differre vult.

Ab ingenti iſto, ne dicam, immodico, quo ferebatur erga Eccleſias Reformatas, ſive in *Gallia*, *Belgio*, aut alibi gentium in transmarinis Regionibus, quæ Epiſcopis carent, affectu, ne ordinationes, à quibus Sacramentorum totiusque muneris Eccleſiaſtici adminiſtratio unicè pendet, apud illos factæ, irritæ & nullæ haberentur, *Uſſerius* juxta

ta quorundam Scholaſticorum, qui otio & ingenio ad deprimendam legitimam Epiſcoporum auctoritatem, hac in re à primis æræ Chriſtianæ ſeculis derivatam, & optimo jure vindicatam, abuſi ſunt, effatum, heterodoxæ novitatis arguendum, rotundo ore & expreſſiſſimi quidem verbis aſſeruit, *Epiſcopum & Presbyterum gradu tantum, non ordine differre*: in qua ſententia (uti in multis aliis dogmatibus Theologicis controverſis) habuit ſibi conſentientem & ὁμόψηφον (a) D. *Davenantium* Epiſcopum *Sarisburienſem*, cujus de Prædeſtinatione & reprobatione Prælectiones Academicas edendas procuravit. Hac decretoria ſententia, nequaquam admittenda, acerbiſſimas Pontificiorum cenſuras & opprobria, quaſi nulli eſſent Sacrorum Miniſtris in illis Eccleſiis ritè conſtituti, retundi & elidi poſſe putabant. Alii autem viri doctiſſimi, ex Præſulibus & Sacerdotibus, eſſentiali inter Epiſcopos, quibus ſolis ordinandi jus ab ipſis Apoſtolis, quorum ſunt ſucceſſores, per omne ævum ad illos transmiſſum & demandatum competit, & Presbyteros, quoad diſtinctos ordines, diſcrimine ſtudioſè retento, de iſthoc gravi defectu, quo laborant Eccleſiæ Proteſtanticæ extra *Angliam*, mitiùs & benigniùs ſentientes illas, præſertim *Gallicam*, ubi *Romana* Religio ſub civilis poteſtatis præſidio dominata eſt, adhucque dominatur, (nam diverſa Belgicæ, introductâ poſt abdicatum R. *Philippum* II. libera Republica, videtur eſſe ratio, quæ inde, *Uſſerio* cenſente, *minus excuſabilis*, quàm altera redditur) ex *neceſſitate ſola*, quam induxit temporum, quibus illorum Majores ab Eccleſia *Romana* ſeceſſionem fecerint, iniquitas, ſi non defendi, ſaltem excuſari, & inter membra myſtici corporis *Chriſti*, recenſeri poſſe longè meliùs ſtatuunt. Qua egregia animi moderatione jura Catholicæ Eccleſiæ integra & intemerata, & Chriſtianam charitatem & benevolentiam illæſam, ſimul ſervant: licèt cum illis in ſanctiori Euchariſtiæ myſterio participando vix communicaverint: quod tamen *Uſſerium*, ſi in *Gallia*, ac etiam in *Belgio* ſedem fixam habere contigerit, ſe facturum, omni diſſimulatione & metu ſepoſitis, profeſſus eſt. Ne verò de hoc *Uſſerii* indulgentia & candore triumphos agant Presbyterani, ſive *Angli*, ſive *Scoti*, meminiſſe oportet, *Uſſerium* illorum aut ordinationes calculo ſuo nunquam approbaſſe, aut ſacris interfuiſſe, utpote qui perjurii & rebellionis adverſus Epiſcopos, quibus fidem canonicamque obedientiam

(a) Determinat. Q. 42.

tiam ſolenni juramento addixerant, ſuſcitatæ manifeſti, nulla neceſſitate, ſive reali & inſuperabili, ſive ficta prætenſaque, adacti, flagitioſo ſchismate conſpurcati, quod alieni eſſet juris, longèque ſuperioris auctoritatis, ſacrilegè invaſerunt. Ne verò quispiam ſuſpiciones aleret, quaſi *Uſſerius*, ſententia *de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*, quam olim ſcriptis eruditiſſimis tutatus eſt, mutata, jura ſui ordinis violare aut imminuere in poſterioribus vitæ annis hac συγκαταβάσει propoſuiſſet, ſciendum eſt, illum ſimul eodemque tempore aſſeruiſſe, *eminentem iſtum ſpiritualis poteſtatis, qua Epiſcopi antiſtant Presbyteris*, gradum, neutiquam, ex Principum & Synodorum arbitrio pendere, aut à conſuetudine Eccleſiaſtica ex communi conſenſu introducta derivari, ſed ab ipſis Apoſtolis, à primis naſcentis Chriſtianiſmi initiis fuiſſe inſtitutam & ſtabilitam, *Presbyteros ſubeſſe Epiſcopis*, & Presbyteranorum, qui ab Epiſcopis *Anglicanæ* Eccleſiæ ſe ſeparantes, in illud novum regimen, novamque diſciplinam impia vi rebellibusque armis introduxiſſet, ordinationes *à ſchismatis reatu excuſari non poſſe:* ita molliter loqui amavit vir placidiſſimi ingenii: quas tamen prorſus irritas, inanes, invalidas, & nullas eſſe ex ipſius principiis, dicendum foret: nec quidem ipſo invito & repugnante: cum in iſtiusmodi ſacrilegis ordinationibus, formula, in Ordinali *Anglicano* penitus omiſſa, nulla poteſtas munus iſtud ſacrum adminiſtrandi ordinatis in ipſo impoſitionis manuum actu conceditur: quod ille idem eſſe *ac ſi quiſpiam chartæ nudæ & raſæ ſigillum appoſuerit*, dicere conſuevit. Ille autem à prælaudato Ordinali, quod tanquam omnibus numeris abſolutum maximi æſtimavit, ſe nunquam abduci paſſus eſt.

Quid de Liturgia Eccleſiæ *Anglicanæ* ſenſerit *Uſſerius* oſtenditur.

Cùm ſparſi rumores per ora multorum volitarent, quaſi ille, declinata ætate, ſi non malè, ſaltem minus honorificè de Liturgia ſenſiſſet, atrocem iſtam criminationem indignabunda mente & ore repulit *Uſſerius*, & epiſtola ad quendam nobiliſſimum virum tranſmiſſa, & iſthoc convitio ſeſe purgavit; nec id feciſſe contentus, ad famam apud poſteros hac ex parte vindicandam, duobus circiter ante obitum menſibus, in pugillaribus, in quibus memorabilia, præſertim ad ſe ſpectantia, adnotare ſolitus erat, ſignatis J. A. literis ſcriptum reliquit, *ſe Liturgiam magno in pretio & honore ſemper habuiſſe*, inque convitium iſtud, ac ſi illam *Idolum* aliquando appellaſſet, tanquam impudentiſſimum ac mendaciſſimum, ab inſita lenitate penè abreptus, ſeverè animadvertit: quod praxi ſua, poſtquam illius publicus uſus in Eccleſiis Parlamentario de-

decreto interdictus fuiſſet, abundè refutavit, utpotè in ædibus Dominæ *Petroburgenſis*, uti & alibi, ſacris religionis officiis à Capellano quotidie perlectis, ſemper præſens.

Sed hiſce omiſſis, proximo in loco de poſthumis *Uſſerii* libris breviſſimè ediſſerendum eſt, quos ſequens indiculus exhibebit. *Uſſerii* opera poſthuma.

Chronologia ſacra, ſeu annorum & παιδοποιίας Patriarcharum παροικίας Iſraelitarum in Ægypto, annorum etiam Judicum, Regum Judæ & Iſraelis ἀπόδειξις Chronologica Oxonii 1660. Edidit V. CL. D. *Thomas Barlovius*, Collegii *Reginenſis* in illa Academia Præpoſitus, & poſtea Epiſcopus *Lincolnienſis*. Liber ſanè quantivis pretii, & maximi ad intelligendam penitiuſque perſcrutandam V. I. hiſtoriam uſus, quem tanquam baſin & firmamentum Annalium ſuorum, tum ut certior firmatiorque ſacræ Hiſtoriæ in rebus geſtis enarrandis, illic continua annorum ſerie diſpoſitis collectiſque, conſtet fides, tum ut quando inceperint celebriores ſacræ Epochæ, è quibus ſubſequentium temporum cognitio pendet, ritè, ſubſtratis demonſtrationibus, ſingularumque ratione reddita, calculis accuratè ſubductis, ſtatuatur, ſe editurum, ſi vitam Deus & vires dediſſet, in præfatione ad ſecundam Annalium partem, pollicitus fuerat. Huic ſacro operi maximè intentum ex inopinato mors occupavit, quod maximè dolendum eſt, antequam ad finem perduxiſſet: ſed illius tamen maximam partem (ab initio enim liber ille mutilus eſt) in qua perplexas difficultates, dubiaque Problemata, quæ vel in hiſce ſtudiis verſatiſſimorum ingenia hactenus torſerint, admiranda ſagacitate ſolvit & explicavit, tanquam pretioſiſſimas reliquias ex incendio aut naufragio ereptas, ſupereſſe & ſervari literatus orbis ſibi gratulatur. Huic operi annectendum propoſuit tractatum *de anno primitivo & veterum Hebræorum Kalendario*, ni mors interceſſiſſet. *Hiſtoria Dogmatica Controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios, de Scripturis & ſacris vernaculis. Acceſſere Ejuſdem Diſſertationes duæ, de Pſeudo-Dionyſii ſcriptis, & de Epiſtola ad Laodicenos.* Londini MDCXC. Chronologia ſacra. Hiſtoria dogmatica de Scripturis & ſacris vernaculis.

In iſta Hiſtoria doctiſſimus Auctor, tam veterum *Ebræorum* ante Chriſtum incarnatum, quàm Patrum *Græcorum* & *Latinorum*, aliorumque Scriptorum cujuſque ſeculi, uſque ad A. MDXX. quo tempore lumen veritatis Evangelicæ ſpiſſis ignorantiæ ſuperſtitioniſque tenebris in Eccleſiis Occidentalibus per multa ſecula obvolutæ, emergens, orbi Chriſtiano illuceſcere & emicare inceperit, uti & Conciliorum teſti-

monia, ſententiis prolatis, aliaſque probationes ex jure civili & Canonico ductas, item Imperatorum, Regum, *Romanorum*que Pontificum decreta fusè recenſet: deinde de Scripturis in varias linguas in uſum populi Chriſtiani, tum ad ingenerandam fovendamque pietatem, tum ad illorum mentes clariori rerum divinarum, prout ſummè miſericors Numen per Prophetas, Evangeliſtas, & Apoſtolos Spiritu ſancto afflatos eas revelaverit, intelligentia illuminandum, converſis, multis variæ eruditionis argumentis ſubminiſtratis, agit: inſertis ſubinde perſecutionibus, præſertim in *Anglia*, in quibus ſequioribus ſeculis, iſtiuſmodi verſionibus, ne in vulgus ſpargerentur, obviam ire, illaſque penitus ſupprimere, omnibus viribus, imò ingenti cum furore & ſævitia, peſſimis rationibus inducti, maleſani homines anniſi ſunt: item, de origine erroris Pontificii, ampla narratione, ut de aliis cognati argumenti capitibus in præſens ſileam.

Quod verò doctiſſimæ tres iſtæ Diſſertationes luce publica donarentur, id pietati & curæ viri reverendiſſimi D. *Gulielmi Sandcrofti*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, maximè debetur. Ille enim Autographum, inter innumeras ferè illuſtrium & eruditorum virorum ſchedas, quas maxima induſtria collectas, in Bibliotheca ſua inſtructiſſima reponendas curavit, ab *Uſſerii* hæredibus, procurante reverendo viro D. *Parro*, nactus, ſapienti ac pio benè de Eccleſia *Anglicana*, cui ſumma cum laude præfuit, & de religione Chriſtiana merendi zelo incenſus, & maximè ſolicitus, ut iſtud in communem utilitatem ederetur, penſum verè ſacrum & honorificum eruditiſſimo Viro D. *Henrico Whartono*, Sacellano ſuo, quo harum rerum nemo erat intelligentior, ut varia illius ſcripta teſtantur, ſed non niſi ſumma cum lenitate, blandiſſimiſque verbis impoſuit. *Whartonus*, ſive juſſibus, ſive precibus benigniſſimi Patroni promptiſſimo animo obſecutus, laborioſum iſtud Opus maxima cum laude tandem abſolvit, ſchedas *Uſſerianas*, propria manu exſcriptas, ſcrupuloſo examine expendit, defectus & lacunas ſupplevit, loca luxata, nondumque probè digeſta, reſtituit & redintegravit, & ſi quid minus elaboratum & accuratum inibi reperiendum eſſet (neque enim librum hunc poſthumum repetitis curis eliminaſſet *Uſſerius*, in Annalibus digerendis, inque Chronologia ſacra, cui immortuus eſt, elucidanda, per multos annos totus occupatus) ad incudem revocavit, & præclariſſimo locupletavit Auctario. Suis partibus optimè defunctus,

tus, alium non potuit nec debuit quærere aut adſciſcere Patronum, cujus nomini lucubrationes iſtæ, tot egregiis acceſſionibus adornatæ, inſcriberentur, quàm τὸν πάνυ & μακαρίτην *Sanderoſtum.*

A. MDCLVIII. *Bernardus* librum edidit ſub hoc titulo: *Judicium Archiepiſcopi Armachani, nuper defuncti: in quo continentur ſequentes tractatuli:* Opuſcula quædam Theologica Anglicè edita.

I. *De vera intentione ſeu propoſito, & de extenſione mortis Chriſti & ſatisfactionis in cruce factæ.*

Scripſit autem hunc, rogatu cujuſdam Amici, ut ipſe notavit, menſe Martio A. MDCXVII. h. e. paulò ante Synodum *Dordrechti* habitam.

II. *Reſponſio ad quaſdem exceptiones contra hunc tractatulum factas.* Quidam enim ex iſtiuſmodi Adſeſſoribus, ex *Anglia* miſſis, exemplar, quod ſecum, illo planè inſcio, tulerat, aliis ibi communicavit, quorum aliqui, quibus moderata *Uſſerii*, mediâ viâ, ne alterutrinque devius, in præceps feratur, incedentis, ſententia, ac ſi Pontificiorum, Remonſtrantium, & cujuſdam Heterodoxi *Culverwelli*, errores ſtabilitum iviſſet, non parum diſplicuit, in illam acriter animadverterunt. Hinc, juſta ſententiam propoſitam latiùs & clariùs explicandi occaſione ſumpta, illorum criminationes refellere innocentiamque ſuam tueri neceſſe habuit.

III. *Epiſtola ad D. Gulielmum Twiſſum de Sabbato, & diei Dominici obſervatione ſive cultu: ſcripta circa* A. MDCXL.

IV. *Fragmentum Epiſtolæ ad D. Legum de Sabbato.*

V. *Fragmentum aliud Epiſtolæ ad quendam nobilem Virum, non longè poſt Hiſtoriam Sabbati a D. Heylino editam, ſcriptæ*, in qua etiam ejuſdem errores de Articulis Eccleſiæ *Hibernicæ* A. MDCXV. ſtabilitis admiſſos acerrimè vellicat impugnatque *Uſſerius*. Sed cùm in hiſce Epiſtolis multa exſtent, quæ Puritanis Sabbatizantibus nimium favere D. *Heylino*, expreſſo nomine reprehenſo, & jam palam in partes vocato viderentur, ille ira excandeſcens, & hac lite de Sabbato per multos annos ſopita, jam reviviſcente, hac nova provocatione irritatus, in ſui defenſionem, *Uſſerii* epiſtolam ad *Twiſſum*, varia eruditione refertam, amplo commentario refutare aggreſſus eſt.

VI. *Epiſtola ad D. Bernardum de Miniſtrorum in Reformatis Galliæ & Hollandiæ*

landiæ Eccleſiis ordinatione.

VII. *Epiſcopatûs ad Synodici regiminis formam in veteri Eccleſia receptam Reductio.* A. MDCXLI. *propoſita.*

Longè meliùs D. *Uſſerii* famæ conſuluiſſet *Bernardus*, ſi ab hac *Syllogè*, uti & à ſequente, edenda prorſus abſtinuiſſet. Nemo ſanè illius ſacros cineres nuperrimè conditos tunc temporis temeraſſet: nemo illi acerbam de aberrationibus iſtis intentaſſet litem. Sed cùm *Bernardus*, adjectis quoque Apologiis & ſententiæ *Uſſerianæ* de dogmatibus controverſis, de diſciplina Eccleſiaſtica, aliiſque argumentis, ex proprio ingenio explicationibus, multa in favorem Presbyteranorum, quos nimis officioſè, ne dicam, turpiter palpare ſolebat, immiſcuerit, ipſius imprudenti zelo imputandum eſt, quod D. *Uſſerius* Epiſcopalium Theologorum cenſuris & cavillis objiceretur.

A. MDCLIX. idem *Bernardus* alium ſub eodem titulo librum edidit, continentem D. *Uſſerii judicium de Babylone* Apoc. XVIII, quam de hodierna Romana Eccleſia interpretatur, uti & D. *Bedellus*, Epiſcopus *Kilmorenſis*, in concione annexa, in Eccleſia Chriſti *Dublinienſi* coram D. Deputato & Parlamento *Hiberniæ* A. MDCXXXIV. habita: & de *beſtia Apocalyptica*: Capp. XVII. & XVIII. Hæc brevia fragmenta parum digeſta videntur, nec digna, quæ ſub illius nomine in publicam exirent lucem, quod verſutia Bibliopolæ factum videtur, ut liber magnifico titulo, tanquam τηλαυγεῖ προσώπῳ munitus ornatuſque plures alliceret emptores.

Quæ ſequuntur, viz. de *impoſitione manuum*, de *formâ verborum in Preſbyterorum ordinatione ſenſu & uſu*, *& de præſtitutâ precum formulæ uſu*, *Bernardum* habent Auctorem; in quibus ſe *Uſſerii* judicium & ſententiam fuſiùs explicare & firmare neſcio quam verè affirmat. Sed viderint alii. Non autem tam imbelli in hiſce Articulis, qualis erat, *Bernardus*, defenſore egebat Eccleſia *Anglicana*.

De poteſtate Regum & obedientia ſubditorum liber.

A. MDCLXI. prodiit D. *Uſſerii* de *poteſtate Regum*, *& obedientia ſubditorum* liber, auguſtiſſimo Regi, *Carolo* II. à Nepote dedicatus, & doctiſſima plurimùm reverendi & ob penitiſſimam & exploratiſſimam Caſuiſticæ Theologiæ cognitionem, & ob merita laboreſque Eccleſiæ *Anglicanæ* contra ſchiſmaticorum inſultationes tuendæ per univerſam vitam impenſos, nunquam ſatis laudandi viri, D. *Roberti Sanderſoni*, Epiſcopi

pi *Lincolnienſis*, præfatione, in qua, poſtquam illius, utpotè ex originali autographo deſcripti, αὐθεντίαν oſtendiſſet, Democraticorum, qui omnigenæ poteſtatis originem à populo pendere inſulsè contendunt, principia, ſolidiſſimis, quibus nihil ritè opponi poſſit, argumentis convellit, munitus.

Partus ſanè *Uſſeriano* ingenio, pietate, & ſolertia perquam dignus, & qui parentem probè refert. Anſam ſcribendi dedere *Scotorum*, qui impio fœdere ſociati ſub reformandæ Eccleſiæ & libertatis vindicandæ ſpecie & prætextu adverſus Regem *Carolum* I. arma ſumpſiſſent, motus: de quibus *Uſſerius*, ut ſententiam judiciumque ſuum è ſacris roſtris proferre vellet, ab illuſtriſſimo Comite *Straffordiæ*, Prorege, ſi quis unquam, meritiſſimo, rogatus, duas conciones apud auguſtum Proregis Regiorumque Conſiliariorum conſeſſum in Eccleſia Chriſti *Dublinienſi* in verba hæc *Eccleſiaſtis* cap. VIII. 2. *Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva; ſed pro ratione juramenti Dei*, non ſine ſumma Auditorum approbatione & applauſu habuit. Porro iterùm rogatus ut aut conciones iſtas in publicam lucem edere, aut ſaltem librum de eodem argumento, h. e. *à quo auctoritatem ſuam derivent legitimi Reges, & quomodo Regibus ſubditos obedire oporteat*, majori apparatu & ampliori rerum enarratione è ſacris ſcripturis, è veteris ævi Chriſtianorum exemplis & praxi, è Patrum teſtimoniis, è ſanioris Philoſophiæ, juxta rectæ Rationis dictamina, placitis, & ex Ethnicorum Scriptorum conſenſu, quam temporum anguſtiæ paterentur, inſtructum evulgare vellet, poſterius, re benè penſitata, malebat. Hiſce conſiliis facilè inductus, ad præſens opus ſcribendum ſe accinxit, tandemque abſolvit, rem hoc pacto, tum ſereniſſimo Regi gratam, tum ſuis civibus, ne illorum animi Demagogorum, rebus novis ſtudentium technis irretiti, à fide erga Regem præſtanda abalienarentur, maximè utilem facturus. Poſtquam autem in *Angliam* veniſſet, librum iſtum, eleganter & accuratè exſcriptum, Epiſtola dedicatoria præfixa, Regi, qui illius uſu & lectione delectabatur, curavit exhibendum. Exemplar verò *Londinum*, ab *Uſſerio*, ut typis ibi mandaretur, prout Rex juſſerat, tranſmiſſum, ſive ex negligentia, ſive ex perfidia illius, cui ſacrum iſtud depoſitum fuerit concreditum, non amplius comparuit, ex oculis omnium ſublatum. Archetypum verò, ad jacturam iſtam reſarciendam inter ſarcinas ingentemque librariæ ſupellectilis ſtruem inveſtigavit: ſed omninò fruſtra, veritus, iſtud quoque in crebris iſtis migrationibus, quas obibat, deperditum fuiſſe. Doluit verò

& ingemuit, tot tantoſque labores & vigilias in iſto elaborando impenſos periiſſe. Sed dum, poſt animam ejus in cœlos receptam, ciſtas, ſchedas, codices manuſcriptos, faſciculoſque literarum diligenti admodum & curioſo examine explorant hæredes, ut quicquid ad D. *Uſſerium* pertinebat, in inventarium, ſi ita loqui liceat, referretur, archetypum iſtud ex tenebris poſt tot annos ſepultum, emicabat: de quo, tanquam de theſauro, ex crypta effoſſo, omnes, qui illius pretium uſumque noverint, ſibi invicem gratulati ſunt.

Duo denique ſchediola, quæ ſanè abſque piaculo prætermitti non poſſunt neque debent, utpote planè aurea & magni uſus, à D. *Parro* edita quorum alterum pias eruditaſque admonitiones & conſilia ad juvenes Theologos ſacris Ordinibus initiatos, alterum reſponſiones ad varia quæſita, an quovis prætextu arma contra Regem ſumere liceat, & ejuſmodi, tempore flagrantis rebellionis Parlamentariæ ſcriptas, complectitur.

Concio-nes. Poſt mortem, *Londini* ſemel, iterumque editæ erant viginti Concio-nes, quas *Uſſerius Oxonii*, dum illic ſtudiorum cauſa degeret, A. MDCXL. habuit, à quodam Academico ab ore notis tachygraphicis exceptæ: inelaboratæ quidem, & omni quæſito orationis fuco & artificiali compoſitione nudæ & vacuæ: in quibus tamen perſpicuitas cum pietate certat. Non enim elegantiam ſermonis, non Rhetoricæ colores, non minimam quidem eruditionis ſpeciem in concionibus ad populum habitis affectavit oſtentavitque; neutiquam ſibi indulgens placenſve; in ſubtilibus perplexiſque Theologiæ ſpeculativæ articulis excutiendis, aut in ſententiis S. S. Patrum aliorumque minorum gentium citandis, orationis curſu abſque omni linguarum Græcæ & Latinæ admixtione, ne Auditorum mentes, obſtaculis hiſce impeditæ, labaſcerent, continuato. Si quod ſacrum argumentum tractandum eſſet, ſelecto *Textu*, uti appellamus, congruo, de quo erat dicendum, ſola futuræ concionis præcipua capita, quaſi compendiariam illius ſummam, perquam ſeria meditatione præmiſſa, chartæ illevit, explicationibus, quas tenax memoria, ſagax judicium, facilitaſque & copia fandi, ex ſacris ſcripturis communibusque Theologiæ locis, utriſque ipſi maximè familiaribus, pro re nata ſuppeditaverint, inter ſcribendum omiſſis. Cujus methodi ope & ſubſidio, aſſiduum iſtum munus concionatorium, parum intermiſſis reconditioris literaturæ ſtudiis, facilè quidem & abſque tædio & anxietate ſuſtinuit: ad quod obeundum nunquam ſi

ali-

aliquot horarum daretur interſtitium, acceſſit imparatus. Si quod ſpirituallis commodi, quod aliquomodo animarum ſaluti conducere poſſet, Auditor perceperint, ſi qui inter præſentes illius documentis monitiſque, concitato affectu raptim effuſis, meliores ſanctioresque redderentur, hoc ſanè magno ſolatio fuit; nec quicquam mentem, dum in vitæ mortiſque confiniis ſteterit, ad cœlites avolaturam, cumulatiori voluptate perfudit. Sed cùm ab ejuſmodi concionibus edendis ſemper animum habuerit *Uſſerius* averſiſſimum, ab avaris iſtis mangonibus, qui lucro intenti, ex mala Notariorum, multa pro libitu aut interpolantium, aut omittentium fide pendentes, illas contra mentem Auctoris in publicam lucem protruſerint, magnam injuriam *Uſſeriano* nomini & famæ illatam fuiſſe declaramus, & cum juſta indignatione querimur.

Quod pari jure cenſendum eſt de libro, qui *Corpus Theologiæ, ſive ſumma & ſubſtantia Chriſtianæ Religionis*, inſcribitur, quem pro ſuo, quo tempore *R. V. D. Barlovio*, à quo ante triginta annos id accepi, exemplar dono dederit, non agnovit. Sed non opus eſt, ut alios teſtes ad fidem faciendam huc advocem: ipſum *Uſſerium* in epiſtola ad D. *Joannem Downamum* editorem, Maio menſe A. MDCXLV. ſcripta, id aſſerentem habemus, quædam nimirum, quæ, adhuc juvenis nondumque ſtudiis Theologicis imbutus, in *Adverſariis* congeſſiſſet, illic *reperiri, eandemque methodum, quam olim inibat, ſervari, multa autem alia ex* Cartwrighti *&* Crokii *Catechiſmis, aliorumque noſtratium Theologorum inſtitutionibus, ad verbum deſumpta; multa quoque ipſius menti & judicio prorſus contraria & diſſona*, & quæ ſanam doctrinam haud ſapiunt, quaſi per ſaturam *inſerta fuiſſe*, de cujus editione, illo in *Wallia* tum commorante, procurata, cùm primum audiviſſet, non parum angebatur. Corpus Theologiæ.

Cùm verò non multò poſt *brevis Catechiſmus de principiis Chriſtianæ religionis*, majoris operis tumultuariò congeſti ſumma & epitome, in ſuorum, aliorumque neophytorum, gratiam & uſum, in ſtudiorum Theologicorum tyrociniis conſcriptus, & mox in *Hibernicam* linguam verſus, ex ſurreptitio apographo, multiſque in locis deformato, ſub ipſius nomine editus fuerit, ſua intereſſe duxit, ut interpolationibus expunctis deletiſque, in commune bonum priſtinæ integritati reſtitueretur, cui, in iterata editione, diſtinctionis cauſa, ne incautis emptoribus deinceps fraudi fieret, præfationem, ſubſcripto nomine, A. MDCLIV. præfigendam curavit. Brevis Catechiſmus.

Alii libri ab *Uſſerio* elaborati ſed inediti.

Deliteſcunt adhuc in privatorum manibus ſequentes libri, quos à D. *Uſſerio* florentibus annis compoſitos fuiſſe mihi certò conſtat.

I. *De Corbis, Herenachis, & Termon-lands*, de quo vide, quæ ſupra memoravi, qui non ita pridem erat penes reverendiſſimum D. *Gulielmum Sandcroftum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, quo nemo iſtiusmodi cimeliis juſtum pretium ſtatuere meliùs norat. Collectanea autem in Adverſariis raptim & feſtinante calamo ingeſta, ex quibus, tanquam ex rudi indigeſtaque materia, pulchrum hoc ſurrexit opuſculum, artifici manu concinnatum, in Bibliothecæ *Dublinienſis* archivis hodiè proſtant.

2. *De primis fidei Chriſtianæ in Hibernia propagatoribus*, h. e. de S. *Palladio*, S. *Patricio*, ejusque in Sede *Armachana* ſucceſſoribus, quem, ut ipſe in epiſtola ad V. Cl. (a) *Gulielmum Camdenum*, A. MDCXVIII. data, refert, rogatu D. *Hamptoni*, Archiepiſcopi *Armachani*, ſcripſit. Sed de hoc opuſculo non adeo ſolicitè laborandum videbitur; cum quicquid inibi exſtat, procul omni dubio in ampliſſimo de *Eccleſiarum Britannicarum primordiis* opere longè majori apparatu & accuratiori examine reperiendum ſit.

3. *De jure primitialis dignitatis, ſedi Armachanæ à S. Patricii temporibus annexæ*, quem ex lite de præcedentia inter illum & Archiepiſcopum *Dublinienſem* orta, animo prorſus invito A. MDCXXXV. compoſuit. Variæ ſchedæ de hoc argumento, ex Eccleſiarum regiſtris regnique tabulariis propria ipſius manu conſcriptæ, è quibus multa de Eccleſiaſticis *Hiberniæ* antiquitatibus, in iſto libello omiſſa, & prorſus à quoquam intacta, erui poſſint, in iiſdem archivis *Dublinienſibus* etiamnum ſuperſunt.

Memini me ejusdem *brevem Joannis Harriſoni*, ultimum mundi excidium A. MDCXXX. fore, ſcripto, prout fanatici Euthuſiaſtæ ſolent, mira quadam audacia aſſerentis, *Elenchum* olim vidiſſe: in quo non ſolum hujus deliri calculatoris ineptiæ, ridiculis abſurdisque hypotheſibus fundatæ, èque perverſa annorum ab orbe condito è ſcripturis ſacris diſpoſitione, & peſſima & inſulſiſſima interpretatione loci *Apocalyptici* cap. XIV. 20. *de mille ſexcentis ſtadiis*, (juxta illum pro periodo durationis mundi habendis, quæ pro tota-

(a) *Camd.* Epiſt. CLXXXVIII. p. 233. & in Epiſt. *Uſſer.* Sylloge Ep. XXXIII. pag. 64.

tidem annis, à baptiſmo S. *Joannis*, cùm Chriſtus quaſi triginta annorum eſſe incepiſſet, inchoandis, & ſuperioris ſeculi triceſimo anno terminandis ſumit) exſculptæ; ſed etiam craſſi *Matthæi Beroaldi*, in *Chronico*, *quod S. Scripturæ auctoritate ſe conſtituiſſe* ſomniavit, errores ſolidis demonſtrationibus refelluntur.

Elenchus aliorum operum, quæ aggreſſus eſt *Uſſerius*.

Multa alia, & magna quidem, animo agitabat D. *Uſſerius*, vir omni literarum genere excultiſſimus, & ſublimi ingenio, ad omnia apto & compoſito, pollens: cujus igneo vigori, vires corporis, ſi non profligatæ, ſaltem aſſiduis laboribus imminutæ, haud reſponderunt, & apud ſe ſeriò conſtituebat, præter (a) *Inſtitutionum Chronologicarum* libros tres, in publicam lucem edere.

1. Canonem regnorum *Ptolemæi*, ab ipſo è codice MS. in Muſeo *Saviliano Oxonii* exſcriptum, variis notis Hiſtoricis & Chronologicis illuſtrandum, nudè quidem à V. Cl. *Joanne Bainbridgio*, Saviliano in iſta Academia Aſtronomiæ Profeſſore, ad calcem *Procli de Sphæra*, *& de hypotheſibus Planetarum* Londini MDCXX. editum.

2. Commentariolum *de annis magnis Romanorum*, *in quo de luſtris*, *agonibus Capitolinis*, *indictionibus*, *ſeculis*, *& ludis eorum ſecularibus diſſeritur*.

3. *Obſervationes in faſtos Magiſtratuum & triumphorum Romanorum*, *ab urbe condita uſque ad exceſſum Cæſaris Auguſti*, *ex fragmentis marmoreis è foro Romano effoſſis*, *& à doctiſſimis noſtri temporis Chronographis ſuppletis*.

4. *Mariani Scoti Chronicon*: Exemplar autem ſuum ex codice *Cottoniano* tranſumptum, & illius defloration̄em ſeu Epitomen *Roberti Lotharingi*, Epiſcopi *Herefordenſis*, cum alio apparatu ad (b) V. Cl. *Gerardum Joannem Voſſium*, ejusdem Chronici editionem eodem tempore molientem, literis interpellatus, admodum generoſo & benevolo affectu transmiſit.

5. Novum Teſtamentum Græcè (c) cum Scholiis variisque lectionibus, è multis MSS. codicibus, & præſertim codice Alexandrino in Bibliotheca Regia, accuratè collectis, quas poſtea (d) viro

(a) Vide Epiſt. *Uſſ.* ad *S. Wardum* anno 1630. ſcriptam, Ep. CLIX. p. 435.
(b) Ibid. p. 435. & epiſt. 193. ad *Voſſium* A. 1632. ſcriptam p. 483. vide etiam de *Mariano Scoto* D. *Langbainii* Epiſt. ad *Uſſer.* 225. p. 523.
(c) V. Epiſt. 235. p. 535.
(d) V. Epiſt. 246. p. 543.

præſtantiſſimo & eruditiſſimo, D. *Henrico Hammondo*, tum Paraphraſin & amplos in N. T. commentarios, adornanti, uti etiam poſtea (a) D. *Briano Waltono* benignè communicavit.

(b) 6. Libri *Jobi* Latinam verſionem S. *Hieronymi*, ex Græca *Origenis* editione factam, obeliſcis & aſteriſcis diſtinctam.

7. Veteres Epiſtolas Paſchales, ut ex ſequenti titulo, olim è ſchedis autographis à me exſcripto, liquebit:

Paſchaſii Lilybetani, Proterii Alexandrini, Dionyſii Exigui, & Bonifacii, primicerii Notariorum, Paſchales Epiſtolæ, quibus computi Eccleſiaſtici, ex præſcripto Concilii Nicæni, à Patriarchis Alexandrinis promulgati, & in univerſo orbe Chriſtiano ante Gregorianam reformationem fontes aperiuntur, ex vetuſtiſſimis MSS. codicibus in lucem editæ, & notis illuſtratæ à J. U. D.

Hiſce Epiſtolis *quinque cyclos Dionyſianos, cum quinque aliis ſequentibus A. DCXVII. à Continuatore quodam Dionyſii adjectis, & argumenta titulorum Paſchalium, Ægyptiorum inveſtigata ſolertia*, addere propoſuit. Epiſtolam iſtam *Dionyſii Exigui* cum duobus aliis MSS. codicibus, quorum alter in Bibliotheca *Bodleiana*, alter olim ad Monaſterium *Whitbeienſe* pertinens, in muſeo doctiſſimi viri D. *Thomæ Alleni*, exſtat, variis lectionibus margini appoſitis, ſumma accuratione contulit: quod de cæteris quoque dicendum eſt.

8. Epiſtolas *Alcuini*, ſive *Albini*, *Magiſtri*, uti appellatur, *Caroli magni Imperatoris*, hactenus ineditas, quas ex variis codicibus MSS. in Bibliotheca *Cottoniana* repoſitis, exſcribi curavit.

9. Epiſtolas *Lanfranci*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, ad diverſos miſſas, quas etiam è codicibus Cottonianis accuratè collegit.

10. *Anaſtaſii* Bibliothecarii librum de vitis Romanorum Pontificum, olim, viz. MDCII. *Moguntiæ* excuſum, cum additionibus & emendationibus.

Collectanea. Præter hæc ingentem quoque, imò & planè obſtupeſcendam Collectanea.

(a) In præfatione ad Biblia Polyglotta. *Quod ad textum Græcum N. Teſtamenti attinet collegerat etiam reverendiſſimus* Uſſerius *ex aliis libris XVI. MSS. antiquiſſimis, ex Academiis utriſque & alibi conquiſitis, loca variantia, quæ nobis benignè communicavit.*

(b) V. D. *Uſſer.* Epiſt. ad *Capell.* p. 206.

taneorum, partim propria ipſius manu, partim Amanuenſium, quos in ædibus ſuis aut alibi lauto ſtipendio aluit retinuitque diligentiâ exſcriptorum, ex quibus duo grandia volumina, præſertim de rebus Chronologicis, jam in archivis Bibliothecæ Juriſperitorum Hoſpitii *Lincolnienſis* ſervata exſcribi curavit D. *Matthæus Haleſius* ſupra memoratus, molem reliquit *Uſſerius*, quorum pars magna, quam olim celeri manu verſavi, penes hæredes manet, reliquæ in Bibliothecarum tum *Oxonienſis* tum *Dublinienſis* archivis reponuntur.

Amici familiares.

Jam per ſuperioris ſeculi dimidium, ex quo nomen ipſius inclareſcere cœpiſſet, arctam cum plurimis viris, dignitate & eruditione inſigniſſimis, amicitiam habuit, ſanctèque, præſtitis omnibus officiis, coluit: quales erant, præter illos, quos in hoc commentariolo vitæ & ſtudiorum ejus paſſim pro re nata memoravi, *Thomas Mortonus*, Epiſcopus *Dunelmenſis*, *Joannes Prideauxius*, Epiſcopus *Wigornienſis*, D. *Henricus Spelmannus*, cujus præclarum de *Conciliis Britannicis* opus, antequam ederetur Auctoris rogatu ad accuratum examen revocaverat, multiſque paral ipomenis ſuppleverat, *Joannes Bainbridgius*; ad quem inter alia, exemplar Synodi à S. *Patricio* olim indictæ & poſtea à D. *Jacobo Waræo* publicatam miſit: *Joannes Bainbridgius*, Aſtronomiæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſor *Savilianus*, *Joannes Gravius*, ejuſdem in cathedra Aſtronomica Succeſſor, *Thomas Jameſius*, *Gulielmus Gilbertus*, *Abrahamus Whelocus* & *Arnoldus Bootius* inter noſtrates: inter verò exteros *Gerardus Joannes Voſſius*, hîc iterùm nominandus, quem juxta ſecum in *Hibernia* habere voluit, & Eccleſiæ *Armachanæ* decanatu donandum, licèt irrito conatu, maximè cupiebat: *Chriſtophorus Juſtellus*, *Iſaacus Voſſius*, τῦ πατρὸς το παιδίον, *Claudius Sarravius*, *David Blondellus*, *Fredericus Spanhemius*, *Jacobus Goarus*, aliique, quibuſcum commercium verè literarium & eruditum inſtituit, ut abundè ex ingenti Epiſtolarum Sylloge, *Londini* MDCLXXXVI. publici juris facta, conſtat. Diffiteri non oportet, multas ex iis deperditas, multas ab Editore pro prudentia ſua ſubductas & ſuppreſſas fuiſſe: nihilo ſecius theſaurum doctrinæ multi generis, magni æſtimandum, jure appellaverim: in quo variæ rerum curioſarum in Theologia, Hiſtoria, & Chronologia notitiæ & documenta occurrunt. Ex his Lector *Uſſerii* tam in ſuis quæſitis, quàm in reſponſis, ingenium, ſolertiam, judicium, ſapientiam, & promptiſſimam aliorum, quos hîc nominare omnino ſuperfluum videbitur, ſtudia ad-

Epiſtolarum *Sylloge*.

ju-

juvandi & promovendi, conſilio, commendatione apud Magnates & Præſules, liberalibus largitionibus, codicibuſque MSS. commodatis, voluntatem magis magiſque mirabitur. Sed in hiſce communibus elogiis, quæ tamen magno in pretio haberi debent, referendis longiorem moram facere tædio foret.

Uſſerii Biblio-theca inſtructiſſima.

Pauca de Bibliotheca illius, non ſine magna induſtria ſumptibuſque magnis per quinquaginta annos & ultra collecta, reſtant dicenda, quæ uti à ſuſcepti operis ratione neutiquam aliena & diſſona, ita ingenuo, & candido Lectori non ingrata, uti ſpero, cenſebuntur.

Olim, dum florente Eccleſia, res domeſticæ integræ ſtarent, *Uſſerius* ſelectiſſimam hanc Bibliothecam, è decem millibus libris, tam impreſſis, quàm (a) manu exaratis, conflatam, Collegio *Dublinienſi*, in quo educatus fuerat, in perpetuum obſervantiæ & grati animi teſtimonium & monimentum, poſt mortem dono dare apud ſe conſtituerat: ſed mutatis temporibus, novaque rerum facie ubique per univerſas *Britannias* inducta, de filia, cujus virtus, pulcherrima forma, ingenium, modeſtia, reliquaque muliebris ſexûs decora, quando nupſerat, ampliſsimæ dotis vicem ſupplebant, ejuſque numeroſa prole, aliquo modo providendum eſſe juſsit potentior paternæ curæ & pietatis ratio. Dum enim poſt exortam *Hibernorum* execrandam rebellionem & lanienam, omnibus reditibus, fundis, fortuniſque exſpoliatus, anguſtiis rei familiaris opprimeretur, vix aliud quicquam, quo erat donanda, illi ſuppetebat. Omnes verò, quibus harum rerum erant aliquis uſus, cura amorque, ne in multorum manibus diſtraheretur, in publicos literarum & literatorum uſus alicubi integram ſervari cupiebant: quam ex certa fide conſtat, tum ſereniſsimum Regem *Daniæ*, tum Cardinalem *Mazarinum*, ſingulos nimirum in ſuum peculium, redimere voluiſſe. Sed interceſſit *Cromwellus*. Quis autem crederet hominem, enthuſiaſmi furoribus ſubindè correptum, & humanioris literaturæ oſorem, caviſſe, ne theſaurus iſte extra *Angliam*, non ſine ſumma injuria genti inurenda, exportaretur? Interim commodum accidebat, ut Ductores copiarum, quæ duce *Cromwello Hiberniam* expugnaverant, perquam laudabili æmulatione incitati, pecuniis ad bis mille & ducentas libras ſterlingicas excreſcentibus, tum ex ſuis, tum ex gregariorum in exercitu

(a) *Vide Catalogum librorum MSS. apud* Dublinium *qui prater alia, Viri optimi & fama ſempiterna*, Jacobi Uſſerii, *totius* Hiberniæ *illuſtriſſimi Primatis, Bibliothecam ſelectam explicat*: in magno opere Catalogorum *Oxon.* 1697. in voluminis ſecundi parte altera pag. 16.

citu militum ſtipendiis ſimul collectis, ut in Bibliotheca *Dublinienſi* primùm condenda factum fuerat, de libris *Uſſerianis*, ut nobilis eidem Bibliothecæ fieret acceſſio, redimendis convenerunt. Sed poſtquam in *Hiberniam* advecti fuiſſent, rejecto iſthoc propoſito, ne tali admixtione quippiam exinde gloriæ, quam captabant, decederet, de novis conclavibus alibi exſtruendis, in quibus ad majorem munificentiæ oſtentationem ſeorſim reconderentur, deliberarunt. Nondum conſtituta iſta re, in quaſdam arcis *Dublinienſis* cameras, quibus propemodum incuſtoditis, nimium facilis patebat aditus, detruduntur; malorum hominum, qui multos, uti fertur, tam excuſos, quàm manuſcriptos optimæ notæ, codices clam ſurripuerant, fraudibus obnoxii. Poſt inſtauratam Monarchiam, viz. anno MDCLXI. quo tempore excellentiſſimus & illuſtriſſimus Princeps, *Jacobus*, Dux *Ormondiæ*, ſumma prudentia & fortitudine *Hiberniam* gubernabat, ſereniſſimus Rex *Carolus* II. ad quem omne illud jus devolutum erat, Prorege & Ordinibus regni petentibus, communi Bibliothecæ, quotquot ſupererant, inferri pro benignitate ſua juſſit.

In Baſilica *Weſtmonaſterienſi*, quod mortale erat D. *Uſſerii*, reconditum jacere ſupradixi, ſed ibi inter tot Regum Magnatumque Mauſolea, tumulum illius, utpote nullis notis inſignitum, quiſpiam curioſus fruſtrà quæret, quem hæredes, ſive quia ille vetuit, ſive potiùs ad declinandam invidiam, in iſtis calamitoſis temporibus condidiſſe neglexerunt. Sed iſthoc adſcititio, licèt maximè debito, honore non eget ille, qui monimentum, omnibus ſepulchralibus titulis glorioſius, & quovis marmore & ære perennius, ſcriptis immortalibus ſibi vivus poſuerat, quorum perpetua utilitate & beneficio fama per omnium ſeculorum memoriam uſque ad ultimam perituri mundi ætatem propagabitur. Quantis verò elogiis præconiiſque condecorari meruerit, vir præſtantiſſimus, *Joannes Gravius*, quicum illi magnus amicitiæ uſus & neceſſitudo interceſſerat, pro ſummo erga illum affectu, ingenti reverentia, & juſtiſſima illius virtutum & conſummatiſſimæ eruditionis admiratione (a) olim hac ſequenti epigraphe, digna, quæ tabellæ deauratæ, ad murum Sacelli, juxta quem ſitus eſt, appendendæ, inſcribatur, poſteris teſtatum voluit.

R M. S.

(a) A. MDCXLV.

M. S.

JACOBUS USSERIUS,

Archiepiſcopus Armachanus,

Hîc ſitus eſt.

Ob
Rerum eruditionem,
Ingenii acumen,
Dicendi & ſcribendi facilitatem,
Morum gravitatem ſuavitate conditam,
Vitæ candorem & integritatem,
Æquabilem in utraque fortuna animi conſtantiam,
Orbi Chriſtiano & piis omnibus charus;
Omniumque judicio, præterquam ſuo,
Præſul verè magnus:
Qui Eccleſiam veterem inſtitutis,
Clerum ſuo exemplo,
Populum concionibus,
Aſſiduè inſtruxit:
Qui ſcripturas Veteris ac Novi Fœderis
Commentariis ex ultima
Et recondita antiquitate illuſtravit,
Chronologiam ſacram priſtino nitori reſtituit,

Bo-

Bonarum artium Professores, inopia afflictos,
Munificentiâ sublevavit.
Denique qui hæreses repullulantes calamo erudito
contudit.
His ingenii dotibus, his animi virtutibus ornatus,
Antistes optimus, piissimus, meritissimus,
Inter bella civilia, & patriæ suæ & Ecclesiæ funesta,
Sibique luctuosa,
Cum nec Patriæ nec Ecclesiæ diutius prodesse poterat,
In Christo pacis auctore placidè obdormivit.
Anno Christi . . . XXI. Martii MDCLV.
Ætatis suæ . . . LXXVI.

ELOGIA ET TESTIMONIA

illuſtrium & Doctiſſimorum Virorum

DE D. JACOBO USSERIO,

Archiepiſcopo Armachano.

JOANNES BRAMHALLUS, Archiepiſcopus *Armachanus* in fine Diſſertationis de Sabbato & die Dominico, illum appellat *eruditum ſuumque reverendiſſimum Metropolitanum, ſub cujus pio & moderato regimine per aliquot annos Epiſcopus in provincia* Ultoniæ *vixit:* pag. 934. & denique in extrema concluſione, addit *that he was an honour to his native country, an ornament to the Reformed Church, a conſcionable Preacher, and an exemplary pattern of piety.* pag. 938. in editione operum illius, *Dublinii.* MDCLXXVII.

BRIANUS WALTONUS, Epiſcopus *Ceſtrienſis*, in præfatione ad Biblia Polyglotta, *Londini. Inter quos primas meritò tenet Primas ille reverendiſſimus* Hiberniæ, Jacobus Uſſerius Armachanus, *ὁ μακαρίτης, cui inter alias virtutes, hæc propria laus erat, nil proprium habere, ſed ex effuſâ bonitate omnia in Reip. literariæ bonum communicare, qui ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca libros plurimos MSS. & impreſſos variorum idiomatum nobis libenter commodavit, conſiliumque ſuum, quando ipſum convenirem, impertivit: quo in multis me adjutum profiteor: haud iniquè tamen tulit, quo erat animi candore, ſi in quibusdam diſſenſum liberè profiterer.*

JOANNES PEARSONUS, Epiſcopus *Ceſtrienſis*, in epiſtola dedicatoria ad *Gilbertum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem Vindiciis Ignatianis* præfixa, *Cantabrigiæ* 1672.

Quid feliciſſimos eruditiſſimi Primatis Armachani *conatus, quid conſpi-*

ſpirantem originalis Græci codicis à doctiſſimo Voſſio *peropportunè procuratam editionem, quid* Hammondi *viri optimi conſummatiſſimique Theologi, lucubrationes commemorem?*

In proœmio :

Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus Hiberniæ *Primas, Vir miræ in his rebus perſpicaciæ fideique.*

JOHANNES DAVENANTIUS, Epiſcopus *Sarisburienſis*, in adhortatione ad fraternam communionem inter Evangelicas Eccleſias reſtaurandam *Cantabrigiæ* 1640. pag. 84.

Rectè obſervavit reverendiſſimus Archiepiſcopus Armachanus, *Vir ſingularis pietatis & omnigenæ eruditionis laude cumulatus. Quod ſi quis &c. in concione coram Rege pag.* 28.

JOHANNES PRIDEAUXIUS, Epiſcopus *Wigornienſis*, in Lectione XIII. quæ eſt *de mille annis Apocalypticis* pag. 209. *Oxonii* 1648.

Infinita hîc congeri poſſent ad hoc firmandum teſtimonium, ſed iſta non capit mei inſtituti compendium : peti poſſunt à locupletiſſimo ſolidæ eruditionis & totius Antiquitatis gazophylacio, Archiepiſcopo Armachano, *de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu :* cap. 3. 4. 5. 6.

JOSEPHUS HALLUS, Epiſcopus *Norwicenſis*, in epiſt. ad D. *Uſſerium* Maio 1647. in *Sylloge* pag. 516.

Gratulor vero ex animo, te, Antiſtitum decus, S. Ignatio *tuo : gratulor tibi, imo univerſo orbi Chriſtiano,* Ignatium, *meritiſſimò tuum, ſed quidem & tuo beneficio noſtrum. Gratiorem profectò operam navare Dei Eccleſiæ nullus unquam potuiſſet, quàm tantum, tam antiquum pietatis exemplar ab injuria temporis vindicando.*

In epiſtola ad eundem Julio 1650. p. 554.

Accepi à te pridem, honorandiſſime Præſul, munus egregium, teque uno dignum, Annales ſacros veteris Teſtamenti accuratiſſimè digeſtos.

D. JOANNES FELLUS, Epiſcopus *Oxonienſis*, in præfatione ad epiſtolam S. *Barnabæ :* Oxonii 1685.

Hæc poſtquam per plurima ſecula in Bibliothecarum pluteis delituiſſet, reverendiſſimi Uſſerii Armachani *Primatis ſtudio & auſpiciis prelo hoc in loco ſubjiciebatur anno* 1643.

Deinde —— *quæ de opere ipſo dicenda ſuperſunt, ut viri magni memoriæ litem, verba illuſtriſſimi Primatis prædicti, quæ flammas evaſerant, exhibebo.* —— *Quid autem eruditiſſimus* Hiberniæ, *juxta & melioris literaturæ Primas de Epiſtolæ hujus auctore ſenſerit, quanquam non ex dictis liqui-*

do appareat; indicia tamen ſunt ſatis clara, quæ fidem faciant, propendiſſe eum in hanc ſententiam, ut crederet, opus hoc Scriptori ignoto deberi.

HENRICUS HAMMONDUS in epiſtola ante Diſſertationes quatuor de juribus Epiſcopatus *Londini* 1651. editas.

Alii interim, nec pauci nec contemnendi Theologi ad tutandam Epiſcoporum πρεσβείαν operas & Symbolas ſuas contulerunt, ſinguli ſingulis & juſtis voluminibus rem integram exorſi: quibus ut fas erat, reverendiſſimus Archiepiſcopus Armachanus, Hiberniæ *Primas, ſuis de origine Epiſcoporum & Metropolitarum, & de* Aſia *Proconſulari eruditiſſimis Diatribis, facem prætulit.*

In Diſſertatione ſecunda de S. *Ignatio* cap. 2. pag. 57.

Tacco lubens, quid in hac re reverendiſſimus Primas Armachanus *præſtiterit, & quàm feliciter ille (nec ſine peculiari Dei providentia ſic diſponente) Latinam, licèt barbaram, verſionem,* Voſſiano *Græco exemplari per omnia reſpondentem, eodem ferè tempore (ipſoque ſanguinarii ſeculi, Epiſcopis adeo infenſi, articulo) ex vetuſtiſſimis* Angliæ *codicibus eruitam* Oxoniæ *lucem videre juſſerit.*

ABRAHAMUS WHELOCUS in epiſt. dedicatoria, *Bedæ* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis *Anglorum* præfixa, *Cantabrigiæ* 1644.

Ea (hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Britanno-Saxonum* profeſſio) *mihi deſtinata à viro nobili, nunc non ſine detrimento literarum hac in terris vita defuncto, antiquiſſimæ, dum vixerat, literaturæ & fidei,* D. Henrico Spelmanno, *& (quod me alias huic oneri planè imparem plurimùm confirmavit) ſub auſpiciis reverendiſſimi* Armachani, *totius* Hiberniæ *Primatis, qui* Londino *huc ad majora Comitia* Cantabrigiam 1640. *veniens, voluntatem pii & inclyti Senis —— explicuit, mihique ipſe Præſul ampliſſimus* Saxonica *Evangelia Auditoribus, ex idiomate* Saxonum *antiquo aperienda tunc quidem propoſuit.*

In epiſt. ad Lectorem.

Hiſtoricum opus commentationes hiſtoricas deſiderat has, ſi reverendiſſimi Armachani Britannicarum *Eccleſiarum primordia, (quibus quid addere conari, eſſet* Iliadas, *poſt* Homerum *ſcribere) ad manus habeas, ex illis pete.*

Idem in præfat. in Evangelia *Perſica* cap. VI. S. *Matthæi* ver. 13. *Londini* 1652. qui operi immortuus ſola priora XVIII. capita excuderat.

Quin & cum patriam Gothicam Perſæ *ex parte pro ſua agnoſcant, clauſulam hanc è* Gothicis *à Cl.* Grutero, *ut vir ſummus in Eccleſia, reverendiſſimus* Armachanus, Jacobus Uſſerius, *mihi indicavit, eruitam, à grege Chriſti ſub* Ulphila *Epiſcopo circa annum Chriſti plus minus CCC. recitari ſolitam, hìc deſcribere non ſupervacaneum duxi.*

Gu-

GULIELMUS CAVEUS in Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria literaria : in S. *Chryſoſtomo.* Lond. 1688. pag. 269. *Prater ea, quæ ad ſcripta* Chryſoſtomi *enucleanda hactenus obſervavimus, cùm plurima incredibili planè diligentia undique collegerit notaveritque ὁ πάνυ* Uſſerius *in Bibliotheca Theologica MS. placet in Lectoris gratiam pauca inde ſeligere, & in certa capita diſtribuere.*

HENRICUS WHARTONUS in præfat. ad *Jacobi Uſſerii* Hiſtoriam dogmaticam controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios de ſcripturis & ſacris vernaculis *Londini* 1690. *Norunt quotquot literas meliores colunt; norunt & ſemidocti, quanta fuerit* Uſſerii, *& quàm diffuſa eruditio, quàm infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certè literaturæ inſtauratores & orthodoxæ religionis pugiles, quos ſeculo poſtremo tulit orbis* Britannicus, *illum præ aliis habemus, quem nobiſmet ipſis gratulemur, & in re literaria ducem ſtatuamus.*

DRAXUS apud *Eyrium* in epiſt. ad *Uſſerium* in Sylloge, epiſt. XXVIII. pag. 59.

Lumen illud Irlandiæ *& in Academia* Dublinienſi *Profeſſor Regius, Theologus tam παναπλωμένος, ut ſive ſcripta ſive diſputationem requiras idoneus eſt, qui cum tota Papiſtarum natione concertet.*

D. JOANNES MARSHAMUS in προπυλαίῳ ad Monaſticon Anglicanum. *Londini.* Anno 1655. & recuſum Anno 1682.

Sed quid ego ſpicilegium poſt uberrimam meſſem? De Britannicarum *Eccleſiarum primordiis uſque ad* Auguſtini *miſſionem, non ita pridem, ſumma cum laude, ſcripſit* Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ob eruditionis immenſitatem, morumque ſanctitatem toti orbi venerandiſſimus, ob benevolentiam mihi colendiſſimus.*

JOANNES SELDENUS in Prolegomenis ad Marmorum Arundellianorum Inſcriptiones. *Londini* 1628.

Codicem, qui hæc nobis ſuppeditavit, Samaritanum, *magnis impenſis ante quadriennium aut circiter ex Oriente ſibi comparavit reverendiſſimus Antiſtes,* Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ſumma pietate, judicio ſingulari, uſque ad miraculum doctus, & literis ſeverioribus promovendis natus. Mecum exemplar, quod vetuſtius eſt, & charactere* Samaritano, *ſcilicet vetuſtiſſimo, &* Ebræis *in uſu ante* Eſdræ *tempora, deſcriptum, pro humanitate ſua, cui plurimùm me debere ſemper agnoſco, in* Anglia *circa id tempus communicavit. In* Hiberniam *ſecum poſtmodum tranſvexit, priuſquam iis, quæ volui inde exſcribere, adverſaria*

mea

mea ditaſſem. Literis igitur nuper rogatus, eas capitum V. & X. Geneſeos partes, quæ Patriarcharum tempora deſignant, ex eodem ad me ex Hibernia *tranſmiſit exſcriptas, ſeu potius accuratiſſimè depictas.*

JOANNES GRAVIUS, Aſtronomiæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſor *Savilianus* Londini MDCL. 4°. *reverendiſſimo Præſuli,* Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *pietate, doctrina, cæteriſque animi virtutibus maximè conſpicuo, binas* Abulfedæ *tabulas, unam* Chorafmi, *alteram* Mawaralnahræ, *ſumma obſervantia D. D.*

In Epiſtola ad D. *GeorgiumEntum* ante D. *Joannis Bainbridgii* Canicularia, ab illo edita. *Oxoniæ* 1648. 8°.

Eruditos hos, vir doctiſſime, de anno Caniculari commentarios ſcripſit non ita pridem Joannes Bainbridgius, *ſuaſu ac impulſu reverendiſſimi Archiepiſcopi* Armachani. —— *Ne autem viri eruditi fœtus unà cum Parente exſpiraret, idem reverendiſſimus Antiſtes me convenit, rogans efflagitanſque, ut id negotii ſuſciperem, Parui non invitus, tum, Præſulis undiquaque doctiſſimi auctoritate commotus, tum ſtudio memoriam Viri mihi, dum vixit, amiciſſimi, conſervandi adductus.*

D. HENRICUS SPELMANNUS in præf. ad Concilia Britannica. *Londini.* 1639.

Claros multos Epiſcopos (fautores hujus operis) *intelligo me dicere: reverendiſſimos in primis tres Metropolitas, (liceat eos omni cum honore & humilitate nominaſſe) D. D.* Georgium & Gulielmum Cantuarienſes, *atque D.* Jacobum Armachanum.

In notis ad Synodum aliam S. *Patricii* pag. 59.

Secundam hanc S. Patricii *Synodum ex* Andegavenſi *Bibliotheca tranſcriptam, ad reverendiſſimum Patrem, D.* Jacobum Armachanum *Archiepiſcopum, Primatem* Hiberniæ, *miſit aliquando* Jacobus Sirmondus: *& eandemmihi Præſul idem, eruditione & pietate ſpectatiſſimus,* 1 Aprilis. 1628.

D. ROGERUS TWISDEN in præf. ad Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores antiquos: *Londini* 1652. de *Ailredi* Scriptis —— *quod & dignißimo* Armachano *debemus, in quo cum incredibili doctrina & rara purioris antiquitatis cognitione, quam*

norunt

Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes,

morum eximius candor, & in inſtruendo imperitiores mira ſuavitas, ſeria quadam & Epiſcopali mixta gravitate, certare dignoſcuntur: à quo non parum me in hoc opere provehendo adjutum profiteor, utpote qui tuto harentem ſæpiùs extraxit, & deviantem in viam reduxit. GI-

GULIELMUS SOMNERUS in præfatione ad Dictionarium Saxonicum *Oxonii* 1659. ſect. 6.

Hujus autem generis liber ille Medicus in Bibliotheca quondam Regia, Paraphaſis etiam Saxonica, *cujus uſum reverendiſſimo totius* Hiberniæ *Primati*, Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *viro quidem incomparabili & ſeculorum omnium memoria digniſſimo, me debere gratus fateor.*

D. JACOBUS WARÆUS, Eques Auratus in Antiquitatibus *Hibernicis: Londini* 1654. cap. XV. pag. 67.

De hac re (i.e. de Academiis ſive ſcholis inſignioribus Hiberniæ) *qui plura ſcire avet, conſulat profundæ eruditionis virum, D.* Jacobum Uſſerium Armachanum *in opere ſuo eximio, de* Britannicarum *Eccleſiarum primordiis.*

In præfatione ad S. *Patricii* opuſcula. *Londini* 1656.

Librum ejus (i. e. de tribus Habitaculis) *hactenus ineditum mihi communicavit D.* Jacobus Uſſerius, *nuper Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ob eruditionem cum moribus ſuaviſſimis conjunctam celeberrimus. Ejus ſuaſu, & ex illius bibliotheca inſtructiſſima, nec non è nobili codicum MSS. theſauro* Cottoniano, *& aliis, in annotationibus noſtris paſſim citatis, Bibliothecis, conquiſitis ſubſidiis, hoc penſum aggreſſus ſum, eo fine, ut bono publico inſerviat, cui quidem noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe is olim exiſtimabat.*

In annotationibus p. 137.

Atque hæc hactenus —— quorum plurima è Brittannicarum *Eccleſiarum Antiquitatibus à D.* Jacobo Uſſerio, *nuper Archiepiſcopo* Armachano *editis Anno* 1639. *me hauſiſſe libens agnoſco.*

In notis ad Synodum S. *Patricii* pag. 116.

Canones hujuſmodi debemus apographo ex antiquo codice MS. Andegavenſi *deſcripto, quod jam olim ad D.* Jacobum Uſſerium, *nuper* Armachanum *Archiepiſcopum, è* Gallia *miſit doctiſſimus* Jacobus Sirmondus.

In notis ad alios novem canones S. *Patricio* adſcriptos. pag. 121.

Quintum & ſextum edidit jam pridem doctiſſimus Jacobus Uſſerius, *nuper Archiepiſcopus* Armachanus.

In præfat. ad librum de Scriptoribus *Hiberniæ. Dublinii.* 1639.

Ex his, ut de MSS. muſei mei taceam, plurimos ſuppeditavit mihi illuſtriſſimus Præſul, Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus.

Idem in libro de Præſulibus Hiberniæ, pag. 29.

Jacobus Uſſerius &c. *vir propter exquiſitam eruditionem, facundiam,*

vitæ ſanctimoniam, moreſque humaniſſimos, meritò celeberrimus.

ARTHURUS DUCKIUS, LL. D. de uſu & auctoritate juris civilis *Romanorum, Londini* 1679. lib. 2. cap. 8.

Conſtantinum *magnum fuiſſe in* Britannia *ex* Helena *matre* Britanna *natum, conſtanter aſſerunt, non ſoli Hiſtoriæ noſtræ Scriptores, ſed & exteri; idemque contra* Julium Firmicum *&* Juſtum Lipſium *ſtrenuè defendit reverendiſſimus* Jacobus Uſſerius Armachanus, *qui ſuo merito ob inſignem literarum omnium ſcientiam inter* Britanniæ *noſtræ ornamenta annumeran-*

FRANCISCUS TAYLERUS in Epiſtola dedicatoria ad D. *Uſſerium* ante Capitula Patrum, Hebraicè & Latinè edita, *Londini.* 1651. 4o. *Libellum hunc ut claritatis tuæ patrocinio committerem, multa perſuaſerunt. Inſignis tua eruditio per totum orbem Chriſtianum divulgata, pietas egregia, ubique terrarum celebrata, benevolentia in me eximia, per plurimos annos continuata. In libro hoc transferendo, ſi opera mea tibi placeat, aliis proſit, mercedem me ſatis amplam recepiſſe libens lubenſque profitebor. Interim Deus optimus maximus te, literaturæ ornamentum peculiare, in Eccleſiæ emolumentum ſingulare diutiſſimè ſervet incolumem.*

ARNOLDUS BOOTIUS in calce Epiſtolæ ad D. *Uſſerium Armachanum, Pariſiis* editæ 1650.

Ut ſcias, Amice Lector, quàm vera ſint, quæ paragrapho hujus Epiſtolæ duodecimo memoravi, de D. Armachani *mente ſuper veritate Hebraica, & ut ibi conſtet, quàm diverſa ille ſentiat à* Capello *in ea controverſia, quam hîc contra ejus Criticam agitavi, ac quantoperè illi diſpliceat improbus iſtius viri conatus, varias Hebraici textus lectiones ex LXX Interpretum diſcrepantiis atque ex codice Samaritano procudentis: viſum eſt hîc attexere litteras, quibus venerabilis ille Præſul, non magis eximiâ pietate morumque ſanctitate & Epiſcopalis muneris ſedula executione, verbique Divini annuntiatione indefeſſa, quàm omnigena ac reconditæ eruditionis laude, linguarumque Orientalium peritia planè ſingulari inclytus, ad iſtam meam contra* Capellum *epiſtolam reſpondit, ac quibus eam publico donandi auctor mihi ac impulſor fuit.*

In appendice ad *Buxtorfium.* ib. p. 97.

Et quomodo in me ſibi temperaſſet, quum in ipſum Præſulem Armachanum, *illud venerabile toti* Europæ *caput, & tot tamque eximiis dotibus ac virtutibus conſpicuum, haud obſcurè incurrat.*

p. 98. *Quum* Capellum, *medullitus ureret, profanum ipſius innovationem damnari a tanto talique viro, uti omni virtutum genere, ac verâ ſapientia*

tia præfulgenti, ita in cunctis tum Theologiæ, tum reconditioris literaturæ partibus, inque linguis Orientalibus onſummatiſſimo.

HUGO GROTIUS in prolegomenis p. 60. ad Hiſtoriam *Gothorum* &c. *Amſtelod.* 1655.

—— *Archiepiſcopus* Hiberniæ, Uſſcherius, *magnæ diligentiæ judiciique vir.*

HENRICUS NORISIUS Cardinalis, in *Cenotaph. Piſan.* Diſſert. 11. cap. 5. p. 131. *Venetiis* 1681.

Uſſerius *in rebus Chronologicis ſumma cum laude verſatus.*

—— De *Epochis Syro-Macedonum.* Diſſertatione prima cap. 2. editionis *Lipſienſis* 1696. p. 21.

Proponendum eſt diagramma anni Macedonum Aſianorum, *quod omnium primus*, Jacobus Uſſerius, *præformavit, à quo* Langius Ricciolius, *aliique idem exſcripſerunt.*

HENRICUS VALESIUS in epiſtola ad D. *Uſſerium* Decembre 1654. *Pariſiis* data in *Sylloge* epiſt. 294. pag. 613.

—— *Ac primum ago gratias, quantas poſſum maximas, ob illud literarium munus (* Annales Veteris Teſtamenti *) quo me honorandum eſſe cenſuiſti. Sunt quidem omnes libri tui eruditiſſimi & accuratiſſimi: Sed hic præ cæteris abundè teſtatur, quantus ſis in omni genere doctrina. Atque ut ejus lectione multùm me profeciſſe ingenuè fateor, ita etiam ex ſecunda parte ejusdem operis, quam à te editam eſſe nuper accepi, ſpero non mediocrem fructum me eſſe capturum.*

In præfatione ad *Euſebii* Hiſtoriam Eccleſiaſticam. *Paris.* 1659.

Tertius codex fuit Henrici Savilii, *viri doctiſſimi, ad me miſſus ex* Anglia, *à* Jacobo Uſſerio Armachano. *Nam cùm in* Uſſerii *notis ad martyrium B.* Polycarpi *manuſcriptum* Euſebianæ *Hiſtoriæ codicem ex Bibliotheca* Saviliana *laudari animadvertiſſem, eumque codicem optimæ notæ eſſe, ex aliquot locis, ab* Uſſerio *prolatis, deprehendiſſem, poſtulavi ab eo per literas, ut varias ejus codicis lectiones (integrum enim ab eo collatum eſſe exiſtimabam) ad me transmitteret. Ille verò codicem quidem ipſum, in charta ſcriptum bombycina, Bibliothecæ* Oxonienſi, *à* Savilio *donatum fuiſſe mihi reſcripſit. Caterum editionem* Roberti Stephani *ſtatim ad me miſit, in cujus margine* Savilius *emendationes ex ſuo illo manuſcripto codice depromptas adnotaverat. Quantùm tamen conjicere potui, non omnes ſcripti codicis lectiones ad latus editionis illius appoſuit* Savilius, *ſed eas tantùm, quas bonas certaſque eſſe exiſ-*

timabat. Quædam enim lectiones ab Uſſerio *è ſcripto illo codice proferuntur, quas à* Savilio *prætermiſſas eſſe poſtea deprehendi. Præterea idem* Savilius *ad oram illius editionis multas adſcripſit emendationes ex codice* Joannis Chriſtophorſoni, *quem ſcilicet* Chriſtophorſonus *cum aliquot manuſcriptis exemplaribus contulerat.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS, de Scientiis Mathematicis cap. 66. ſect. 16. p. 391. 392.

A. 1648. Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *& totius* Hiberniæ *Primas, de* Macedonum *&* Aſianorum *anno ſolari diſſertationem edebat, cum* Græcorum *Aſtronomorum parapegmate, ad* Macedonici *&* Juliani *anni rationes accommodato. Quo de viro rerum divinarum humanarumque peritiſſimo, nihil poſſim dicere tam ſublime, quin ejus id virtus ſuperet.*

P. 446. in addendis.

Priusquam verò abeam à Ptolemæo, *aliquid addam de tot parapegmatis, quæ tribuunt* Ptolemæo. *Faciam verò id verbis* Jacobi Uſſerii, *Archiepiſcopi* Armachani, *&* Hiberniæ *Primatis, viri vaſtæ eruditionis, nec ſine laude nominandi.*

Idem in libro *de vitiis Sermonis* lib. VI. cap. 10. pag. 44. loquens de *Thoma Dempſtero*, qui pro *Scythici* apud *Martialem*, legit *Scotici*, antepenultima ſyllaba producta:

Atque hoc etiam obſervatum reverendiſſimo Jacobo Uſſerio, Armachano *Archiepiſcopo, & univerſæ* Hiberniæ *Primati, in laudatiſſimo opere* Antiquitatum Britannicarum, *cujus ego in re majori meminiſſe malim, quàm iis, quæ ad pulverem pertinent Grammaticalem: ſed enim & iſthoc occaſione meliori non eo minus fiet; ſumma enim ſummi Viri, & undecunque doctiſſimi, merita de Eccleſia & tota Rep. literaria, nunquam ſinent, ut non æternum ab omnibus literarum amantibus memoria grata celebretur.*

In epiſtola ad D. *Uſſerium* p. 529.

Accepi Diſſertationem tuam de vetere Romanæ Eccleſiæ Symbolo, ſanè eruditam: quam cum iis, quæ ſummo bono publico adtexuiſti, vocare poſſumus ἀγαθῶν ἀγαθίδας. Quod verò illa nomini meo inſcripſeris, nimium quantum obſtrinxiſti: Nam quantillus ego ſum, qui tanto à viro eximium hoc beneficium accipio? Equidem gaudeo, gratiasque ago immortales.

ISAACUS VOSSIUS, in epiſtola ad D. *Uſſerium, Holmiæ* ſcripta Octobre 1650. in Sylloge pag. 556.

Si

Si non planè ignores eruditionem & magnitudinem Chriſtinæ, *dubitare non poſſis, vir reverendiſſime, opus tuum Chronologicum longè ei fuiſſe gratiſſimum. Bidui tantum effluxit ſpatium, quod ad manus ejus pervenerit: plurimum verò temporis effluxit ſpatium, ut exiſtimo, ex quo nullum ei tam charum contigit munus. Placuit ei ſupra modum, cum ipſius operis ordo & œconomia, tum etiam illud, quod res* Ægyptiacas & Aſiaticas, *à nemine hactenus in unum redactas, diligenter adeo & copiosè tradideris.* —— *Legit illa non ſine maxima voluptate Acta illa de* Polycarpo, *quæ* Ignatianis *tuis adſixiſti. Nunc verò, quod alia ejus generis plura à te exſpectet, facit Bibliotheca tua recepta, quam flammis eſſe abſumptam conſtans jam olim ad nos detulerat rumor. Multùm itaque & tibi & literis gratulatur, quod tam inſignis theſaurus ſalvus ad te ſit reverſus.*

—— In notis ad *Barnabæ* Apoſtoli Epiſtolam Catholicam *Londini* 1680. p. 307.

Dum Angliam *luſtro, alia ſeſe obtulit occaſio, qua ſcriptum illud, quod jam diu lucem merebatur, tandem aliquando divulgaretur. Parabat tum novam* Ignatii *editionem reverendiſſimus* Hiberniæ *Primas*, Uſſerius Armachanus. *Illi itaque poſtulanti, & offerenti, ut una cum* Ignatianis *hæc quoque* Barnabæ *excuderetur Epiſtola, non tantum libenter id conceſſi, ſed etiam maximoperè gaviſus ſum, in illas manus incidere antiquiſſimum iſtud monumentum, à quibus immenſum quantum ſplendoris mutuare ſibi poſſet. Et niſi ingens iſthoc incendium, quod non exiguam partem Urbis* Oxonienſis *vaſtavit, omnia quoque exemplaria abſumpſiſſet, pulcherrimam ejus Auctoris editionem jam diu habuiſſemus.*

FRANCISCUS JUNIUS in obſervationibus ad *Willerami* Abbatis Francicam paraphraſin *Cantici Canticorum* Amſtelod. 1655. pag. 248.

—— *Initium, item origo, h. e. illud ex quo aliæ res ortum trahunt. Priore modo accipitur in illa* Geneſeos *ac præcipuarum V. Teſtamenti hiſtoriarum paraphraſi poetica, cujus mihi copiam benignè prorſus fecit vir maximus,* Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *& totius* Hiberniæ *Primas.*

Idem in Gothico, Runico, Anglo-Saxonico, aliiſque Alphabetis, quæ Gothico Gloſſario præmiſit pag. 14.

Injecta interim Commentarioli hujus (i. e. de literis & lingua *Getarum* ſive *Gothorum*, quem edidit *Bonaventura Vulcanius* Lugduni Batavorum 1597.) *mentione, opportunè quoque venit in mentem ejus epiſtolæ, quam ſuper Auctore præfati opuſculi, pluribuſque aliis rebus huc ſpectantibus, olim ad me dedit magnus ille ac multæ lectionis Antiſtes,* Jacobus Uſ-

Vident charitatem & ſummam in egenos & extorres liberalitatem, quâ in ſacros uſus confers, quæ ſacris uſibus jam olim deſtinata fuere. Ædes tuæ eruditorum collegium ſunt, vita ſancta, mores inculpati, oculi vigiles, curæ publicæ, animus cœleſtis, & qui unum Deum ſpirat, unum Deum loquitur. Bibliotheca tua non tam tua, quam orbis literati Bibliotheca eſt, quæ à te ingenti ære inſtructa, omnibus in publica commoda patet, & eruditorum hominum uſibus proſtat, à quorum candore tuus candor publicam commendationem jam pridem impetravit. Spirans iſta veri Epiſcopi imago te merito Hibernis *tuis pretioſum*, Britannis *venerabilem*, *cæteris omnibus admirabilem facit.*

Non mirum itaque foret, vel has cauſas ſolas ſatis mihi fiduciæ addere, ut ad te accedam, & publicè profitear, quanta Genevæ *noſtræ nominis tui ſit claritudo, quantus apud noſtrates honor, quanta apud me privatim veneratio. Sed novum mihi argumentum tui compellandi humaniſſima tuæ literæ fecere, quibus ex ima* Hibernia *mihi teſtari voluiſti*, Dubiorum Evangelicorum *partem primam, non viſam tibi duntaxat, ſed & accuratiſſimo judicio tuo probatam, cœptique operis continuationem à te avidè exſpectari. Laudationes, quas in primum iſtum conatum pro tua comitate congeſſiſti, tuæ bonitati in ſolidum debentur. Quàm impensè verò honorifico tuo ſuffragio, quàm ſingulari candore, quàm affectu delectatus fuerim, quàm excitatus in inſtituto meo perſequendo, publico documento conſtare volui.*

LUDOVICUS DE DIEU in præfatione ad Commentarium in IV. Evangelia *Lugd. Bat.* 1631. loquens de edendo in IV. Evangelia, præſertim Syriacè verſa commentario:

Quo in inſtituto paucis poſt ſeptimanis factus fui confirmatior, quum earundem illarum, quas dixi, Epiſtolarum, *ſimul &* Apocalypſeos *exemplar aliud MS. elegantiſſimo charactere Syro exaratum, addito etiam divino Beati* Ephremi *tractatu de amore ſapientiæ, ab ornatiſſimo, doctiſſimo, & æterna memoria digno Præſule,* Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *qui & ante biennium me* Pentateucho Samaritano *beaverat, ex* Hibernia *allatum fuit.*

——— Ad S. *Matthæi* cap. XIX. v. 5.

Neque hîc tantum, ſed & in aliis plurimis Pentateuchi *locis τῶν LXX. interpretationem ad* Samaritanum *magis, quàm* Hebræum, *exemplar accedere, alias fortaſſe, ſi vitam Deus otiumque conceſſerit, beneficio reverendiſſimi, ampliſſimi, ingenio, virtute, eruditione cultiſſimi Præſulis,*

Ja-

Jacobi Uſſerii, *Archiepiſcopi* Armachani, *à cujus liberalitate exemplar* Samaritanum *penes me habeo, oſtendere dabitur.*

BERTIUS in Geographicis Tabulis *Amſtelodami* 1616.

—— *Quam quum iſta ſcriberemus, ornabat* Jacobus Uſſerius, *Theologus, eruditione & pietate & ſcriptis in primis clarus: ei patria* Dublinum.

MORANEZIUS, in Anti-Janſenio ſuo:

Non ipſe primus excogitavit, ſed à Calviniſtis *accepit, præcipuèque à* Jacobo Uſſerio, *inſigni* Calviniſta, Hiberno, *qui anno* 1631. *librum edidit, inſcriptum,* Gotteſchalci *&c. neque ſenſum duntaxat, ſed verba etiam ferè ipſa tranſcripſit* Janſenius; *neque tamen, ut æquum erat, ullam ejus mentionem facere dignatus eſt. Diſp.* XI. § 1.

ALEXANDER MORUS, dedicat D. *Uſſerio* Orationem ſuam, cui titulus *Calvinus, Genevæ* habitam 1648. Epiſtolam in Lectoris *Uſſeriani* nominis ſtudioſiſſimi gratiam hîc exſcribo.

Diu quæſitum inveni tandem Patronum Calvino *dignum, Reverendiſſime Vir Dei, nec diu quæſitum inveni tamen* Α'ΝΤΙ'ΔΩΡΟΝ *te non indignum, ſi materiam ſpectas, non induſtriam. Nec tam inveni, quàm reperi. Quod enim abſque divina quadam virgula contigiſſe non equidem putaverim, quo die proditura erat in lucem publicam hæc mea, qua* Calvini *laudes ac vindicias complexus ſum, Oratio, illo ipſo die tuis me literis beâſti ſumma humanitate conditis, & Ignatiana à te edita, niſi libri moles obſtitiſſet, eodem tempore miſſurum te fuiſſe ſignificaſti, ac leviculam, quæ tua eſt modeſtia, æſtimatione meâ prorſus auream, de veteris Eccleſiæ Symbolis, ne prorſus* Α'ΣΥ'ΜΒΟΛΟΣ, *ut tu ſcitè loqueris, ad nos ſcilicet accederes, Diatribam literis tuis, Diatribæ Iconem tuam comitem adjunxiſti. Nempe nos* Epirotæ, *qui nec faciem tuam nec te loquentem (nam ſic quoque melius te videndum præbes) vidimus unquam, ne deſideremus expreſſiſſimam effigiem animi tui, calamus tuus effecit, ne digniſſimam ideam oris tui & inſtar, effecit cœlum. Ego certè, qui te ſeculi noſtri* Athanaſium *vocare ſoleo,* ΠΕΖΟ'Ν ΤΟΙ͂Σ ΤΑΠΕΙΝΟΤΕ'ΡΟΙΣ, ΥΨΗΛΟ'ΤΕΡΟΝ ΤΟΙ͂Σ ΜΕΤΕΩΡΟΤΕ'ΡΟΙΣ, ΦΙΛΟ'ΞΕΝΟΝ, Γ'ΚΕΣΙΟΝ, Α'ΠΟΤΡΟ'ΠΑΙΟΝ, *ſic de illo veteres, nos de te loquimur, qui juxta cum illo duorum admirabilium lapidum naturam imitaris, & percutientibus Adamas, diſſidentibus Magnes occurris:* ΤΟΙ͂Σ ΠΑΙ'ΟΥΣΙΝ Α'ΔΑ'ΜΑΣ, ΤΟΙ͂Σ ΔΕ' ΕΤΑΣΙ'ΑΖΟΥΣΙ ΜΑΓΝΗ͂ΤΙΣ; *faciam id ipſum paulò libentius, poſtquam te novi* Υ͂ΨΗΛΟΝ ΤΟΙ͂Σ Ε'ΡΓΟΙΣ, ΤΑΠΕΙΝΟ'Ν ΔΕ' ΤΩ͂ ΦΡΟΝΗ'ΜΑΤΙ, ΚΑΙ' ΤΗ'Ν ΜΕ'Ν Α'ΡΕΤΗ'Ν Α'ΠΡΟ'ΣΙΤΟΝ,

ΤΗΝ ΕΝΤΥΧΙΑΝ ΔΕ΄ ΚΑΙ΄ ΑΙΑΝ ΕΥΠΡΟΣΙΤΟΝ: *ac denique (liceat hoc enim cum cæteris encomium, quod* Nazianzenus *tribuit* Athanasio, *tibi reddere,* ΑΓΓΕΛΙΚΟΝ ΤΟ΄ ΕΙΔΟΣ, ΑΓΓΕΛΙΚΩΤΕΡΟΝ ΤΗΝ ΔΙΑΝΟΙΑΝ. *Sed quid rependam? Etsi nec tua sors desiderat redhostiendi vicem, nec mea suppeditat remunerandi facultatem. Accipe tamen observantiæ in te meæ Symbolum, sed benigno & qualem tua præfert vultu, à me delineatam imaginem* Calvini, *quæ, nisi fallor, identidem ostendet tibi te. Quas enim laudes ille meruit, cum apicibus vestris prope major libenter carendo exstitit, pariter ii merentur, qui quo celsiori honoris fastigio supra cæteros mortales eminent, eo majori virtutum beneficio Ecclesiæ commodant, & Solis instar lucent, ut prosint. Neque verò summis dignitatibus ad privatas utilitates aut seculi typhum abutuntur, nec dominationem in Christi gregem usurpant, quod* Petrus *interdixit,* Petrus *ille, cujus intereà Successores profitentur, qui doctrinam respuunt.* Usserius *profectò adeò nihil tale molitur, ut aureæ Ecclesiæ tempora nobis referat, nec infra se quicquam putet, quod ad ædificationem fidelium, quibus Angeli ministrant & Archangeli, pertineat. Sic est, Vir maxime: Quacunque via nobis occurris ingens, nunquam tamen ingentior, quàm cùm ex illa, in qua te Deus collocavit, sublimi specula descendis ad Pastoritiæ curæ laboriosa munia, ut propiùs afflictis opem feras, & commodiùs innascentem agro Domini horrendam filicem ac infelix lolium avellas. Non te majorem unquam ipsa sedes* Armachana *vidit rebus florentibus, quam nunc* Londinum *in mediis ærumnis, quas insularum loco habes. Tanti penè fuit sua Præsulibus decora & opes adimi, ut nobis hoc æquabilis in utraque sorte animi specimen proderes. Multò minus debes dignitatis tuæ culmini, quam tua dignitas virtutum tuarum cœlestium splendori. Sed inter omnes virtutes tuas ista præcipuè micat animi moderatio, dicam, an magnitudo, quà dum te nimio plus demittis, longè altiùs assurgis, quam fastu & pompâ tot alii toto passim orbe.*

Quos tulit ad scenam ventoso gloria curru.

Multùm profectò Ecclesiæ dederas, quamvis nihil ei dedisses præter exemplum. Quamvis nec viro Apostolico dignarum concionum frequentia, nec scriptorum non æstimanda utilitate cis & ultra Oceanum nobis & Posteris profuisses; quamvis nec errorum novitatem, ac veritatis antiquitatem fortiter asseruisses, nec tot veteris Ecclesiæ thesauros felicissimè

eruisses

eruiſſes induſtria ; quamvis nec opus illud idiomate patrio dediſſes , nuper à nobis avidè luſtratum , quo Theologiæ Summam , ſed quàm illuſtri brevitate , quàm nervoſa ſimplicitate ! complexus es ; quamvis nec tuum pectus foret Bibliotheca ſpirans , nec Bibliotheca tua Muſeum obambulans , ut vetus dictum detorqueam : quidni enim obambulat , cujus pretioſa ſupellex tam ſæpe mare tranat , & eruditis totius orbis Europæi *veteris ævi memorias , & Orientis opes tam effusè dilargitur , & œcumenica ſuo quodam jure dici mereatur ? Mirari tamen oporteret , ut nihil eſſet in te aliud , extremam in ſupremo dignitatis & eruditionis faſtigio modeſtiam. Nam cùm hæ duæ res , licèt ſingulæ , licèt modicæ , ſui plenos & veſanos homines reddere ſoleant , dignitas & eruditio , meritò ſtupemus in te felici nexu copulatos atque ad ſummum perductas nihil ex illa divina tua virtute delibare : humilitatem dico , quæ , tametſi repugnante apud Latinos vocabulo , virtutum omnium apud Chriſtianos altiſſima eſt ; ſed cùm hæc ipſa virtus plura dicere nos vetat : laudes enim ſpernit , quibus non eſt ullum aliis acroama jucundius : tum epiſtolæ modus tuas non capit. Voto ſinienda præfatio eſt. Deus immortalis Pater Domini noſtri* Jeſu Chriſti *Eccleſiæ ſuæ laboranti velut è cœli machina opportuno tempore ſuccurrat. Inſulis veſtris Fortunatarum elogium & Alcyonia reddat , adeoque te perdiù rebus afflictis grande ſolatium intereſſe patiatur. Sera ſit , & noſtris demum nota nepotibus , dies , quæ cœlo tradat , quo mundus non eſt dignus,* Uſſerium. *Hic ſemper ſit* Britanniæ , *quod* Auguſtinus Hipponi , *nec illa unquam , ſicut hæc olim , Præſulem ademptum ſentiat. Vale , maximum* Britanniæ *Decus , & à nobis oblatum non illibenter ſuſcipe* Genevæ *Decus maximum. E muſeo meo. III. Non. Jul. An. vulgaris Æræ Chriſtianæ* MDCXLVIII.

Auctor Vindiciarum *Hiberniæ* adverſus *Dempſterum Scotum :*

Quod ſi adverſæ religionis homines inſerere voluiſſem , verè affirmare poſſem , quod Uſſerium *alterum nunquam viderit* Scotia : *cujus utinam ſublime ingenium atque humaniſſimos mores infauſta inter Sectarios educatio nevercata non fuiſſet.*

VITA

reverendiſſimi & eruditiſſimi Viri,

JOANNIS COSINI,

Epiſcopi Dunelmenſis:

SCRIPTORE

THOMA SMITHO,

S. Theologiæ Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

VITA
JOANNIS COSINI
Epiſcopi Dunelmenſis.

JOANNES COSINUS in lucem editus erat triceſimo die Novembris, memoriæ S. *Andreæ* Apoſtoli ſacro, anno divini Verbi incarnati MDXCV. *Norwici* præcipuæ *Norfolciæ* urbis, quæ licèt inter celebriores *Angliæ* civitates ob ædificiorum elegantiam, civiumque copiam, induſtriam, & opulentiam merito recenſeatur, maximam tamen ſui à ſede Epiſcopali, ante ſexcentos annos & ultra, illuc tranſlata, decoris partem derivat. Patrem habuit *Ægidium Coſinum*, melioris notæ civem, & ob lautiorem fortunam, egregiam probitatem, candidosque mores apud ſuos valdè celebrem: matrem verò *Eliſabetham Remington*, ex antiqua nobilique familiâ oriundam; utroſque religioſos doctrinæ rituumque Eccleſiæ *Anglicanæ* cultores, ut inde ab ipſa pueritia fidem iſtam verè Chriſtianam & Catholicam profiteri, ſacrisque Eccleſiæ *Anglicanæ* inſtitutis, quæ poſteà contra Pontificios Puritanoſque ſapienti zelo & imperterrito animo ſtrenuè tutatus eſt, aſſuefieri didicerit. Primogenitus hic dilectus filius illorum curâ rudimentis Grammaticæ, aliarumque artium inſtitutionibus, quibus ætas puerilis imbui ſolet in ſchola publica iſtius civitatis probè perceptis, ita ut altioribus diſciplinis capeſſendis, præ bonâ indole, ingenio, & induſtria, optimis futuri in literis progreſſûs indiciis & quæ magna de tantæ ſpei juvene præſagiebant, omninò (a) par haberetur; deſinente ætatis anno decimo quarto *Cantabrigiam* alterum *Angliæ* lumen, & fœcundiſſimam ingeniorum omnigenæque eruditionis altricem, miſſus, primo acceſſu inter Alumnos, deinde poſt exactum ſtudiorum tyrocinium, in numerum Sociorum Collegii *Cajo-Gonvillani* adoptatur. Fama verò illius virtutis & eruditionis non modicæ, ex ſedulâ induſtriâ, quam ſolidum direxit inque melius auxit judicium, partæ, ubique ſpargebatur. Anno MDCXVI. tum à reverendiſſimo viro, *Lancelloto Andrea* tunc temporis Epiſcopo *Elien-*

(a) A. Ch. MDCX.

ſi, tum à D. *Joanne Overallo*, Epiſcopo *Lichfieldenſi*, neutris iſtius conſilii & propoſiti, de quo ſeorſim convenerant, conſciis, ut Bibliothecarii munere apud ipſos fungeretur, invitatus: ſuaſu nuperi ſui Tutoris, ſe in poſterioris clientelam dedit. Ille autem elogiis de *Coſino* ſparſis fide adhibita, tantarumque virtutum, quas nobile eximii Juvenis ingenium præ ſe ferebat, coramque oculis quaſi præſentes ſiſtebat decora facies, ex eleganti beneque compaginata totius corporis ſtructura commendatior, amore captus, illum inter Domeſticos ſuos, ut ſibi etiam à ſecretis & epiſtolis eſſet, benigniſſimè admiſit. Quod munus, alteri ſuperadditum, omni ex parte præſtitit, non ob ſolam καλλιγραφίαν (literas licèt optimè formare & pingere cognoviſſet: hoc enim vix in cenſum laudis venire debet) ſed ob ſagax ingenium, ſubtilioremque intelligentiam, rem qualemcunque, ſive civilem, ſive Eccleſiaſticam, quæ diſceptaretur, vaſto ambitu complectentem, unde Patrono indies charior redditus, illius gratiam inire magis magisque mereretur.

Qualis quantuſque fuerit D. *Overallus*, vix quiſpiam ſacri ordinis, paulò elevatioris ingenii, è noſtratibus, citra culpam magnæ ſtupiditatis, ignorare poteſt, nec exteri id quidem ignorabant: inter quos duos inſtar omnium nominare ſufficit, viz. *Hugonem Grotium*, & *Gerardum Joannem Voſſium*, qui illum ſummâ cum obſervantia & veneratione proſecuti ſunt. Meritiſſimo enim jure inter maximos iſtius ævi, ne dicam, ſuperiorum ſeculorum, Theologos recenſebatur: utpote quo nemo in rimandis abſtruſioribus Theologiæ ſcholaſticæ articulis ſagacior: nemo in ejuſmodi litibus, quæ tum in *Belgio* oriri cœpiſſent, componendis felicior, magiſque idoneus: nemo pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſior, modo ipſius monitis & determinationibus, ſive ex cathedra, ſive ex roſtris, ſive ex prelo ſæpè dictatis, adverſarum partium Anteſignani conſenſiſſent, & ad ſobrietatem ſapere voluiſſent. A Profeſſorio munere, quo *Cantabrigiæ* præclariſſimè defungebatur, à ſereniſſimâ Regina *Eliſabetha* paucis ante obitum annis, ineunte ſuperiori ſeculo ad decanatum Eccleſiæ S. *Pauli*, quæ eſt *Londini*, primò evectus; mox ſub initiis regni R. *Jacobi* in inferiori domo ſynodi Provincialis *Cantuarienſis*, de rebus ad religionem, diſciplinam, regimenque Eccleſiaſticum Eccleſiæ *Anglicanæ*, ad normam ſacrarum Scripturarum & primævæ Antiquitatis, contra ſacrilegos impioſque ſchiſmaticorum & Monarchomachorum auſus moderandis coactæ, electus Prolocutor: tandem anno MDCXIV.

ad

ad Epiſcopatum *Coventrienſem* & *Lichfieldenſem* nominatus, ubi poſtquam quatuor annis ſummâ cum laude ſediſſet, Eccleſiæ *Norwicenſis* Præſul, uti dixi, conſtituebatur.

Tali Patrono, tali Magiſtro felix *Coſinus*, adhuc juvenis viginti quatuor annorum, & hactenus amœnioribus politioris literaturæ ſtudiis innutritus; illius paternis conſiliis & ſapientiſſimis amantiſſimiſque adhortationibus facilè victus, animum diſciplinis ſacratioribus diligentiâ indefeſsâ, nec ab hoc tempore unquam ceſſaturâ, applicuit, habituque ſacerdotali indutus, ſe Deo & Eccleſiæ totum deinceps conſecravit. Sed bonam iſtam ſpem, aut ſingulari hoc exemplo coràm quotidie ſpectato, in ſolidæ ſinceræque pietatis officiis, & frequentibus colloquiis in doctrinâ meliùs proficiendi, aut opulentioris fortunæ ex iſthoc læto augurio ortam, ſubitò interciſam mœſtus videt & experitur. (a) Anno enim ſequente non ſine omnium bonorum, & potiſſimùm *Coſini*, luctu ad Beatorum in cœlis ſedes migrat Vir optimus. Sed divinæ voluntati, abſque murmurationibus & querelis, ſubmiſſo animo & invicta patientia, obſequi oportet. Imaginem autem tantæ ſapientiæ, eruditionis, & pietatis, quæ in illo præluxere, memoriamque iſtius miræ benignitatis, quam ipſe expertus eſt, nunquam obſoleſcere, aut ex animo excidere paſſus eſt *Coſinus*: quod præclaro documento publicè oſtendit. Nam, ut ipſius pietatem & gratitudinem erga Patronum, de ſe optimè meritum, teſtaretur, reſtauratis, ſub ſereniſſimi regis *Caroli* ſecundi reditum, Monarchiâ & Eccleſiâ, magnificum eleganſque monimentum, in Eccleſiâ *Norwicenſi*, ad columnam prope locum, ubi ſepultus jacet, erigi curavit.

Hoc funeſto caſu *Coſinum* planè attonitum fuiſſe, & penè inconſolabilem redditum, quiſque violenti humanorum affectuum impetûs ſibi conſcius, facilè opinabitur: ſed hanc jacturam, licèt graviſſimam, citò reparavit benignior providentia. Receptus enim in clientelam magni Præſulis, *Richardi Neli*, tunc temporis Epiſcopi *Dunelmenſis*, illi factus eſt à ſacris domeſticis: cujus favore & patrocinio ſuffultus, facilem ſibi ad opima ſacerdotia & dignitates, quas longa annorum ſerie, non ſine vendicatione meritorum, poſtea adeptus eſt, viam ſtravit.

Ab hoc tempore omnia ex voto, imo ſupra votum fluxere. Gratiâ optimi Patroni pollens *Coſinus*, promovetur circa A. MDCXXIV. ad archidiaconatum Orientalis regionis in provincia *Eboracenſi*, cedente re-

(a) A. MDCXIX.

reverendo Viro, D. *Marmaduco Blakeſton*, cujus filiam *Franciſcam* connubio ſibi junxerat: (a) feminam piam, prudentem, conjugis amantiſſimam, & in utraque fortuna, tam adverſa, quàm proſpera, juxta inſtitutum divinum, à primis rerum exordiis ordinatum, adjutricem: paulò poſt opulento Eccleſiæ Cathedralis *Dunelmenſis* canonicatu, & XX. Julii MDCXXVI. opimo *Branſgethæ* rectoratu & Sacerdotio auctus. Tantùm verò aberat, ut hac eximiâ ſtatione poſitus otiaretur, vitamque ageret deſidem, ut potius dignitates hæ illius induſtriæ novos fortioreſque ſubderent ſtimulos, tum ut iis ſe neutiquam indignum, ſed omninò parem oſtenderet, tum ut ad altiora lentis gradibus methodiſque honeſtis, quas nimirùm non ambitio, non opum cupido, non artes adulatoriæ, ſed quas amplificandæ gloriæ ſanctiſſimi Numinis, & benè de Eccleſia & religione merendi deſiderium & prudentia verè Chriſtiana ſolent ſuggerere, favente Deo, tandem aliquando, ſenioribus annis, faciliùs & ſecuriùs aſcenderet. Interim ſatis gnarus, quantùm honoris viris verè eruditis ex titulis Academicis accedat, *Cantabrigiam* repetiit, ut præſtitis exercitiis gradu Baccalaureatus in Theologiâ ornaretur; quibus quoque de cauſis poſtea tempore debito ſummam in eadem ſacra facultate dignitatem jure meritiſſimo aſſecutus eſt.

Anno 1626. *Londini* in ædibus D. *Neli*, *Dunelmenſis* Epiſcopi, tanquam in Collegio & ſacro conſeſſu, venerabiles viri, D.D.D. *Laudus*, Epiſcopus *Bathonienſis* & *Wellenſis*, *Winus*, mox Epiſcopus *Carleolenſis*, *Richardus Montacutus*, aliique pietate, doctrina, & flagranti Eccleſiæ *Anglicanæ* contra tum Pontificiorum, tum Puritanorum inſidias & impetus tuendæ zelo inſignes, de rebus ad Eccleſiam & religionem ſpectantibus conſultaturi, convenire ſoliti erant: quorum colloquiis *Coſinus*, licèt annis & dignitate longè inferior, præſens aderat. Hoc Puritanos, odio & invidia, adverſus moderatioris æquioriſque animi Theologos, qui non pariter inſaniiſſent, exæſtuantes, diu latere non potuit; hinc convitia atroceſque calumnias in vulgus ſpargendi anſam captantes, quaſi res *Romanenſium* illic clam agerentur, cùm nulli illorum aut errores aut ſuperſtitiones pejus odiſſent, aut de defectoribus à communione Anglicana inclementiùs ominarentur.

Quod mox inſigni exemplo oſtenderunt. Cùm femina & natalibus

&

(a) Obiit illa xxv. Martii MDCXLII. & ſepulta jacet in Eccleſia *Petroburgenſi*, monimento in illius perpetuam memoriam illic condito, in quo *femina præſtantiſſima & generoſa & pientiſſima conjux* nuncupatur.

& conjugio nobiliſſima, cujuſdam Sacerdotis Pontificii fraudibus artibuſque ſophiſticis circumventa, ad Romanam Eccleſiam tranſiiſſet, de illa in viam Veritatis, ex qua præceps aberraverat, reducenda, tum familiari ſermone, tum ſcriptis, maximè ſoliciti, cùm omnibus argumentis ſuaſibuſque cedere præfractè recuſaverit, de periculo animæ, quod incurſura erat, acriter monent, præſertim *Montacutus* & *Coſinus*; ille ingerendo, ſi in iſta apoſtaſia ex hac vita decederet, vix ſpem ſalutis fore reliquam; hic verò, illam lethaliter peccaſſe, quæ Eccleſiæ, in qua nata, baptizata, & educata fuerat, temerè & inconſultis noſtris Theologis, communionem deſeruiſſet. Sed cùm pervicax manſiſſet, argumentis in lachrymas, miſericordiam, & preces converſis, illam ſolius conſcientiæ arbitrio ſapientioribuſque cogitationibus, in mente ſobria, ſedato æſtu, poſthac orituris, triſtes reliquere. Quam verò largam triumphandi de hiſce venerabilibus Viris, illiſque probro vertendi materiem Puritanis dederit infelix iſte unius feminæ lapſus, videre eſt in (a) epiſtola *Alexandri Coci*, Viri non inerudiți, ſed illorum fermento non parum imbuti, ex inanibus incertiſque narratiunculis corrasâ, ad D. *Uſſerium Armachanum*. Sed quàm iniquè, quàm protervè, quàm abſurdè, judicent omnes æquitatis & moderationis Chriſtianæ ſtudioſi & amantes.

(b) Cum ſereniſſimus Rex *Carolus* I. ſæpè obſervaſſet in famulantium R. *Mariæ* conſorti, præſertim feminarum, quæ in vicino conclavi manſerint ad obſequia ſuæ Dominæ paratæ, manibus verſari Horas B. Virginis aliaſque precum formulas, quas, ut fallerent tempus, alias tædio futurum, & ne penitus otiari viderentur, ſubinde legere ſolebant, ille non potuit non laudare iſtud inſtitutum, quod ſanè maximè laudandum foret, ſi ſuperſtitio indebituſque ſanctorum cultus hiſce ſacræ religionis officiis non ſeſe admiſcuiſſent. Rex verò pro ſumma ſapientia pariter ac pietate, quò tam propriæ, quàm aliorum in Aula aut alibi degentium ſaluti magis conſuleret, libellum mole exiguum, in ſinu circumgeſtandum, è ſacris ſcripturis, Liturgicis veteris

(a) In Sylloge Epiſtolarum *Uſſerii Londini* edita 1686. Epiſt. CXII.

(b) Hujus rei hiſtoriolam primum familiari ſermone, deinde ſcripto conſignatam, mihi communicavit V. C. *Joannes Evelinus* Armiger, notiſſimæ & celeberrimæ apud Nobiles *Anglos*, ob ſublime ingenium, ob inſignem Philoſophiæ naturalis culturam, ob denique ſtrenuum felixque politioris literaturæ ſtudium, prout libri ab illo editi faciunt teſtatiſſimum, famæ, eam ab ore D. *Coſini* ante quinquaginta annos *Pariſiis* edoctus.

ris Eccleſiæ Chriſtianæ, tum *Græcæ*, tum *Romanæ*, libris, Patrumque antiquorum ſcriptis collectum, qui, ſtylo & lectu & intellectu facili, tam Chriſtianæ doctrinæ ſummam, & vitæ piè ac ſapientèr juxta Evangelii normam ordinandæ regulas, quàm precum domeſticæ & privatæ pietati fovendæ maximè conducibiles formulas, præſtitutis horis, uti in ſolennioribus religionis exercitiis recitandas, complecteretur, condi voluit. Communicatis cum duobus tribuſve, qui regali pollebant gratia, Epiſcopis, hiſce pientiſſimis conſiliis, ex commendatione D. *Franciſci White*, tunc temporis Epiſcopi *Norwicenſis*, Eleemoſynarii Regii, jubetur *Coſinus*, quem prorſus idoneum judicaſſent, ejuſmodi opuſculum aggredi: tum ut enthuſiaſticis Puritanorum furoribus publicè obviam iretur, tum ut noſtratium animi in fide verè Catholicâ retinendâ, & in Chriſtianarum virtutum praxi firmiores redderentur. Quam autem probè & accuratè ſacrum iſtud penſum abſolverit *Coſinus*, hîc paulò fuſiùs indicabo.

Ille Regio juſſu auctoratus & communitus, ad partes ſuas exequendas ſe accinxit: & alacriori quidem animo, eo quod ſpirituali eorum, qui in ſancta Eccleſiæ *Anglicanæ* communione vixerint, hoc præſertim pacto, in colligendis iſtiuſmodi pietatis ſubſidiis & documentis profectui optimè conſuli poſſe præſenſiſſet. Propoſitum ſanè erat in ſe verè Chriſtianum & Rege piiſſimo & Chriſtianiſſimo perquam dignum, & ſi illorum temporum ſtatum rectè perpendamus, maximè neceſſarium. Puritani, qui regimine Epiſcopali, quod à primis naſcentis Chriſtianiſmi initiis continua neutiquamque intermiſſa ſucceſſione ubivis locorum obtinuerat, rejecto, ritibuſque ſacris & Liturgiâ repudiatis, à publicis cœtibus ſeſe deplorando ſchiſmate ſubducentes, calumnias inter plebem, prætextu ſimulatæ ſanctimoniæ, ab iis miſerè deluſam, ſpargebant, de *coarctato*, uti loquuntur, ſtatis iſtiuſmodi precibus, *ſpiritu* ogganientes, non inde privatorum hominum profectui fuiſſe ſatis conſultum. Hinc extemporaneæ iſtæ apud hoſce ſectarios preces, diſtorto vultu, ſpumeo ore, inconditiſque clamoribus, temerè & feſtinanter, prout ſingulis libitum erat, effuſæ, quas cerebri parum ſani fervor, zeluſque enthuſiaſticus ſuggeſſere, ab omni bono ſenſu ſæpenumerò vacuæ, & quæ divini cultûs officiis immiſcerentur, prorſus indignæ, olim duxere originem. Non defuere quidem ab omni tempore pietatis clam & ſeorſim exercendæ ſubſidia, à Viris doctis piiſque ſubinde edita, in quibus tamen genium ſuum mentemque potius,

quàm

quàm veteris Eccleſiæ ac Patrum normam ſecuti ſunt. *Coſinus* verò, non improbatis horum ſanctis conatibus, aliâ methodo uti oportere, pro pietate & prudentia ſua, prout ordinatum & injunctum fuerat, apud ſe ſtatuebat, tum, ut Puritanorum ſtrophis techniſque, tum, ut *Romanenſium* de *nova fide* apud nos introducta, de religione majorum abolita, de ſacris divini cultûs ritibus, quaſi cuncta, nulla aut decori aut ordinis ratione habita, peragerentur, ſublatis, & de debita cura inſtituendi populum in rebus ad religionem Chriſtianam perquam neceſſariis neglectâ, inſuperque habita, criminationibus & puris putidiſque calumniis commodiùs ac manifeſtiùs iretur obviam, in omnium *Anglorum* uſum, *privatarum precum, è ſacris Scripturis, ex Antiquorum Patrum ſcriptis, ex veteribus Liturgiis, èque Liturgia Anglicana deſumptarum, juxta veteris Eccleſiæ praxin, in determinatas horas diſtinctam, Syllogen*, juxta formam & exemplum earum, quæ olim Latinè ex (a) auctoritate Regia ſub temporibus R. *Eliſabethæ* anno hominum ſalutis reparatæ MDLX. editæ erant, edendam, celato licèt nomine, *Londini* MDCXXVII. curavit, approbatione D. *Georgii Monteine*, Epiſcopi *Londinenſis*, præmiſſa. Aureus liber & Eccleſiæ *Anglicanæ* alumnis, imo omnibus ſobria mente præditis, ſolâ Puritanorum factione exceptâ, longè acceptiſſimus. Hi enim, eò quod preces quædam illic juxta horas, Veterum ritu, digererentur, quaſi totus liber ſuperſtitionem Papiſticam inde ſapuiſſet, œſtro perciti, in illum, illiuſque Editorem, tum lingua tum calamo debacchati ſunt: præſertim verò duo, viz. *Henricus Burtonus*, Parochus quidam *Londinenſis*, in libro (b) qui *Examen Privatarum precum, ſive Horologium pro horis orationis* inſcribitur, convitiorum calumniarumque pleno, ac ſi antedictus Auctor viam ad unionem cum Eccleſia *Romana* in ſuperſtitioſis divini cultûs ritibus, cæremoniiſque ex induſtria ſtraviſſet; (hic verò, ut hoc obiter addam, ex ſententia Adſeſſorum Curiæ ſtellatæ, præciſis auribus multatus, poſtea A. MDCXXXVII. ob quaſdam ſeditioſas, ſcandaloſas, infameſque conciones, eructatas & in lucem editas, adverſus Aulam Regiam & Eccleſiam *Anglicanam*, perpetuo carceri addicebatur;) & *Gulielmus Prynnius*, Juriſconſultus,

(a) *Horarium* Regiâ auctoritate editum *Londini* 1560. & poſtea recuſum ſub hoc titulo, *Preces privatæ in ſtudioſorum gratiam collectæ, & Regia auctoritate approbatæ*, noviter impreſſæ, & quibusdam in locis etiam auctæ. *Londini* excudebat *Gulielmus Seres*. A. D. 1573. cum Privilegio Reginæ.

(b) *Londini* 1628. 4°.

non infimus ex ſchiſmaticorum primipilariis, poſteà ob virulentos ac infames in ſereniſſimum Regem *Carolum* I. & Reginam *Mariam* libellos multatus erat auribus, colliſtrigio damnatus, & carceri ex ſententia eorundem legitimorum judicum quoque mancipatus, edito in lucem publicam ſcripto, (a) cui inficetus titulus, alluſione ad *Coſini* cognomen facta, præfigebatur, cenſuram, ſpurcis convitiis oppletam, in illum, tanquam dogmatum *Arminii* fautorem, quaſi à *Calvino* & à Synodi *Dordracenæ* placitis in iſtis articulis controverſis, tunc temporis nimio & planè intemperanti ab utriſque partibus zelo agitatis, in crimen hæreſeos veniſſet, petulantiſſimè ſtrinxit. Sed iſtiuſmodi vociferationes & calumniæ compendium iſtud è manibus Lectorum excutere non poterant, imò iiſdem magis commendabilem reddidere; prout ex editionibus crebrò repetitis abundè conſtat. In tanta autem librorum ejuſdem ſacri argumenti, quantivis pretii, & maximi uſus, à reverendis Præſulibus & Presbyteris ad quoſvis ſanctioris vitæ æternæ & beatitudinis fruendæ ſtudioſos, in viis veritatis, pacis, & ſanctitatis quaſi manu ducendos, ab A. MDCLX. poſt nimirum exſtinctam impiam rebellionem, ad hunc uſque diem compoſitorum copia, hic quoque adhuc magni æſtimatur legiturque, & cum fructu legetur in perpetuum.

D. *Matthæo Wrenno*, qui olim ſereniſſimo Principi *Carolo* I. dum ille in *Hiſpania* de nuptiis cum Domina *Maria*, Infanta R. *Philippi* IV. ſorore contrahendis præſens egerit, erat à ſacris domeſticis, ad præſulatum *Herefordenſem* A. Ch. MDCXXXIV. evecto, illius in præfecturâ Collegii S. *Petri* memoriæ dicati *Cantabrigiæ* ſucceſſor communibus ſociorum ſuffragiis renunciatus eſt *Coſinus*. Idem animi vigor in tutandis ritibus & diſciplinâ Eccleſiæ *Anglicanæ*, idem in promovendis bonis literis ſtudium illi conſtabat. Præfectis Collegiorum utriuſque Academiæ cedit in perpetuæ laudis argumentum, quod illorum vigilantia & fide factum erat, ut perpauci illic tunc temporis degentes Puritaniſmi labe, quæ per *Angliam* fraudulentis ſeditioſorum hominum artibus graſſari incepiſſet, inficerentur. Cum verò *Coſini* pietas, eruditio, & ſumma in rebus Eccleſiaſticis moderandis prudentia, illum maximè commendabilem ubivis reddidiſſent, à ſereniſſimo Rege *Carolo* I. cui erat à ſacris, optimo meritorum æſtimatore & remuneratore, dignus habitus erat, qui magno Theologo, D. *Thomæ Jackſono*, Collegii *Corporis Chriſti* in Aca-

(a) Briefe ſurvey and Cenſure of Mr. *Cozens* cozening devotions. *London.* 1628.

cademia *Oxonienſi* Præſidi, in decanatu Eccleſiæ Cathedralis *Petroburgenſis* ſuccederet, anno nimirum MDCXL. ut illius aliorumque conſimilium operâ ſchiſmati, quod tum paſſim gliſcebat, ſi quo modo fieri poſſet, obex poneretur. Sed gens occæcata ad ſobriam mentem nolebat reverti, nullis conſiliis, ſuaſibus nullis, imò ne legibus quidem, in ordinem cogenda, quod erat triſtiſſimum futuræ calamitatis omen.

Dum autem *Coſinus* in hiſce laudatiſſimis inſtitutis juxta Canonas Eccleſiaſticos, legitima auctoritate ordinatos, dum tranquillitati publicæ, dum honori & utilitati Eccleſiæ *Anglicanæ*, damnum qualicunque innovandi pruritu aliter paſſuræ, dum divini cultus reverendiſſimorum Antiſtitum, in hoc unicè intentorum ut ab omni confuſione & labe purus & integer ſervaretur, exemplo & juſſu, honori & ſplendori conſuluerit, Pueritanorum atroces calumnias & odium irreconciliabile in ſe derivavit: qui ſub prætextu introducendæ purioris diſciplinæ, ritus ſacros, quaſi ſuperſtitionem redolentes, univerſamque Eccleſiaſticam hierarchiam funditùs evertere & delere animis exacerbatis ſummiſque viribus anniſi ſunt: quod tandem fatuam plebem, cives *Londinenſes*, aliquoſque excelſioris notæ, Eccleſiaſticis reditibus, utpote opimis ſpoliis, ſacrilegè inhiantes, ad arma ſub Parlamenti *Weſtmonaſterienſis* auſpiciis inſtigantes, junctis cum rebellium *Scotorum* Anteſignanis conſiliis, illorum proſpero ſcelere animati, non ſine totius Chriſtiani orbis ſtupore, & maximo Chriſtiani nominis ſcandalo dederunt effectum: *Scotis* conſcripto exercitu, poſt fanatico furore abolitum epiſcopatum, *Angliam* invadentibus, R. *Carolus* I. dum arma parat, ut vim vi repelleret, ſpe tamen melius ſopiendæ funeſtæ iſtius rebellionis, ope ſubditorum noſtræ Gentis, menſe Aprili A. MDCXL. Ordines regni, triſti neceſſitate compulſus, convocavit: ſed ſucceſſu planè irrito. Obſtabat enim quorundam novis rebus ſtudentium perverſitas, ne huic ingruenti malo opportunum remedium adhiberetur. Cùm ergò vix quicquam ſubſidii contra rebelles *Scotos* ſibi eſſet exſpectandum, Parlamentum illud diſſolvi juſſit, copiis militaribus ſuo ære conſcriptis confiſus. Interim recrudeſcentibus publicis malis, militibuſque *Scotis* contra fidem promiſſorum non exauctoratis, ſequente Novembre novum indicitur Parlamentum. Puritani opportunitatem toties expetitam jam nacti, facta per univerſam *Angliam* conſpiratione de hominibus furioſis, ſuarumque partium fautoribus, in numerum Senatorum, qui inferiorem Cameram conſtituunt, eligendis pertinaciſſima induſtria ubivis laborant. Ab hiſce infauſtiſſimis initiis, ſtra-

ſtrages illæ, quæ *Britanniam* mox ſuperobruebant, fluxêre. Hi verò, quò ſuis electoribus gratificarentur, de quorundam Procerum, eodem fermento imbutorum, ſubſidio & ſuffragiis ſecuri, reformandæ religionis maximam præ ſe ferunt curam: zelotis *Londinum* undiquaque confluentibus, ut ſupplices libellos & querelas contra Epiſcopos & Presbyteros proximæ dignitatis, qui Eccleſiæ ſaluti promptiùs invigilâſſent, contra Curias *excelſæ*, uti vocantur, *Commiſſionis* & *Cameræ ſtellatæ*, olim ſapientiſſimè ſtabilitas, quibus illorum veſania fuerat ſuppreſſa, contra denique Regios Conſiliarios, Judices, alioſque Magiſtratus, quorum fidei civile regimen concredebatur, exhiberent. Commiſſarii hiſce querelis promiſcuè audiendis, merè Laïci, deputantur. Coram hiſce Inquiſitoribus, inter alios viros verè venerabiles ſiſtitur *Coſinus* noſter, hac de cauſa.

Quidam nomine *Smartus*, olim Eccleſiæ *Dunelmenſis* Præbendarius, ob contumelioſas ſeditioſasque conciones in Eccleſia Cathedrali A. MDCXXVIII. habitas, in quibus cæremonias rituſque Eccleſiæ *Anglicanæ*, tanquam fœdæ ſuperſtitionis manifeſtos, maleſano indoctoque zelo actus, graviſſimè debacchatus eſt, ab iſta dignitate, cùm palinodiam canere præfractè recuſâſſet, deturbatus, & omni ſacro munere per degradationem exutus, carcerique mancipatus, jam quaſi *dies retributionis ac vindictæ*, uti loquebantur, adveniſſet, *Weſtmonaſterium* properat, mox porrecto ſupplice Libello, putidiſſimis mendaciis & convitiis in *Perſecutores* ſuos, uti appellavit, ingeſtis gravido, & præſertim in D. *Coſinum*, quem primo præ aliis omnibus loco nominat. Criminationes haſce & querelas, abſque omni examine avidè admiſſas, quidam Commiſſarius ex ordinatione reliquorum Dominis ſuperioris Cameræ defert, oratione, in quâ *Smartum* indebitis elogiis tituloque *Protomartyris Angliæ* in *hiſce ultimis perſecutionis temporibus*, exornat, præmiſſa. Quantas pœnas luiturus fuiſſet *Coſinus*, ſi vera narrâſſet infamis ſchiſmaticus; quàm multis pecuniis mulctandus, quàm perpetuo carceri addicendus! Ab hiſce malis capiti impendentibus, quo pacto ſeſe extricare poſſet, ſumma prudentia opus erat. Quid ergo? ſingulis articulis tum ſcripto, juramento prius interpoſito, tum viva voce, cùm reſponſa adaptâſſet, innocentiam ſuam, allatis ex fide rerum & teſtium argumentis & probationibus, adeò luculenter tutatus eſt, ut illarum vi convictus Adverſarii Advocatus, cauſa, quam defendendam ſuſceperat, protenus abrenunciata, palam dixerit, ſe *harum criminationem à Cliente viris in-*

te-

tegerrimis impactarum, omnino puduiſſe nec ſalva conſcientia illius partes amplius ſuſtinere potuiſſe: multis quoque ex Baronibus, ad quorum tribunal lis iſta gerebatur, clarâ voce affirmantibus, Actorem inferioris Cameræ Adſeſſoribus ejusmodi querelis frivolis nullique fundamento innixis fucum feciſſe. Diſceptationes iſtæ ad quintum uſque diem producebantur: nec ultra contra *Coſinum* actum erat. Inde demiſſoria charta facilè impetrata, *Cantabrigiam* redeundi libertas conceditur, interpoſita tamen cautione ſe modo eſſet accerſendus, iterum compariturum. Sed ab omni moleſtia deinceps erat ceſſatum. (a).

In hiſce difficillimis temporibus h. e. A. MDCXL. *Coſinus* Academiæ *Cantabrigienſis* Vice-Cancellarius conſtituebatur, quod egregium munus ſummâ cum prudentia & fortitudine adminiſtravit: Poſtea verò, cum ſereniſſimus Rex ob ſeditioſos civium aliorumque tumultus Urbem relinquere cogeretur, omni præſidio, quo Majeſtatem Regiam tueretur, vacuus, pecuniis utpote publicis, arcibus, tormentis, pulvere pyrio, reliquoque bellico apparatu in armamentariis repoſito, à Senatu *Weſtmonaſterienſi* occupatis, deſtitutus, ut hiſce neceſſitatibus, quantum in illis erat, ſubveniretur, *Cantabrigienſes* vaſa argentea aliamque pretioſam ſuppellectilem, & pecunias numeratas illi circa annum MDCXLII. deferri curarunt.

Quanti verò hæc fides, hæc debita in Regem, omnium rerum egenum, liberalitas illi conſtaret, triſtis eventus demonſtravit. Nam rebellione adulta cùm militares Parlamentariorum copiæ, numero longè ſuperiores, vicinos comitatus in ſuam poteſtatem redegiſſent, de viſitanda Academia ſub *Manceſtriæ* Comite ſtatim decretum erat. De illorum violentia, crudelitate, rapinis & ſacrilegiis, non eſt, quod hîc multa referam. Venerabiles Collegiorum & Aularum Præfecti & Socii, qui fidem integram & intemeratam ſervavêre, Miniſtellorum & mili-

(a) Videat curioſus Lector, ſi libet ipſius *Coſini* literas Apologeticas, ſcriptas *Pariſiis* Aprilis VI. A. MDCLVIII. contra *Fulleri*, qui hæc omnia nimio erga Presbyteranos affectu abreptus, non mala fide, ſaltem iniquè prorſus parte inaudita altera, repræſentavit, cavillationes, & à D. *Petro Heylino*, ſtrenuo Eccleſiæ *Anglicanæ* Pugile, in appendice examinis & animadverſionum in Eccleſiaſticam *Britanniæ* Hiſtoriam ejuſdem *Fulleri*, Rhapſodiam potius nuncupandam, indoctam, ineptam, omni judicio, profundâque rerum indagine vacuam, fœdiſque erroribus ſcatentem A. MDCLIX. editas.

tum ſannis & inſectationibus expoſiti, citra omnem humanitatem malè habiti, & contra jus faſque muneribus ſuis vi armatâ exuti, aut in Regia caſtra non ſine ingenti periculo tranſierunt, aut apud amicos clam latuere, Patriæ malis ingemiſcentes, aut de vertendo ſolo cogitârunt. Hoc eſt juxta Presbyteranos *reformare Eccleſiam & Academias.* Eandem enim horrendam ſortem, Rege debellato, ſubire cogitur Academia *Oxonienſis.* Non aliter cati homines, rerum potiti, credebant, ſe ſecuros fore de ſchiſmate propagando, de anarchia introducta, de ſacrilegis poſſeſſionibus, & Præſulum Eccleſiarumque Cathedralium reditibus impiè arreptis, aut proſperæ rebellionis fructu & beneficio diu poſſe frui, quod maximè cupiebant, niſi hiſce præclariſſimis veræ & antiquæ, tum erga Deum & Chriſtum, tum erga Regem fidei ſeminariis, hoc modo, uti blaterabant, *purgatis.* Mox poſt diram hanc cladem *Cantabrigienſem*, funeſtiſſimo bello magis magiſque exardeſcente, rebuſque deploratiſſimis, *Coſinus*, omnibus ſuis dignitatibus & fortunis exſpoliatus, cum ſibi nullum præſidium ab ſchiſmaticorum inſultibus & inſectationibus fore, ſatis perſpectum habuiſſet, relicta *Anglia*, A. MDCXLIII. *Galliam* aufugit, quem nimirum horror carceris in exilium coëgit.

Coſinus fixas ſedes habuit *Pariſiis* juſſu ſereniſſimi Regis, *Caroli* primi, præcipuè ut viris fœminiſque clariſſimis è familia Reginæ conſortis, qui erant Proteſtanticæ communionis, domeſticis, in ſacris & ſpiritualibus miniſtraret, ibique primò in privatis ædibus, poſtea confluentibus *Anglis*, à patria extorribus & Parlamentariorum tyrannide expulſis, in ſacello ampliſſimi & optimi Viri, D. *Richardi Bruni*, Equitis Aurati & Baronetti, à Sereniſſimo Rege *Carolo* I. ad *Ludovicum* XIII. Regem *Galliæ*, ad publica negotia procuranda, quibus ob prudentiam politicam, ſubacto judicio firmatam, fidemque integerrimam, erat, ſi quis alius, maximè idoneus, Ablegati, omnia ſacræ religionis munia juxta Eccleſiæ *Anglicanæ* inſtitutiones, ſubindè obire ſolebat, quo tempore *Angli* zelotæ *Romanæ* communionis, verſipellis ingenii homines, omnia loca vociferationibus, tum irriſoriis, tum orantibus, complebant, ut noſtrates incautos, *Pariſios* potiſſimùm tanquam ad aſylum confugientes, faciliùs & plauſibiliùs fallerent, eoſdemque à fidei Catholicæ, in Eccleſia *Anglicana* retentæ & aſſertæ, doctrina & profeſſione ſeducerent, jam actum eſſe de Eccleſia *Anglicana*, nec quicquam ſpei de ipſius reſtauratio-

ratione amplius relictam; omnia, hæreticis praviſque opinionibus apud nos in *Anglia* introductis, & ſacro regimine Epiſcopali penitùs everſo, illic vacillare & confundi; & ipſius conſtitutionibus ſublatis, ad ſinum Eccleſiæ *Romanæ* ſibi redeundum eſſe oportere, ſi ſalvi eſſe vellent: ſed ejuſmodi argumenta ab horrendis rerum viciſſitudinibus ducta, qui paulò perſpicacioris erant ingenii, contra univerſos Chriſtianos ſub *Decii*, *Diocletiani*, aliorumque Imperatorum, in illos ex inſano idololatriæ amore ſævientium, lanienis, & præſertim ſub *Conſtantio* & *Valente*, *Arianæ* hæreſeos fautoribus, dira paſſos, pariter valuiſſe, facilè viderunt. Eccleſia *Anglicana* nunquam erat glorioſior, quam ſub cruce. Milleni illius alumni, nullis minis, perſecutionibus nullis ſuccubuere. Conventus ſacri, ringentibus ſchiſmaticis, clam ubique habiti, omni metu aut carceris aut mulctarum abjecto, qui cum Epiſcopis Sacerdotalibuſque ritè ordinatis in ſacris integram retinuere communionem. Eccleſiam *Anglicanam* graviſſimè afflictam & externum illius ſplendorem periiſſe veris lamentis deplorabant omnes boni, ſed non penitùs deſtructam fuiſſe, quod illis exprobrabant Adverſarii, tantus fidelium in *Anglia* relictorum numerus, etiam hoc ſacellum quod exules ſub fide publica & jure gentium muniti, ſingulis feſtis ac Dominicis diebus frequentes adierunt, fecit teſtatiſſimum. In immortalem laudem cedit admodum reverendis D. D. D. *Bramhallo*, *Coſino*, *Erlo*, aliiſque fortiſſimis Confeſſoribus, quorum pietati, conſtantiæ, ac indefeſſæ in concionibus habendis, in Liturgicis ſacris celebrandis, in diſputationibus, ſi qua provocatio cum noſtratibus adverſæ partis Patronis, interveniſſet, denique in ſcriptis edendis induſtriæ, adſtipulante divina gratia, adſcribendum eſt, quod Eccleſia *Anglicana*, licèt domi miſerrimum in modum oppreſſa & ſub jugo Presbyteranæ tyrannidis ingemiſcens, foris in exteris plagis, & præſertim in *Gallia*, ſub D. *Richardi Bruni* Equitis aurati, Viri nunquam ſatis laudandi, qui per novemdecim annos uſque ad reſtauratam anno MDCLX. Monarchiam iſta Legatione ibi ſumma cum laude functus eſt, auſpiciis & tutelâ, quaſi triumphos ageret & quod perpauci vacillantes & infirmæ mentis ad Pontificios, illa relicta, deficerent.

In horum cenſu (neque enim illud celandum arbitror, quod ille in ſummæ infelicitatis loco poſuit,) numerandus venit *Coſini* filius, in Grammaticali Jeſuitarum ſchola, prout apud alios Proteſtantes moris erat, ut linguarum *Græcæ* & *Latinæ* cognitione imbueretur, Patre ni-

mium facilè id concedente, educatus, juvenis ſanè incautus, & in abſtruſis Theologicis dogmatibus malè intellectis & pro judicii defectu inexploratis nimium ſibi placens, fraudibuſque Præceptorum, fide violata, irretitus: qui contra omne jus divinum humanumque à Patre mox abreptus, nullis, ut ut blandis, interpellationibus & monitis, argumentis ſuaſibuſque nullis, præ perverſa ipſius obſtinatione & ſubdolis fallacibuſque ſeductorum artibus, ad ſobriam mentem tunc temporis revocari potuit. Ad alios ergo confirmandos, ne hoc domeſtico exemplo ad ſimilem defectionem pertraherentur, majori induſtria advertit animum. Cùm Sereniſſima Regina, *Henrica Maria*, Regis *Caroli* I. uxor, famulos noſtræ communionis, qui illam, prout debita fides exigebat, in *Galliam* ſecuti ſunt, apud ſe retinuiſſet, illorum interceſſionibus, effectum erat, ut *Coſino* hoc modo in clientelam benigniſſimæ Dominæ adſcribendo, quem Patrem ac Directorem in ſpiritualibus voluere, ædiculæ, illi illiuſque familiæ recipiendis ſatis commodæ, unà cum qualiquali annua penſione, in *Lupara*, Palatio Regali, ubi illi habitarunt, aſſignarentur: quod non parum ad ſublevandam rerum, qua laborabat, inopiam conducebat.

Anno MDCXLV. cùm Emiſſarii pro verſutia illorum machinas novas ad fidem noſtrorum expugnandam adhibuiſſent, quaſi, ex quo tempore, integra Reformatione introducta & legum civilium ſanctionibus ſtabilita, Papiſmum ex *Anglia* expuliſſet Regina *Eliſabetha*, nulli eſſent apud nos Epiſcopi & Sacerdotes, utpote ut more ſolito calumniati ſunt, non debita conſecrandi ſacra elementa, ſive ut veteratores iſti loqui amant, *conficiendi Corpus Chriſti*, ob verborum in Ordinationis formula defectum, poteſtate pollentes, neque juxta Eccleſiæ Catholicæ Canonas ritè ordinati, *Coſinus* ad hanc novam palæſtram laceſſitus (non enim, ut dixi, temerè & præcipiti zelo ſeſe iſtiuſmodi litibus ingeſſere Theologi noſtri in alienis terris, ubi Religio Romana dominatur; ne in τὸν Δυνατῶν offenſam & cenſuram incurrerent) acrem habuit cum D. *Robinſono*, *Anglorum* Benedictinorum Priore, modo illo nomine & titulo nuncupandus ſit, *de ordinationum Eccleſiaſticarum in Angliâ factarum validitate* diſputationem, poſtea ſcriptis pro tempore continuatam, donec à reſpondendo abſtinuiſſet iſte Monachus: (cujus ſummam & compendium ad reverendum Virum, D. *Georgium Morleium*, αὐτῷ ἀδελφῷ καὶ συγκοινωνῷ ἐν τῇ θλίψει, tunc in *Belgio* exulantem, ſcriptis, nondum in lucem publicam productis, poſtea complexus

plexus eſt) ex qua hunc fructum commodumque lætus, ut accepi-percepit, quod nobiliſſimus ille vir, cujus importunis precibus iſta concertatio inita erat, in communione noſtra confirmatior redderetur.

Poſt fatale illud & funeſtum prælium inter *Scotorum* exercitum & *Cromwellianos* tertio Septembris MDCLI. apud *Wigorniam* commiſſum, Sereniſſimus Rex *Carolus* II. qui imperterrito animo interfuerat, à mille periculis, per tot tantoſque itinerum circuitus & ambages, magna *Angliæ* parte peragrata, viis publicis ab armato milite, aliiſque ſceleratis hominibus, inſeſſis, propoſita ingenti ad illum, ne elaberetur, intercipiendum mercede, obſtupeſcenda faventiſſimi Numinis providentia, ereptus, poſt trimeſtre ſpatium tandem, à littore *Suxſexiano* ſolvens, maritimas *Galliæ* oras ſalvus appulit, moxque ſe *Lutetiam Pariſiorum* recepit, ſumma lætitiâ à Regina matre, fideliumque ſubditorum gratulationibus exceptis: quò, inter alios, nobiliſſimi Viri, fideliſſimi & ſapientiſſimi Conſiliarii, D. *Jacobus* Marchio, poſteà Dux, *Ormondiæ*, *Hiberniæ* Prorex, & D. *Edwardus Hydus*, olim Scaccarii, deinceps merito ſuo magnus *Angliæ* Cancellarius, paulo antè ex *Hiſpania*, poſt peractam legationem, in *Flandriam* reverſus, extemplò properârunt. Memoratu dignum cenſeo, Regem, dum illic ferè per triennium manſerit, diebus ordinariis in ſacello privato *Luparæo*, diebus feſtis & dominicis in ædibus Ablegati ſui, ſacris religionis officiis, *Coſino* & *Erlo* illic quoque publicè alterna vice miniſtrantibus, aſſiduè intereſſe conſueviſſe, omnibus propoſito conſtantiæ in Eccleſiæ *Anglicanæ* fide & doctrina exemplo, pro quibus tuendis auguſtiſſimus Parens, triumphata Parricidarum rabie, ferali pegmate obtruncatus, univerſo orbe Chriſtiano, impiiſſimum iſtud execrante facinus, glorioſum paſſus eſt Martyrium. Quo tempore, h. e. circa A. MDCLII. D. *Hydi* qui honori, ſaluti, ac juribus Eccleſiæ *Anglicanæ* pari zelo in exteris regionibus, prout occaſio tulerit, ac olim, & poſtea domi, conſuluit, rogatu, *Coſinus* illius religionem Catholicam, caſtam, & à Pontificiorum corruptelis defœcatam, diſciplinam, regiminiſque formam, univerſum denique ſtatum, quem ne centeſimus quidem è Clero *Gallicano*, ſive ex ignorantia, ſive ex præjudiciis injuſtis maleque fundatis intellexerit, brevi compendio, quod ex autographo jam publica luce donare operæ pretium duxi, demonſtravit: cùm politicæ quædam rationes in cauſa eſſent, quod in iſtâ urbe tunc temporis non imprimeretur. Hujus ſanctiſſimæ & verè Chriſtianæ religionis ſe ſtre-

nuum propugnatorem & pugilem præſtitit, inque illius vindiciis, omni bona occaſione captata, contractis omnibus ingenii & induſtriæ nervis, nulli labori pepercit. Nec longum ab ejuſmodi concertationibus, oppugnationibuſque induciarum aut quietis dabatur tempus. Rex enim *Carolus*, vi fœderis inter *Gallos* & *Cromwellum*, abſque illa conditione, non aliter ineundi, ut Cardinalis *Mazarinus*, qui omnia tunc ſub juvene Rege *Ludovico* XIV. deſpotica plane poteſtate moderabatur, in tam tetræ atrocitatis, contra omnia hoſpitalitatis jura, perpetratæ defenſionem, cauſſatus eſt, è *Gallia* exire coactus, novas, in quibus aliquantiſper conquieſcendum erat, in *Germania* ſedes quæſivit: quem in iſtis peregrinationibus comitari ſapienti ac pia apud ſe deliberatione habita, præfractè ſtatuit *Coſinus*. Sed Rex ipſe interceſſit, noluitque Proteſtantes ſubditos, quibus jam per multos annos utiliſſimam impenderat operam, illius præſentia orbari: cujus juſſibus ſibi obſecundari pro pietate ſua, invitus licèt & quaſi reluctante animo, fas duxit. Sed non diu altera de novo exſurgens illum de rebus graviſſimis ad religionem ſpectantibus conſulendi deerat occaſio. Dum Rex extorris *Coloniæ Agrippinæ*, viciniſque regionibus huc illuc diſcurrens, ageret, Jeſuitæ, præſertim *Angli*, Principum, ſub quorum ditione erat, monitis & inſtigationibus acti, ſive ex inſano ſuo zelo, inſidias, quibus illum fidiſſimoſque Aſſeclas ad fidem ſuam pertraherent, indeſinenter parabant, vana ac fallaci ſpe, ſe in hoc certamine religioſo tandem aliquando fore victores. Dum, inter alia, dogma Tranſſubſtantiationis, quod noſtrates, ut planè novum, & monſtroſum, & ab omni ſenſuum fide & experientia, à Philoſophiæ placitis, à principiis denique Chriſtianæ Theologiæ, & ab omni ſacrarum ſcripturarum auctoramento alieniſſimum, ingenti cum horrore rejecerint, per omne ævum inter Chriſtianæ fidei articulos fuiſſe admiſſum, more ſolito mirâ quadam confidentia clamoſè admodum jactaverunt, rem totam cum *Coſino*, quem in ſcriptis Patrum legendis & in omni hiſtoria Eccleſiaſtica verſatiſſimum pro comperto habuerant, communicare conſultiſſimum videbatur, ut quod hiſce ſtrophis & verſutiis opponeretur, ſibi in ſubſidium præſidiumque haberent. Quorum ut juſtis piiſque ſatisfieret deſideriis, ille ſine morâ figmentum illud eſſe, primis ac ſequioribus quoque ſeculis inauditum, maliſque artibus introductum, diſcuſſa Papalis iſtius tranſſubſtantiationis univerſa hiſtoria, inibi tamen tum S. Scripturæ, tum veterum Patrum, & Reformatarum Eccleſiarum, doctrina

trina Catholica de ſacris ſymbolis & præſentia Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ aſſertâ, adeò luculentis invictiſque argumentis, libello illuc tranſmiſſo abundè refutavit, ut hac ex parte non amplius impeterentur. Diſſertationem hanc hiſtoricam, poſtquam in paucorum manibus, quaſi ſepulta jacuiſſet, utpote digniſſimam, quæ clara luce ab omnibus legatur, venia ab ipſo Auctore paulò ante obitum impetrata, Vir reverendus & apprimè eruditus, D. *Durellus*, Eccleſiæ *Dunelmenſis* Præbendarius, & poſtea Decanus *Windſorienſis*, A. MDCLXXV. *Londini* edendam curavit.

Horis ſubſecivis ſtudiis Theologicis non minus animum intendebat *Coſinus*, tum ut de univerſa religione Chriſtiana, tum ſpeciatim ut de Eccleſia *Anglicana* ſcriptis in omne ævum victuris benè quidem mereretur. Quò huic ſancto propoſito meliùs ſatisfieri poſſet, obſervationibus, quas ex Patribus Hiſtoriiſque Eccleſiaſticis cujuſlibet ſeculi jam à longo tempore collegerat, methodo felici digeſtis, *ſcholaſticam canonis ſacræ Scripturæ, ſive certorum indubitatorumque librorum, prout in Eccleſia Anglicana recipiuntur, Hiſtoriam*, amploque apparatu abſolutam, & ſermone vernaculo ſcriptam, opera Viri eruditiſſimi, D. *Petri Gunningi Londini* MDCLVII. (uti poſtea A. MDCLXXII.) edi curavit: quam admodum reverendo Patri, D. *Matthæo Wrenno, Elienſi* Epiſcopo, olim ob fidem erga Regem & Eccleſiam præſtitam à ſenatu *Weſtmonaſterienſi* in turrim *Londinenſem* conjecto, ibique tunc temporis ſub arcta cuſtodia detento, non ſine maximis elogiis, inſcribi impensè voluit. Opus ſanè ſummo cum judicio elaboratum, omnibuſque numeris perfectum: in quo tum veteris Judaicæ Eccleſiæ, tum Chriſtianæ & Apoſtolicæ, teſtimonia recenſentur, producta nimirum per omnia ſecula, uſque ad A. MDXLVI. h. e. ad tempus Synodi *Tridentinæ*, quæ novum Scripturæ Canonem arrogantiſſimè tum condidit, de quo, neque ipſam Romanam Eccleſiam, neque quancunque aliam, ubi Chriſtianum nomen vigebat, unquam antea audiviſſe ille nervosè probavit. Omittendum hîc non eſt, *Coſinum* iſtius Hiſtoriæ calci *Auctorum*, quorum teſtimonia inibi produxerat, brevem *Tabulam chronologicam*, juxta illorum particulares uniuscujuſque ſeculi ab ipſis æræ Chriſtianæ initiis annos ſubjeciſſe: contra quam acerbam cenſuram præter omne jus & æquum ſtrinxit *Philippus Labbe* Jeſuita, in appendice in alteram partem Diſſertationis *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* editæ *Pariſiis* A. MDCLX. pag. 811. cavillationibus nimirum prorſus ineptis de quibuſdam annis illic

illic perperam ſignatis, de ætate præciſa, in qua aliqui dicuntur floruiſſe, ad calculos non rigidè exacta, & de uno aut altero ex Scriptoribus illis Eccleſiaſticis non debito & recto ordine diſpoſitis, illaudabili induſtria affatim congeſtis: interim oblitus, quàm multos graveſque errores longè majoris monumenti ab ipſo paritèr admiſſos, poſtquam librum ſuum ſedato animo relegiſſet, corrigere ſuarum eſſe partium duxerit: & cardinem controverſiæ, quam intactam reliquit, in iſtis temporum minutiis excutiendis neutiquam verti aut poſſe aut debere. Sed non opus erit in ejuſmodi exceptionibus, ne dicam convitiis, quæ in *Coſinum* alioſque Reformatæ Communionis magni nominis Scriptores, pro genio ſuo & ex prætextu *Catholici zeli* evomuit, in apricum explicatius producendis, cùm id à noſtro propoſito ſit prorſus alienum, diutius immorari.

Erubeſcant jam ſchiſmaticorum filii de parentum avorumque convitiis, mendaciis, & calumniis in *Coſinum*, alioſque præclaros hujus Eccleſiæ Confeſſores, ubique per populum ex induſtria ſparſis, quaſi ſub pientiſſimi & fortiſſimi Martyris, G. *Laudi, Cantuarienſis* Archi-Præſulis, auſpiciis, ductu & præſidio, Papiſmum in *Angliam* eſſent introducturi; quorum innocentiam ab hiſce Presbyteranorum criminationibus & maledicentiis prorſus immunem intactamque fuiſſe, integramque fidem, innumeri libri, adverſus Pontificios ab iiſdem editi, in æternum teſtabuntur.

Multa alia opera Theologici argumenti, puta *Annales Eccleſiaſticos, Hiſtoriam Conciliorum, & Chronologiam ſacram*, congeſta obſervationum mole, condere & Latinè edere conſtituit: hæc verò ſive ſacris functionibus, quæ omne illud tempus, hiſce ſtudiis aliàs impendendum, occupaverint, ſive ægritudinibus maliſque ex calculo, præſertim ingraveſcente ætate, ſupervenientibus, impeditus, imperfecta reliquit: ut varios tractatus MSS. *Anglicè* ſcriptos, ab ipſo elimatos, repetitiſque curis excuſſos, (quorum meminit vir reverendus & doctiſſimus D. *Iſaacus Baſirus*, Eccleſiæ *Dunelmenſis* Præbendarius, & Archidiaconus *Northumbriæ*, qui defunctum, egregia funebri concione habita, pro roſtris laudavit) de controverſiis cum Pontificiis, dum in *Gallia* maneret, agitatis, omittam, à quibus edendis licèt ille ex modeſtia abſtinendum duxerit: vix tamen illud ultimi Teſtamenti Executoribus, quod in Eccleſiæ *Anglicanæ* commodum & honorem, & publicam utilitatem nondum in lucem exiiſſe paſſi fuerint, in excuſationem cedere poſſe arbitror: quod illos vel quoſcunque alios, in quorum ſcriniis adhuc deliteſcunt, tandem

factu-

facturos, acri hac conteſtatione monitos rogatoſque, ardentiſſimis votis opto precorque.

Celari neutiquam aut decet aut debet, quod poſtea crimini & probro objiciebatur, ut mox videbimus, illum longa apud *Pariſienſes* mora arctam cum viris reverendis & doctiſſimis, D. D. D. *Amyraldo*, *Dallæo*, *Gachæo*, aliisque, ut nuncupantur, Eccleſiæ *Carentonianæ Paſtoribus* amicitiam coluiſſe, & ad teſtandam illam, qua erga illos ferebatur, charitatem, eorundem concionibus interdum interfuiſſe: nec obſtabat iſte in ritibus formaque regiminis Eccleſiaſtici ante ſeſquiſeculum introducti diſſenſus, quominus illos, in præcipuis Catholicæ religionis capitibus & articulis unanimos & concordes, fraterno affectu complecteretur, qui reciprocante affectu erant ad omnia officia paratiſſimi. Horum enim permiſſu virum clariſſimum D. *Guilielmum Carnabæum* Equitem auratum, ſuperpellicea linea veſte indutus, juxta ritus in libro Liturgico præſcriptos, in cœmeterio *Carentoniano*, fruſtra indignante & opponente Parocho Pontificio, ſepulturæ mandavit: ut & plures in altero juxta *Pariſios*, in ſterquilinia, foſſas, aliaque immunda loca, pro effero Pontificiorum zelo cæteroquin abjiciendos. (a) Illorum infantes, ſubinde & occaſione data, illis petentibus, ſacro tinxit baptiſmate, alios connubio junxit juxta ritus noſtros, approbantibus quoque Miniſtris, & ad ſacram Euchariſtiam admiſit, quoſdamque Theologiæ ſtudioſos, ſacroque miniſterio deſtinatos, ab Epiſcopis communionis *Anglicanæ*, ſiqui forte ibi aderant, Diaconos & Presbyteros, diſtincta collatione, juxta Ordinale noſtrum, fieri & ordinari, pro more, ad majorem ſolennitatem, Concionatoris munere fungens, curavit. Cùm verò *Galli* Proteſtantes in iſtis temporum anguſtiis, diriſſimiſque, quibus majores involuti eſſent, circumſtantiis *ordinationibus Epiſcopalibus* deſtituerentur, miſericordia & charitate uti, putabat, verè Chriſtiana erga illos incenſus non ſe nimio & præcipiti æſtu abripi paſſus eſt *Coſinus*, quaſi non veri fuiſſent ſacrorum Miniſtri, nullaque eſſet legitima apud illos ſacramentorum adminiſtratio. Ideò à D. *Cordello*, viro pio, qui iſtiuſmodi ſcrupulos in mente dubia aluerat, *Bleſis* tunc agente, an cum iisdem integra conſcientia communicare poſſet, A. MDCL. conſultus, hac re accuratiſſimè perpenſa, literis reſponſoriis, quarum *Apographum* apud me retineo, pari judicio ac pietate exaratis, *ſalvo tamen Eccleſiæ Anglicanæ jure*, illud, præſertim in caſu

(a) V. literas Apologeticas ſupra citatas.

neceſſitatis, & etiam aliàs, ſub certis, interpoſita proteſtatione, conditionibus, admitti poſſe, non dictatorio more ſtatuit, ſed ſub moderamine inculpatæ tutelæ, conceſſit, permiſitque. Verùntamen hac prudenti moderatione, hac pia charitate, hâc reſtricta indulgentia, non modicam apud unum & alterum è Confratribus, in *Gallia* tunc religionis & fidei cauſâ exulantibus, quorum nominibus parco, invidiam & odium, imo & acerrimam cenſuram ſibi conſcivit, quaſi hac ex parte Eccleſiæ, tum Catholicæ, tum Anglicanæ, jura tradidiſſet, indeque ex conſequenti Presbyteranis *Anglicanis*, ſeipſos, abdicato, à quo tanquam à fonte, reliqui ſacri ordines canonicè fluunt & derivantur, Epiſcopatu, ab impii ſchiſmatis, quod ſceleſtiſſimam rebellionem, horrendaſque iſtas clades, quæ poſtea ſecutæ, induxit, reatu tuendi anſam dediſſet. Quid ille interim? Equidem ſatis ſibi conſcius, multiſque argumentis convictus, longè diſparem *Gallorum* & noſtratium rationem haberi oportere, & quotidiana converſatione & experientia compertum habens, illos ordinem Epiſcopalem venerari, calamitatibus Eccleſiæ afflictiſſimæ indolere & miſereſcere, ritus, quibus in divini cultus officiis utimur, innocentes & ab omni ſuperſtitione Papiſticâ puros, approbare & Liturgiam *Anglicanam* juxta primitivæ Eccleſiæ formulas compoſitam eſſe patente ore promptoque animo fateri; à quibus omnibus quàm maximè abhorrent Sectarii noſtri, nullo aut neceſſitatis aut juſtæ ſeceſſionis à communione Eccleſiæ prætextu excuſabiles, hæc improperia cenſuraſque, quas nimius exacerbatæ mentis fervor dictârat, ne dicam, invidia & æmulatio, quæ viris optimis quandoque ex humanæ infirmitatis vitio ſolent irrepere, patienti, imo & forti, animo, tulit contempſitque, nec unquam, uti videtur, hujus Chriſtianæ & pacificæ συγκαταβάσεως ſe pœnituit. Interim tamen Presbyteranorum, Independentium reliquorumque Sectariorum ſacrilegam alieni juris uſurpationem, perfidiam, perjuria, & impudentiam in ſacris miniſteriis ex propriâ auctoritate, quæ planè nulla eſt, ſibi arrogandis, flagranti & juſtiſſima quidem indignatione uſque ad extremum vitæ halitum deteſtatus eſt.

Monarchia A. MDCLX. conſpirantibus univerſi populi *Britannici* animis, reſtituta, poſt ſeptendecim annorum exilium in patriam reverſus eſt *Coſinus*, qualem qualem publicæ felicitatis fructum modicamque partem percepturus. Cùm verò omnes illum ſummos quoſque honores ob conſummatam ſapientiam, eruditionem, fidelitatemque ubivis teſtatiſſimam meruiſſe

ruiſſe concorditer cenſuiſſent, ille, omni ambitione vacuus, perpeſſiones ſuas Eccleſiæ *Dunelmenſis*, cui primùm deſignabatur, Decanatu, abundè compenſari pro egregia animi æquitate exiſtimavit: nec aliud redhoſtimentum aut petiit, aut exſpectavit. Sereniſſimus verò Rex, cui illius ingentia merita & excelſæ dotes erant à multis annis perſpectiſſimæ, longè aliter ſentiebat, neminemque, qui ad iſtius Eccleſiæ Epiſcopatum, præcipuæ poſt *Londinenſem* dignitatis, ob jura regalia ad comitatum Palatinum pertinentia, amplamque civilem jurisdictionem illi antiquiſſima conſuetudine annexam, ampliſſimiſque reditibus dotatum promoveretur, digniorem eſſe pro prudentia ſua judicavit. Mox canonica electione juſſu regio pro more peracta prima Dominica Adventus, ſecundo die Decembris ejuſdem anni, in Abbatiali S. *Petri Weſtmonaſterienſis* Eccleſia, una cum ſex aliis, ritè conſecratus eſt, ipſius Sacellano, D. *Guilielmo Sandcrofto*, poſtea merito ſuo ad ſedem Metropoliticam *Cantuarienſem* evecto, viro optimo & ſapientiſſimo, cum ſummis iſtius ſacri & maximè venerandi Confeſſûs laudibus concionem habente: quam Patrono ſuo, cujus juſſu edita erat, magnificâ inſcriptione præmiſsâ, dedicavit.

Quamprimùm per publica regni negotia licuit, venerandus noſter Præſul, *Dunelmum* ſe contulit, ingenti gaudio obſequioſiſque gratulationibus, à vicinis generoſioris proſapiæ civibuſque in urbem, ubi magnum ſui deſiderium olim reliquerat, decora pompa deducentibus, exceptus. Jam prima cura inſtabat, omnia, quæ in turbatiſſimis temporibus miſerè diſtracta & confuſa jacuiſſent, priſtino nitori, quantùm fieri potuit, reſtituendi, & divinum cultum diſciplinamque in Eccleſia Cathedrali, impia ſectariorum rabie nuper polluta, juxta veterum ſtatutorum normam, additis quoque novis, redintegrandi: viris & piis & doctis, in partem curæ venientibus, in locum Præbendariorum pridem defunctorum, quos fanaticus furor exegerat, itidem ſuffectis. Deinde univerſam Diœceſin ſapienti conſilio viſitavit, ut contra fanaticos Miniſtros, qui aliorum beneficia Eccleſiaſtica, Rebellium patrocinio ſuffulti, occupaverant, populo à Deo, Rege, & Eccleſia ſibi commiſſo, meliùs provideretur. Sed hac illius aliorumque Præſulum diligentia non ſatis ab iſta labe purgata erat Eccleſia *Anglicana*, donec anno ſequente, viz. MDCLXII. ex decreto Parlamentario de uniformi in precum publicarum formulis, ſacramentorumque adminiſtratione, praxi & conſenſu, aliorumque rituum & cæremoniarum uſu, cujuſpiam mu-

neris ſacri incapaces, pœniſque obnoxii redderentur, niſi qui hactenus vafrè & diſſimulanter egerint, bonis legibus morem geſſerint. Non aliter aut regni tranquillitas, aut Eccleſiæ ſalus ſalva & integra ſervari poterat. Civilium igitur legum ſanctionibus pariter ac poteſtate Epiſcopali munitus, in iis, quæ deerant, corrigendis, rebuſque componendis & moderandis, contra ſchiſmatis, nondum penitus ſopiti, licèt publicis legibus damnati, reliquias, alacriore animo perrexit. Inferiorem Clerum omni cum paterno affectu, ſine ſupercilioſo faſtu, ſine tetrica aſperitate, non tanquam Dominus, ſed Frater in *Chriſto*, excipere & amplecti ſolebat: interim tamen de ſingulorum vita, moribus, exemplo, doctrina, diligentia, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ rituumque obſervantia maximè ſolicitus, & ſi quid aliqua ex parte deliquerint, monitis primùm & objurgationibus, deinde in inemendatos & pervicaces acri cenſura animadverſurus. Inter alia ſtatuebat, ut quotidiana religionis officia bis ſingulis diebus publicè legerentur, ut quotquot erant ad pietatem propenſiores, à neceſſariis vitæ occupationibus liberi, ſacro cultui ſimul adeſſe poſſent; inſuperque nolebat illos pro nuperorum temporum licentia, ſive conceptas, ſive extemporaneas preces, in quibus malas de religione opiniones dementatæ plebis animis vafri homines ſub ferventioris zeli & ſanctimoniæ ſpecie & prætextu plauſibiliùs & faciliùs inſtillare conſueverint, concionibus, præmittere: revocato in uſum Canone noſtræ Eccleſiæ quinquageſimo quinto: quo brevi & in genere omnes monendi ſunt, pro quibus & in quorum gratiam Deo ſupplicare oportuerit. Exploratiſſimum eſt, & à nemine quoque negandum, olim cautum fuiſſe, ne preces privatæ, cujuſque arbitrio & laſcivienti ingenio relictæ, in ſacris publicis cœtibus recitarentur. Ferunt, & fortaſſe quidem non dubiâ fide, *Cartwritum*, Puritanorum ſub temporibus R. *Eliſabethæ* Anteſignanum, earum uſum in ſuis conventiculis, inhoneſtis quidem de cauſis & conculcata Eccleſiæ auctoritate, primò introduxiſſe.

Tanta verò tamque aſſidua ſedulitate, quantùm humanæ vires paſſæ ſunt, Clericis, illius ſpirituali ditioni ſubditis, invigilavit D. *Coſinus*, ut nullibi terrarum fortean aut ſanctius aut prudentius ſacrum iſtud munus præſtaretur, ſed in illius laudes nimiùm effuſus videbor; nolo quippiam meritiſſimæ reliquorum venerabilium Epiſcoporum, qui partibus ſuis laudatiſſimè perfuncti ſunt, famæ detractum iri: quorum omnium eximia pietate, indefeſſa induſtria, paſtoralique cu-

cura optimè adminiſtrata, *Anglia*, perpetua pace & tranquillitate, fuiſſet beata, ſi per vafras primùm, deinde palam vi apertâ erumpentes, Presbyteranorum & Democraticorum machinationes licuiſſet.

Nemo magis pro dignitate, quam adeptus eſt, vixit, illamque meliùs ſuſtinuit. Nemo vicinos nobiles, quoſvis peregrinantes, civeſque ad menſam admiſſos (ut illius effuſam in egenos largitatem prætream) majori hoſpitalitate & animi promptitudine excepit. Sed abſque omni vana profuſione & luxu, prout Epiſcopum Chriſtianum, juxta mandatum Apoſtolicum, maximè decebat: cujus, à tempore, quo ante triginta annos Præbenda primùm auctus fuerat, dum res domeſticæ manerent proſperæ, erat retinentiſſimus: ad quam etiam (uti & ad canonicam reſidentiam ſine quæſitis impetratiſve quovis prætextu diſpenſationibus) uti olim exemplo ſuo, jam repetitis monitis publiciſque adhortationibus frequens exſtimulavit.

Opimum Epiſcopatum invenit D. *Coſinus*: ſed longè opimiorem reliquit: annui nempe oneris octingentarum octoginta librarum ſterlingicarum poſt mortem Reginæ matris, ob ablatum jus tutelæ pupillorum iſti ſedi antiquo jure annexum, nec à ſe neque à ſucceſſoribus ſuis deinceps exigendi, remiſſione à benigniſſimo Rege procurata.

A Rege Magnatibuſque ob pietatem morumque gravitatem, ob judicii firmitatem & acumen, ob ſapientiam denique multiplici lectione, diligenti ſtudio, longoque rerum uſu, acquiſitam magni habitus. Ordinibus regni Regio juſſu convocatis, in Superiori camera Parlamenti, cujus non modica pars fuit, ſi quippiam magni momenti quoquo modo ad Eccleſiam, reſve Eccleſiaſticas ſpectans, in diſceptationem veniſſet, illo perorante, illuſtriſſimi Proceres, avidis auribus oculiſque intenti, ejus ſententiæ non ſine quadam delectatione & reverentia auſcultare viſi ſunt. Cujus hoc inſigne exemplum dabo. In acerrima lite inter illuſtriſſimum quendam Virum & uxorem illius, violati connubialis thori manifeſtis indiciis ream, de nuptiis poſt divortium contrahendis agitata, ille tandem ſententiam rogatus, non temerè & leviuſculè, ſed deliberato animo, libratiſque alterutrinque argumentorum momentis, longa, eaque gravi, oratione, diſſeruit, ſe quidem opinari, vinculum illud matrimonii adulterio diſſolvi, & ex conſequenti maritum, qui tantam injuriam, introducta ſpuria prole, paſſus eſt, ad ſecundas nuptias admitti debere, nec illud liberis ex nova

ſponſâ procreandis, in cernenda hæreditate fraudi fore. Cùm verò per Eccleſiaſticas leges *Angliæ* id fieri non liceret, reliquos omnes Præſules, ſi unum & alterum excipias, ſibi adverſos & diſſentientes habuit. Poſt multos dies, collectis ſuffragiis, numeroſioribuſque ad ſententiam, quam tutatus eſt D. *Coſinus*, propendentibus, prius illud matrimonium ab omni vinculo ſolvi, & planè irritum fore, ac ſi nunquam fuiſſet initum, aut morti ſuccubuiſſet fœmina, lege Parlamentaria decernitur. Hoc maximè ſolenni decreto præeunte, (exempla enim neque conſiſtunt, neque conſiſtere poſſunt, ubi primùm incepêre) idem ter quaterve eadem auctoritate factum ſuiſſe in conſimilibus cauſis ante paucos annos vidimus. Ne typis publicis exſcriberetur hæc Diſſertatio, omnem cautionem, uti videtur, adhibuit D. *Coſinus*: veruntamen multis poſt ipſius obitum annis, verſuta eorum, quorum intererat, induſtria, emerſit in lucem, ut alteri congeneris argumenti cauſæ in eadem ſuprema Curiâ patrocinaretur. An rationes illæ, quæ ibi proponuntur & exſtant, invictam cogendi mentem ad aſſentiendum vim habeant, nec ne, judicent alii. Hoc tantùm addam, quod à quodam illuſtriſſimo viro me olim accepiſſe memini, D. *Coſinum*, ſtrenuum hujus cauſæ patronum & vindicem, illo ipſo die, quo res hæc graviſſima, ſine ulteriori aut diſceptatione aut appellatione eſſet abſolvenda, tunc abfuiſſe, nec ſuffragium aliquantulo tempore antecedente, aut vivâ voce aut ſcripto dediſſe.

In hac eminente dignitate conſtitutus, & omnium rerum copia cumulatiſque opibus felix, probè in mentem revocans, hujus villicationis à ſupremo Domino ſibi concreditæ rationem tandem reddendam, ſacroſque reditus non ad ditandas privatas familias, ut inde in ſeros nepotes amplæ hæreditates derivarentur, à piis munificiſque Benefactoribus Deo & Eccleſiæ donatos fuiſſe, ſed in majorem Dei gloriam, divini cultus, illiuſque Miniſtrorum, ſplendorem & decus, ac pietatis bonarumque literarum incrementum, impendi debere, quibus modis divinæ benignitati, quæ ipſi centuplum in hac vita reddidiſſet, votiſque omnium reſpondere poſſet, quaquaverſum oculos animumque ſeriò intendit. Ante omnia verò de caſtellis ſive palatiis, antiquis Deceſſorum ſedibus *Dunelmi* & *Auklandiæ*, uti etiam *Darlingtoniæ*, ſacrilego Fanaticorum auſu & furore dirutis, ac omni apparatu nudatis, poſt inſtauratam Eccleſiam Cathedralem, quod ſibi proprium erat, cogitavit; & quod auſpicatò aggreſſus eſt, poſt paucos annos auſpicatiſſimè abſolvit; ſedecim ferè mil-

millibus noſtrarum librarum in illorum integra fabrica & ornatu impenſis; ſacella inibi, (quorum illud *Auklandiæ*, flagrante rebellione Parlamentaria, pulvere pyrio everſum, è fundamentis exſtruxit & conſecravit A. MDCLXV.) argenteis vaſis deauratis, libris ſacris & Liturgicis, organis muſicis, reliquoque decoro apparatu, non in ſui ſolius, ſed ſucceſſorum uſum inſtrui curavit: quorum omnium valor ad mille libras exſurgebat. Ad egenos in omne ævum alendos cum proxima acceſſerit cura, duo Xenodochia ibidem quoque fundavit & dotavit, duaſque quoque Scholas ſub nupera rebellione dirutas in viridario juxta palatium *Dunelmi*, iterum exædificavit; itemque prope Scaccarium ibi ſitum Bibliothecam publicam, in communem Literatorum uſum condidit, libriſque ſuis, (ſaltem quoad maximam partem) quos ingenti ſumptu & induſtria per quinquaginta annos collegerat, refertam, addito fundo, ut novis acceſſionibus aliqua ex parte magis magiſque inclareſceret; & vicariam parochiæ *Auklandiæ* ſedecim librarum ſtipendio in perpetuum augeri voluit: nec tacendum duco, licèt id ineluctabilis quædam neceſſitas exegiſſe videretur, illum octingentas libras in ripis prope mare, quo agrorum ſuorum prædialium fines pertigerint, contra aquarum furentium impetus reparandis reficiendiſque expendiſſe, fundum quoque tunc temporis *Collegium* nuncupatum, quem turbulentiſſimis temporibus occupaverat infamis iſte rebellis, *Haſlerigus*, à Rege *Carolo* ipſi & hæredibus datum, ſucceſſoribus ſuis ultimis tabellis conſignarit & largitus eſt. Sed non anguſtis unius urbis aut comitatus limitibus munificentiam ſuam circumſcribi & coarctari paſſus eſt. Præſulibus *Anglicanis* tunc temporis crebræ dabantur effuſæ liberalitatis exercendæ occaſiones. Inter hos D. *Dunelmenſis* trecentas libras pro redimendis nautis aliiſque, è noſtratibus à prædonibus *Algirenſibus* in mare mediterraneo captis, contulit, quingentas etiam ad inopiam militum, qui Regiis partibus ſtetiſſent, quibus aliunde non erat proviſum, ſublevandam, ducentas item libras & quod excedit, inſtaurandæ S. *Pauli Londin.* eccleſiæ. Non unum verò amoris ſui ac benevolentiæ in Collegium S. *Petri Cantabrigiæ*, cui olim præfuerat, indicium ac teſtimonium, quamdiu ædes ſacræ bonæque literæ à barbarorum invaſionibus intactæ & integræ perſtabunt, exſtare quoque voluit. Hoc Sacellum novum, ipſius pecuniis pulcherrimè refectum, hoc Alumni quinque, ſinguli nimirum perpetuo decem librarum ſtipendio donati, hoc denique Bibliotheca, mille libris ab illo illuc tranſmiſſis, aucta, & ciſta communis teſtabuntur. Munificus quoque erat, licèt non pari proportione,

tione, in Collegium ubi olim fuerat ſocius, in quo præter annuam penſionem communi ciſtæ addendam, tres Scholares perpetuo viginti librarum reditu alendos eſſe conſtituit, qui, uti & priores, *Epiſcopi Dunelmenſis Alumni* omni tempore erant nuncupandi: dumque ſacellum Collegii *Emanuelis* de novo condendum eſſet, pro amore, quo erga ſacras ædes ferebatur, ſymbolam qualem qualem, quinquaginta libris dono datis, contulit. Hæc aliaque minoris momenti, quæ à me in hac compendiaria recenſione omittuntur, ille in ultimas tabellas quaſi in acta publica, referri curavit, non oſtentationis & jactantiæ cauſa (hoc enim averſiſſimo animo ibi expreſſiſſimè deprecatur) quaſi rem magnam feciſſet, ſed tum ut ſe ab omni avaritiæ nota & labe purgaret, tum ut ingentes iſtas pecuniarum, quas ex elocatis terris ſuis per ſeptem annos perciperet, ſummas, non in ſuos privatos uſus converſas & abalienatas fuiſſe in omnem memoriam in Archivis Curiæ Prærogativæ *Cantuarienſis* luculentiùs conſtaret.

Poſt tot tantaque benefacta nemo mirabitur, aut invidebit, aut probro & vitio illi vertere jure poterit, quod filias quatuor Viris generoſioris proſapiæ, lautis patrimoniis gaudentibus, congruis dotibus aſſignatis, prout bonum & amantiſſimum decebat parentem, ſapienti delectu elocaverit: quarum natu minimam dedit in uxorem D. *Dionyſio Granvillo*, illuſtriſſimi Viri, *Joannis* Comitis *Bathoniæ* fratri, tunc temporis Eccleſiæ *Dunelmenſis* Præbendario, & mox Decano. Unicum habuit filium, cujus iterata à communione Eccleſiæ *Anglicanæ*, ad quam redierat, ſeceſſio perennem dolendi Patri, quoad vixerit, materiem ſuppeditavit: interim tamen paterna miſericordia erga immorigerum filium, qui ſe per quatuor annos ſubduxiſſet, non amplius viſendus, annuam centum librarum penſionem, ut quod reliquum erat vitæ ſine alienis ſubſidiis, omnique egeſtatis aut periculo culo aut metu procul amandato, toleraret, ſolvi juſſit. Cùm jam ex acutiſſimis calculi doloribus, hydrope pectorali, maliſque aliis, ſenectuti admodum provectæ quotidiè accreſcentibus moriendi tempus non procul abeſſe, imò potius inſtare videri ſenſiſſet, tabulis teſtamentariis renovandis condendisve & ultima manu ſignandis confirmandiſque, intellectu, judicio, & memoria illæſis, ſenſibuſque manentibus integris, animum operamque applicuit Decembris undecimo A. MDCLXXI. in quarum prima parte, Latinè à ſe ſcripta, fidei Chriſtianæ & verè Catholicæ adverſus infames veteris ævi hæreticos, item doctrinæ & diſcipli-

plinæ Eccleſiæ *Anglicanæ*, contra Pontificios pariter ac ſectarios, profeſſionem, quam in Appendice edendam curabo, piè & animoſè exhibet: in altera de ſui ipſius exequiis & ſupultura, itemque de bonorum temporalium, quæ ſupererant, diſpoſitione amplum in modum agit. Sed cùm tædioſum & tum noſtratibus tum exteris, in quorum gratiam commentarium hunc ſcribo, prorſus ingratum foret huic ſpecialiùs inſiſtere, ſummatim dicam, quod poſt legata filiabus illarumque liberis, etiam filio immorigero, cognatis, affinibus, amicis, & famulis relicta, pauperibus *Dunelmi*, *Auklandiæ*, *Petroburgi*, & *Norwici* degentibus, aliiſque illic aut *Cantabrigiæ* ære alieno oppreſſis, & in carceribus detentis, ducentas libras in partem ſolaminis diſtribuendas ordinavit: cavitque non ſine ingenti ſolicitudine, ut quæſitis repertiſque, quotquot ſupereſſent, liberis & nepotibus D. *Joannis Haynard*, olim Præbendarii *Lichfieldenſis*: ſinguli viginti librarum honorario donarentur: quod profitetur ſe in grati erga Parentem animi μνημόσυνον & indicium jam facturum, ex cujus commendatione potiſſimùm in D. *Overalli* familiam clientelamque primis juventæ annis adſciſceretur.

Hujus teſtamenti quatuor Executores, ut verbo noſtro forenſi utar, conſtituit, quos honoris cauſa hîc nominabo, viz. D. *Thomam Orby*, Equitem Auratum & Baronettum, D. *Joannem Durellum*, Præbendarium *Windſorienſem* & *Dunelmenſem*, *Georgium Davenportum*, Virum doctiſſimum, ipſi à Sacris domeſticis, & *Milonem Stapiltonum*, Armigerum, ipſius Secretarium, quorum omnium fides, probitas, amicitia & prudentia erant ipſi longo uſu exploratiſſimæ.

Hac ſarcina depoſita, ad ſolam cœleſtium divinarumque rerum contemplationem ſe componit, & ad portum æternæ quietis & tranquillitatis, poſt tot tantaſque in hac vita, tanquam in procelloſo mari, aberrationes & jactationes, anhelans, animam, ad Beatorum ſedes avolaturam, procuratis omnibus religionis juxta Eccleſiæ inſtitutiones officiis, cœleſti viatico munivit: & jam mox expiraturus, Deo Opt. Max. pro pace Eccleſiæ & divini cultus puritate ferventiſſimis precibus exorato, liberis, & nepotibus, Presbyteriſque, qui humillimè rogârunt, circum adſtantibus, benedictionem ſuam impertitus eſt. Ita reverendiſſimus Pater, poſtquam Eccleſiam *Dunelmenſem*, ſumma cum laude & ſanctiſſimis vereque Paſtoralibus curis, undecim annos rexiſſet, ſatur dierum in ædibus conductis in vico vulgo vocato *Pel-mel* in ſuburbiis *Weſtmonaſterienſibus*, placidè obdormivit in

Chriſto, (quem verbis divini Apocalyptæ, *veni Domine Jeſu, veni citò*, extremo vitæ halitu invocavit) ſeptuageſimo octavo ætatis anno, XV. die Januarii anno reparatæ hominum ſalutis, juxta computum Eccleſiæ *Anglicanæ*, milleſimo ſexcenteſimo & ſeptuageſimo primo.

Per inclementiam hiemis lutoſasque vias difficile iſtud longumque iter in Septentrionales *Angliæ Scotiam* verſus plagas citò ingredi non licebat: ſed adulto vere admodum ſolenni pompa ex Urbe elatum eſt funus, præeuntibus, quò exequiæ fierent honoratiores, duobus Heraldis *Auklandiam* uſque, ubi corpus ſepeliendum juſſiſſet Antiſtes noſter. Illic concurrente ingenti ſpiſſaque virorum omnium ordinum, viz. Cleri, nobilium, civium, & plebeiorum multitudine, *D. Baſiro*, uti antea dixi, concionem funebrem habente, & admodum reverendo Vito, D. *Guidone Carletono*, Epiſcopo *Briſtolienſi*, iſtius Eccleſiæ Præbendario, officium ſepulturæ juxta Eccleſiæ noſtræ ritus celebrante, XXIX. die Aprilis A. MDCLXXII. in crypta ſacelli ædium Epiſcopalium reconditus eſt. Monimento, marmoris nigri, quod ſibi in medio ſacello vivus erigendum curaverat, hanc Epigraphen, relictis lacunulis, quæ hîc ſupplentur, ſine omni affectatione & faſtu à ſe ſcriptam, incidi voluit:

> *In non morituram memoriam* Joannis Coſini, *Epiſcopi* Dunelmenſis, *qui hoc Sacellum conſtruxit, ornavit, & Deo conſecravit, anno Domini MDCLXV. in feſto S.* Petri: *obiit XV. die menſis Januarii anno Domini MDCLXXI. & hîc ſepultus eſt, exſpectans felicem corporis ſui reſurrectionem, ac vitam in cœlis æternam.*
>
> *Requieſcat in pace.*

Uti & in ambitu minoris ſaxi ad quatuor latera hunc S. *Joannis* Apocalyptæ verſiculum in quatuor inciſa diviſum.

> *Beati mortui, qui moriuntur in Domino:*
> *Requieſcunt enim à laboribus ſuis.*

Poſt ſimplicem hanc rerum, quam ſolo amore & reverentia Veritatis incitatus, brevi hoc compendio ſcripſi, narrationem, neutiquam opus erit, ut elogiis magni hujus & optimi Viri aut quærendis

rendis aut ampliandis, me ſolicitiùs & importuniùs ingeram. Cùm *optimum* appellaverim, faceſſat omnis obtrectatio, quaſi illum ab humanæ vitæ aberrationibus, quibus cuncti mortales urgentur, aut ſubitaneis efferveſcentis bilis correptionibus prorſus immunem & eximendum fuiſſe credidiſſem. Exagitent, ſi velint aut poſſint, illius nomen & famam iniquiſſimi cenſores, ſive *Romanenſes*, ſive Sectarii: at ceſſantibus calumniis, invidia, & partium ſtudio, (ſi tamen per illorum immortale odium, irreformabilemque perverſitatem ceſſantibus) nullus dubito, quin omnes boni & cordati Lectores, veri Eccleſiæ *Anglicanæ* filii, in eandem ſententiam mecum ituri ſint, D. *Coſinum* nimirum de Religione, de Eccleſia, de Patria, deque bonis literis, tam ſcriptis, conſtantia, & fide in temporibus periculoſiſſimis uſque ad omnium bonorum temporalium jacturam ſervata, quam exemplo, & fideliſſima ſacri muneris, cùm Presbyter eſſet, & poſtea in ſupremo Sacerdotii ordine conſtitutus, adminiſtratione, & denique munificentia, præclarè admodum meruiſſe, & inter eminentiſſimos Eccleſiæ *Anglicanæ* Præſules, in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis noſtræ faſtis & annalibus æternitati conſecrandos, jure merito recenſeri debere.

REGNI ANGLIÆ RELIGIO CATHOLICA,

Priſca, caſta, defœcata:

Omnibus Chriſtianis Monarchis, Principibus, Ordinibus oſtenſa.

Anno MDCLII.

Auctore JOANNE COSINO, tunc temporis Eccleſiæ Cathedralis *Petroburgenſis* Decano, & poſtea *Dunelmi* Epiſcopo.

REGNI ANGLIÆ RELIGIO CATHOLICA,

Priſca, caſta, defœcata:

CAPUT I.

Perpetua Religionis norma.

PErpetua nobis in Eccleſiâ *Anglicanâ* religionis & fidei noſtræ *norma* hæc eſt:

Unus canon, à Deo in duo Teſtamenta relatus.

In iis enim, quæ apertè in S. Scripturâ poſita ſunt, continentur illa omnia, quæ fidem ſpectant, moreſque vivendi.

Poſt illa, Inſtrumenta nobis authentica ſunt

Tria Symbola,
Quatuor priora Concilia,
Quinque ſecula, &
Catholicorum Patrum per ea ſeries ac conſenſus.

In his enim invenitur & explicatur Fides illa prima ſanctis ſemel tradita, priſca, caſta, & defœcata, abſque hominum corruptelis & aſſumentis novis.

Ea denique, quæ in ſequioribus ſeculis huic primæ non repugnat, Theologia.

CAP. II.

Sacra Dei Scriptura.

REcipimus & amplectimur omnes Canonicas Scripturas, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti.

Quas ſemper ante oculos habemus, ne vel humanâ fraude, vel inſidiis Dæmonum, ad errores & fabulas abduceremur.

In illis ſolis poſſe hominum animos acquieſcere; in iis omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, inveniri; eas eſſe fundamenta Prophetarum

& Apoſtolorum, in quibus ædificata eſt Eccleſia Dei; normamque certiſſimam, ad quam omnis doctrina Eccleſiaſtica debeat revocari; & contra quam nec legem, nec traditionem, nec conſuetudinem ullam ſequendam vel audiendam eſſe, profitemur & firmâ fide credimus.

Cap. III.

Antiqua fidei Symbola.

EA fides noſtra & doctrina eſt, quam complectitur
Symbolum Apoſtolicum,
Symbolum *Nicænum*,
Symbolum *Conſtantinopolitanum*,
Symbolum *Athanaſianum*;
Confeſſio *Epheſina*, &
Confeſſio *Chalcedonenſis*.

Quæ omnia firmiſſimis S. Scripturæ teſtimoniis comprobari poſſunt.

Iſta autem Symbola non modò continent, quæ credere Chriſtianum hominem oportet, ſed omnibus etiam eandem ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων præſcribunt.

Novum igitur fidei Romanæ Symbolum, quod nec in S. Scripturâ legitur, neque inde per ullam evidentem aut ſolidam conſequentiam probari poſſit, quin & ab eâ prorſus alienum eſt, totique Antiquitati penitus incognitum, procul à nobis amandavimus.

Neque enim verum eſt, (imò à *veritate & verbo Dei* quàm maximè abhorret) fidem ſive *Tridentinam*, ſive *Lateranam*, eſſe Catholicam, aut extra nuperam profeſſionis fidei formulam, à Papa *Pio* IV. & *Tridentinis* excogitatam, neminem poſſe eſſe ſalvum.

Cap. IV.

Quatuor prima Concilia.

MAgnam in Eccleſiâ & ſaluberrimam Conciliorum auctoritatem eſſe dicimus, ſed eorum, quæ à Catholicis, doctis & piis Viris celebrata ſunt, quæque à ſanâ & infallibili S. Scripturarum doctrinâ nullatenus recedere aut deviare perhibentur.

Qualia ſunt Vetera Concilia, quæ ſancta & Univerſalis Eccleſia recepit,

cepit, quatuor illa prima Oecumenica, & quæ ab illis approbata, quæque iis poſtea fuere conſona.

Ea enim omnia unicè amplectimur, atque in tantum venerati ſumus, quòd (quoad ſubſtantiam quidem dogmatum) etiam legum illis vim in publicis regni Comitiis conciliandam curavimus: adeò ut nemini apud nos liceat eis publicè contradicere.

Reliqua verò, quæ ſequioribus ſeculis à Pontificiis habita ſunt, Concilia, & vel contempto vel prætermiſſo verbo Dei celebrata, (quibuſque illi maximè nunc nituntur) nos miſſa facimus. Sicut enim Oecumenica ea non fuiſſe, certò ſcimus, ità in multis non minimi momenti decretis, tum à doctrinâ Apoſtolorum, tum à regulis ſanctorum Patrum aberrâſſe, nimis manifeſtum eſt.

Porrò ſummum Concilii cujuſvis Præſidem, alium, quàm *Chriſtum* quærere aut agnoſcere nefas ducimus. In Oecumenicis autem προεδρίας Papalis non uſus magis quàm jus olim penes Romanum fuit Pontificem, qui nec illis præfuit, nec interfuit, neque ſuâ unquam auctoritate ea indicendi aut cogendi poteſtatem habuit, uti ex antiquiſſimorum Conciliorum Actis & Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ vel cuivis non prorſus excæcato evidentiſſimè liquet.

Cap. V.

Quinque priora Patrum ſecula.

Scripta ſanctorum Patrum in myſteriis fidei conſentientium, (qualia multa recta & ſalubria nobis reliquerunt) tum ob ſublimem illorum eruditionem & Spiritûs ſancti gratiam, quâ præ cæteris eos imbutos eſſe conſtat, tum propter ipſorum pietatis ac veritatis teſtimonium, non ſolum atramento obſignatum, ſed multorum quoque ſanguine ſanctum, meritò magnam apud nos exiſtimationem & auctoritatem habent.

Quò enim propiùs ab Apoſtolorum temporibus abfuerunt, tantò rectiùs *veritatis* doctrinam intellexiſſe, puriùſque & incorruptiùs explicuiſſe creduntur, præſertim ubi unanimes ſunt, & in rebus fidei idem ſentientes.

Idcirco quia teſtantur inprimis univerſi de origine & auctoritate S. Scripturæ Canonicæ, plurimi etiam utiliſſimos ſacrorum Librorum Commentarios ſcripſerunt, *hæreſes* ſuorum temporum ſtrenuè profligarunt, Hiſto-

Hiſtoriam de *Eccleſiâ Dei* laudabili diligentiâ conſignarunt, & nervoſis ſententiis ſtudium pietatis inflammant, ad frequentem eorum lectionem (non ſine prudentiâ tamen & judicio exercendam) noſtros omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos, literiſque imbutos ſedulò adhortamur.

Quinetiam ut toti ſimul orbi Chriſtiano conſtaret, nos nullam in *Angliâ* vel religionem fovere, vel fidem profiteri, niſi quæ verè Catholica & communi priſcorum Patrum conſenſu recepta, atque ex S. Scripturis firmata fuerit; hujuſmodi decretum verè quidem aureum, in Eccleſiâ noſtra ſancitum eſt, ac unà cum Articulis religionis promulgatum A. D. MDLXXI. cap. *de Concionatoribus.*

Inprimis videbunt, nequid unquam doceant, quod à populo religiosè teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris ac Novi Teſtamenti, quodque ex illâ ipsâ doctrinâ Catholici Patres & veteris Eccleſiæ Epiſcopi collegerint.

Nempè ità animati ſumus, ut nec quidquam à quoquam credi cupimus, niſi de quo conſtet ex ſacro Dei verbo in ſcriptis tradito, & quod conſenſu Apoſtolicæ primævæque Antiquitatis probari poſſit.

Sacræ igitur Scripturæ ità traditionem ſubjungimus, ut hæc illi ſemper ſubordinata ſit, & per omnia congrua.

Quod enim Apoſtoli vivâ voce prædicârunt, hoc ipſum ſcriptis (quæ ſuâ naturâ doctrinæ rerumque memoriæ fidelitèr conſervandæ maximè ſunt idonea) poſteris ſuis tradiderunt. Et viciſſim, quæ ad hunc modum ab illis tradita fuêre Viri Apoſtolici veteriſque Eccleſiæ Epiſcopi quotidie ſermonibus & continuata prædicatione inculcabant, & praxi ipſâ exprimebant; atque adeò ſincerum Chriſtianiſmum & qua doctrinam, & qua ritus, & qua mores, ad poſteros propagârunt.

Traditiones autem de quibus neque Apoſtoli neque Epiſcopi, ab Apoſtolis inſtituti, horumque ſucceſſores proximi nec quicquam teſtantur, nobis *traditiones* legitimæ non ſunt, & quod illi neque docuerunt, neque cognoverunt, *Apoſtolicum* aut Catholicum cenſeri non debet.

Antiquitatis conſenſus pateſcit è Symbolis potiſſimùm & Confeſſionibus, quas priſca Eccleſia unanimitèr in Conciliis edidit, & ætas poſtera univerſim (quà latè patet orbis Chriſtianus) recepit. Quicquid autem non unus aut alter tantùm, ſed omnes pariter uno ore eodemque conſenſu apertè, frequentèr, perſeverantèr tenuiſſe & docuiſſe cognoverimus, id nobis quoque pro indubitato ratoque habetur. Quicquid verò, quam-

quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor aut Martyr, ſibi extra ſacram *Scripturam*, & *conſenſum Eccleſiæ* arrogaverit, poſterisve tradiderit, quod ipſe à Patribus & Chriſti Apoſtolis non recepit, id inter proprias occultaſque & privatas opiniones à communis, publicæ, ac Catholicæ ſive univerſalis ſententiæ auctoritate ſecretum eſto; cui equidem non ſine magnæ arrogantiæ, & temeritatis notâ quiſquam derogaverit.

Cap. VI.

Hæreſes repudiatæ.

Doctrinam Catholicam, quam in Eccleſiâ Apoſtolicâ, in Oecumenicis & veteribus Conciliis viri Deo dilecti profeſſi ſunt, etiam & nos profitemur; quam rejecerunt, velut ab eâdem religione Catholicâ alienam, etiam & nos rejicimus; hæreſes, quas illi damnârunt, & nos damnamus; earumque Magiſtros pariter & Diſcipulos univerſos deteſtamur: viz. *Cerinthianos*, *Gnoſticos*, *Montaniſtas*, *Novatianos*, *Arianos*, *Photinianos*, *Manichæos*, *Pelagianos*, *Donatiſtas*, & eorum propagines, quibuſcunque tandem nominibus appellentur.

Quin & ſi forte erumpant uſpiam, ac ſeſe vel blaſphemos in Deum, vel ſeditioſos in Principem, Eccleſiam aut Rempublicam oſtentent, eos tum legitimis cenſuris Eccleſiaſticis, tum civilibus ſuppliciis, coercendos eſſe, omni, quâ poſſumus, diligentiâ curavimus.

Cap. VII.

Novitates rejectæ, ſuperſtitiones depulſæ, & religionis corruptelæ ſanatæ.

Quæ ſive temporum vitio, ſive hominum noſtrorum incuriâ, ſive *Romanenſium* improbitate in Eccleſiam noſtram irrepſerant, aut palam introductæ fuerant intolerandæ penitus ineptiæ, doctrinæ novæ, & praxes peregrinæ, eæ apud nos ex verbo Dei præſcripto, in Synodo legitimè congregatâ, publiciſque Regni Comitiis, jamdudum reformatæ ſunt.

Nulla nobis Romana nunc fides non ſcripta, nulla *Novatorum* quorumcumque religio. Vanas enim hominum traditiones, & nuper nata dogmata (quæ teſtimonio, cum ſacræ Scripturæ, tum piæ antiquita-

tis, omninò deſtituta ſunt) procul à noſtris amandavimus, & *in unâ Catholicâ veritate, religione, ac fide*, primitùs nobis traditâ acquievimus.

Coram pictâ, ſculptâve, & veſtibus ornatâ, ſimilitudine noſmetipſos non *incurvamus*.

Id quod neſcimus, in Reliquiis, adeoque in Hoſtiis & Imaginibus, nequaquam adoramus.

Eâ, quam non intelligit *populus*, *linguâ* ſacra noſtra non celebramus.

Illos, in quos non credimus, non invocamus.

Sacram Euchariſtiam mediâ parte non mutilamus.

Romanam Eccleſiam nec aliarum omnium Eccleſiarum, nec noſtræ, Matrem aut Magiſtram eſſe agnoſcimus.

Figmentum Tranſſubſtantiationis, fumum Purgatorii, fermentum meriti, iteratum Chriſti Sacrificium, à quovis Sacerdote pro vivis & defunctis quotidie offerendum, auctoritatem Romani Epiſcopi in omnes omnium per univerſum Chriſtianorum orbem Eccleſias, Papalium Conciliorum decreta, & Synodi *Tridentinæ* anathemata, (quæ ſub jacturâ æternæ ſalutis pro articulis *fidei*, extra quam nemo poteſt eſſe ſalvus, inauditâ à ſeculis audaciâ, Papa *Pius* quartus recipienda eſſe mandavit) tanquam carcinomata & ſpongioſa religionis avitæ tubera, penitùs ab Eccleſiæ noſtræ corpore reſecavimus; atque adeo ſanitatem & nativam pulchritudinem eidem reſtituimus.

Cap. VIII.

Religio priſca, verè Chriſtiana Catholica & ſtabilita.

AB avitâ Patrum & Anteceſſorum religione, quâ Chriſtianâ, quâ Catholicâ, nullatenus recedimus; neque ab ullâ uſpiam Eccleſiæ Catholicæ parte (in hâc ipsâ religione & fide adhuc permanente) ſeceſſionem aut ſciſſuram facimus.

Eandem enim religionem, curam, cultumque Numinis divini retinemus, qualem ipſe nobis Chriſtus verbo ſuo, Apoſtoli, eorumque veſtigiis inhærentes *Patres*, exemplo ſuo & praxi commendârunt.

Diſciplinam Eccleſiaſticam, quantum maximè potuimus, ad antiquioris *Eccleſiæ* mentem revocavimus, omnemque vitæ licentiam & morum diſſolutionem, quâ par erat ſeveritate, latis legibus compeſcuimus.

Regni ſtatum eo quo accepimus loco, & ſupremam Principis Majeſtatem

tatem Regiam ſine ullâ vel imminutione, vel mutatione incolumem conſervavimus; externæ verò dominationis Romanæ (cui nec divino nec humano jure obſtricti eramus) indebitam auctoritatem & jugum excuſſimus.

De omnibus denique religionis Chriſtianæ dogmatibus, quæ tum ad pacem Eccleſiaſticam & Civilem ſpectabant, tum ad ſalutem æternam erant neceſſaria, uno ore, unoque ſpiritu, cum aliis quibuscunque hominibus, Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ritè colentibus & invocantibus, firmiter convenimus.

Fundamentis ſalvis, diverſitatem ut opinionum, ità quoque *rituum* & cæremoniarum circa res juxta enatas & minus neceſſarias, in aliis Eccleſiis, quibus nobis præſidendum non eſt, amicè, placidè, & pacificè ferre poſſumus, atque adeo debemus.

Quinetiam reliquis ubicunque terrarum Eccleſiis Chriſtiano nomine cenſis, & verè Catholicam religionem fidemque profitentibus, ſi nos actu aliquando jungi prohibet ſive diſtantia regionum, ſive diſſidia hominum, ſive perſecutio & diſſipatio fidelium, ſive aliud quodcunque obſtaculum; ſemper tamen animo & affectu jungimur, (id quod de Proteſtantium præſertim *Eccleſiis* intelligi cupimus) reapſe eum demonſtrare parati, cum juſtâ aliquâ ratione demonſtrandi occaſione obtulerit. Qualem ab illis viciſſim animum & affectum nobis etiam demonſtrandum inſtantèr depoſcimus.

Eis verò, qui malè conſulti nos iniquis odiis & convitiis inſectantur, ignoſcat Deus, & meliorem mentem inſpiret.

Dandam enim nobis exiſtimamus operam, quantam ex Dei gratia poſſumus, *ut pacem ſectemur cum omnibus & ſanctimoniam, ſine quâ nemo videbit Dominum.*

Denique, exercemus nos *ad conſcientiam habendam ſine offenſâ apud Deum & homines.*

Atque hæc eſt ſumma noſtri Chriſtianiſmi.

Convitium, quòd quandoque Lutherani ſumus, quandoque etiam Calviniſtæ protritum jam eſt. Fuit *Lutherus* Vir doctiſſimus, ſingularibus donis eximioque animi robore à Deo inſtructus, ut veritatem Evangelii, errorum tenebris paſſim ferè in hiſce Occidentalibus Eccleſiis obſtructam; in lucem apud ſuos exteroſque multos clariorem revocaret. Infallibilis verò haud fuit, nec ſine verbo Dei & teſtimonio Antiquitatis (cujus erat ſcientiſſimus) ipſi aliquid aſſerenti credimus. Habet &

Calvinus laudes ſuas meritiſſimas: nemo tamen noſtrûm eum pro Magiſtro habet, aut in illius verba jurare (ſicut in *Pontificis* effata quilibet *Papiſta*) paratus eſt. Tanti ille apud nos eſt, quanti eſſe debet apud omnes, hoc eſt, quanti rationes, quas in qualibet pro ſe affert, nec pluris. Quod ſi non magis Paparum dictatis decretiſque addicti eſſent, qui nunc à nobis appellantur *Pontificii*, quàm nos vel *Luthero* vel *Calvino*, vel cuicunque tandem mortalium, non eſſent, qui jam nunc ſunt, atque meritò à noſtris audiunt.

Deſinant igitur nobis tum *Lutherum* tum *Calvinum* exprobrare. Tam non *Lutherum* vel *Calvinum* ſequimur, quàm nec ipſum Papam, ubi hic vel illi à S. Scriptura & veterum Patrum in fide Catholicâ conſentientium veſtigiis diſcedunt.

Ex his omnibus manifeſtum eſt, novam in orbem aut Eccleſiam noſtram *Anglicanam*, religionem invectam non eſſe, nec ex principiis noſtris invehi potuiſſe vel debuiſſe, quin & integram & illibatam manſiſſe; atque retentam eſſe eandem religionem Chriſtianam ac Catholicam, quâ ſubſtantiam ſuam, quæ pridem fuerat, quæque ſola nos & Anteceſſores noſtros in gremium Eccleſiæ introduxerat, ſalvosque reddere poterat. Abuſus enim corruptelæ, errores, & dogmata quæ partim inſcitia & temporum injuria, partim præpoſterus quorundam zelus, partim, & potiſſimùm quidem, avaritia hominum & ambitio adjecerat, partes religionis non ſunt, nec ad eſſentiam aut corpus Eccleſiæ magis pertinent, quàm ad corpus hominis tubera & ulcera eidem accreſcentia; quibus tandem ſublatis, non in aliud mutatur corpus, ſed idem ipſum manet, quod anteà fuit, priſtinæ interim ſanitati & pulchritudini ſuæ naturali reſtitutum.

Summa eſt: Quæ perſpicuo & certo Sacrarum Scripturarum, & his ſubjunctæ primorum ſeculorum traditionis Eccleſiaſticæ teſtimonio ac conſenſu comprobari poterant, apud nos ſteterunt inconcuſſa, reliquis ſuapte imbecillitate corruentibus, & à majoribus noſtris diligentèr eliminatis. Quod autem ad ritus & cæremonias attinet innoxias, eæ, quæ ad decorem & ordinem maximè facere videbantur, retentæ nobis atque conſtitutæ ſunt.

Cap. IX.

Ordo Eccleſiaſticus.

QUos omnis agnovit & venerata eſt Antiquitas, ritè ordinàtos de Clero habemus, Diaconos, Presbyteros, & ſupra utrumque ordinem, Epiſcopos. Presbyteros de mediâ plebe, nec in Clero poſitos, Apoſtolis & Veteri Eccleſiæ inauditos, non novimus; non Diaconos ſacris nunquam initiatos, annuos bimulosve, pòſt munere exuendos; non mutilum Epiſcopis Clerum, quorum ſeries nullo unquam tempore apud nos interrupta eſt, nec in eis conſecrandis Canon antiquus Apoſtolicus aut *Nicænus* violatus.

Ordinem enim amplectimur tuemurque verè Eccleſiaſticum, & ab Apoſtolorum temporibus per totum Chriſtianum orbem receptum, quo nihil equidem cum S. Scripturæ regulis & exemplis, tum Eccleſiæ & Reipublicæ ſtatui magis conſentaneum.

Cap. X.

Conſecratio & munus Epiſcoporum.

COnſecratio Epiſcoporum (omni ſublatâ ſuperſtitione) à tribus ad minimum Epiſcopis, ordine prius Epiſcopali conſtitutis, per invocationem Spiritûs Sancti, & impoſitionem manuum peragitur, præmiſſâ tamen tum ſolenni Liturgiâ, (quæ lectionum ac precum formula eſt eidem negotio congruenter aptata) tum ſacrâ concione de Paſtoris in gregem munere & officio; ſubſequente verò ſacrâ Euchariſtiâ ab omnibus Epiſcopis & Clero tum præſenti, frequentique graviſſimorum hominum cœtu celebratâ.

Porrò Epiſcoporum ſive Paſtorum munus apud nos non nudum tantum nomen, ſed res eſt, Presbyteros & Diaconos ordinare, Curatos Eccleſiarum inſtituere; Clerum & populum in rebus ſacris dirigere, diligentèr concionari, ignaros inſtruere, immorigeros punire, contumaces & gravitèr delinquentes excommunicare, hæreticos pertinaces condemnare, Clericos inertes, facinoroſos, & inobedientes ab officio & beneficio ſuſpendere, deprivare, deponere, & pro delicti magnitudine degradare, univerſam Diœceſin quolibet triennio viſitare, in blaſ-

phemos, idololatras, ſortilegos, ſchiſmaticos, ſimoniacos, ebrioſos, incontinentes, adulteros, inceſtuoſos, & id genus alios, ſiqui reperti fuerint, animadvertere, initiatos in fide confirmare, Eccleſias & loca ſepulturæ dedicare; cauſas denique matrimoniales & teſtamentarias cognoſcere, atque in omnibus, quæ jura ſpectant Eccleſiaſtica, quæque ad pietatem, juſtitiam, & ſobrietatem pertinent, omni, quo poſſunt, niſu, officium ſuum præſtare & adimplere.

Cap. XI.

Ordinatio & munus Presbyterorum.

Presbyterialis poteſtatis in Eccleſiâ propagandæ Miniſter inde ab Apoſtolorum temporibus ſemper fuit Epiſcopus.

Apud nos igitur ſacram Antiquitatem, quantum poſſumus, per omnia ſequentes, Presbyteri poſtquam examinati, atque ad tantum munus idonei reperti fuerint, ab uno Epiſcopo per invocationem Spiritûs Sancti, impoſitionem manuum ſacri Codicis traditionem & verborum Chriſti (*Accipe Spiritum S. quorum peccata &c.*) prolationem ſolenni more ordinantur, aſſiſtentibus eidem Epiſcopo in impoſitione manuum Presbyteris tum præſentibus.

Præmittitur verò Liturgia ſacra, unà cum concione & ſubſequitur Euchariſtia.

Presbyterorum in Eccleſiâ noſtrâ munus & officium eſt, populum illorum fidei curæque commiſſum, omni adhibitâ induſtriâ, ad veram Dei cognitionem & vitæ ſanctimoniam perducere, diebus Dominicis & Feſtis Evangelium prædicare, preces matutinas & veſperas quotidiè recitare, ſacris lectionibus diligentèr attendere, ſacramenta religioſè & reverenter adminiſtrare, ægrotos viſitare, afflictos conſolari, pœnitentes abſolvere, aliaque quæ illis incumbunt, divina officia peragere, ad omnem denique ſeſe ſobrietatem & pietatem componere; decenti & Clericali habitu incedere, moresque & vitam univerſam ad normam ſacrarum Scripturarum ac receptæ apud nos diſciplinæ regulas inſtituere.

Cap.

CAP. XII.

Ordinatio & munus Diaconorum.

DIaconi à ſolo Epiſcopo per impoſitionem manuum & nominis divini invocationem ad obeundum, quod iis incumbit, officium ordinantur.

Ad illos autem pertinet ſacras Scripturas & Homilias publicâ auctoritate editas diligenter populo perlegere, in celebratione divinorum officiorum ac diſtributione Sacramenti cœnæ Dominicæ Presbyteris aſſiſtere, juniores in articulis fidei & Catechiſmo erudire, infantes baptizare in abſentiâ Presbyteri, de conditione pauperum & ægrotantium inquirere, aliquando etiam prædicare, ſi ad id muneris ab Epiſcopo cenſeantur idonei; denique omni ſtudio ſic vitam moresque ſuos ad regulas Chriſtianæ religionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ dirigere, ut quantum in illis fuerit, ſalutaria aliis exempla ſemetipſos præbeant.

CAP. XIII.

Liturgia.

IN ordinatione Liturgiæ hoc inprimis obſervatum eſt, quod per omnes hujus regni Eccleſias una jam & eadem divinarum Lectionum, cantionum, & precum publicarum forma habetur, cùm antea plurimis retrò annis alii *Salisburienſem*, *Eboracenſem*, aut *Lincolnienſem*, alii alios uſus ſequerentur; ex quo cùm æmulationes pravæ, tum rixæ & contentiones, nimium ſæpè inter ipſos oriebantur.

De multitudine otioſarum cæremoniarum, quibus Eccleſia noſtra plus ſatis erat onerata, magnum numerum reſecavimus.

Retinuimus tamen, atque etiamnum colimus, non tantùm ea, quæ ab Apoſtolis ſcimus fuiſſe tradita, ſed etiam alia quædam, quæ ſine Eccleſiæ incommodo & religionis detrimento fieri poſſe videbantur; ea verò omnia, quæ cum ſacris literis pugnabant, & ſobriis hominibus indigna eſſent, meritò repudiavimus.

Porrò conſtitutum eſt, ut omnia eâ linguâ pſallantur & legantur, quam

quam noſtri intelligunt, quæ veteres univerſi ſub utroque Teſtamento & precati ſunt ipſi & populum precari docuerunt.

CAP. XIV.

Officium Matutinum & Veſpertinum.

DIvinorum officiorum celebratio, tam manè quàm veſperè, nobis quotidiana eſt. In Eccleſiis *Cathedralibus* & *Collegiatis* conſuevimus omnia voce ſonorâ & cantu Muſico peragere, in *Parochialibus* verò & *Capellis* minoribus ſimplici tantum lectione ea recitare.

Presbyter, veſte Eccleſiaſticâ indutus, incipit matutinas & veſperas à ſelectiſſimis S. Scripturarum ſententiis, quibus Auditorum animi ad pœnitentiam & pietatis affectum excitantur.

Excipit illas gravis admodum ad populum exhortatio, quâ monentur omnes errata ſua coram Deo publicè confiteri, ut abſolutionem ab iiſdem conſequantur : ſimul invitantur ad agendas Deo gratias pro ſuis in nos maximis collatis beneficiis, ad debitas ipſi laudes in Pſalmis & Hymnis decantandas, ad auſcultandum ſacris lectionibus, ex ipſius verbo depromptis, atque ad ea piis precibus efflagitanda, quæ tum ad corporis, tum ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria. Hæc enim ſumma eſt totius *Officii*.

Sequitur Confeſſio ab omni populo humilitèr genuflexo poſt Presbyterum recitata, atque Abſolutio ab ipſo tantum Presbytero generali verborum forma, & erecto corpore pronuntiata.

Deinde Sacrorum Miniſter altâ voce orditur orationem Dominicam, quæ omnium Officiorum, Laudum, & Precum ſubſequentium fundamentum eſt.

Poſt uſitatos verſiculos, (*Domine labia noſtra aperias* &c.) unà cum reſponſis, & *Gloria Patri* &c. cantatur Alleluia, & Pſalmus XCV. ad laudes Dei invitatorius, quem & alii ſequuntur, ſingulis eo ordine & numero ita diſpoſitis, ac per ſingulos dies diſtributis, ut infra menſis ſpatium totum Pſalterium finiatur.

Pſalmos alternatim recitatos ſequuntur Lectiones binæ, è Veteri Teſtamento prima, quam ad matutinas excipit Hymnus, qui dicitur S. *Ambroſii*, *Te Deum Laudamus*; ad veſperas verò Canticum B. *Mariæ* Virginis, è Novo Teſtamento altera, poſt eam ad matutinas Hymnus *Zachariæ*, ad veſperas Canticum *Simeonis*.

Lec-

Lectiones autem ità ordinatæ ſunt, ut Teſtamentum Vetus ſingulis annis abſolvatur, Novum verò ter in anno perlegendum ſit.

At in Dominicis & Feſtis habentur Lectiones propriæ, & in Feſtis majoribus Pſalmi de myſterio celebrato Prophetici.

Deinde altis vocibus & corporibus erectis Symbolum fidei Apoſtolicum ab omnibus recitatur; in quibuſdam verò Feſtis Symbolum quod dicitur S. *Athanaſii.*

Poſtea genibus flexis dicuntur preces & reſponſa pro diverſo hominum ſtatu, unà cum tribus Collectis, prima de tempore ſecundum anni ordinem, altera pro pace, tertia pro gratiâ & Dei in omnibus noſtris actionibus adjutorio atque moderamine.

Cap. XV.

Litaniæ.

Diebus Dominicis, feriis quartis & ſextis, atque aliis temporibus, cùm ab Epiſcopo requiſitum fuerit, poſt matutinas recitantur aut decantantur Litaniæ, ab omni invocatione hominum mortuorum defæcatæ, plurimisque piis petitionibus auctæ, quæ tandem precatione S. *Chryſoſtomi*, & verbis Apoſtoli votivis terminantur.

Cap. XVI.

Officium Euchariſtiæ.

Summâ cum reverentia & religione celebratur apud nos Euchariſtia, tam feſtis majoribus, quàm ſingulis primis cujuſque menſis anni Dominicis. Quod ſi reperti fuerint, qui eandem ſæpiùs poſtulaverint, & dignè communicare potuerint, aliis etiam temporibus, Dominicis, feſtis, & feriâ qualibet celebrare licet, atque adeò oportet.

Servantur autem antiquitùs uſitatæ cæremoniæ, ordo Lectionum, Orationum ſeries, veſtitus Eccleſiaſticus, & alia ſimilia, quæ vel ad ædificationem, vel ad decorem pertinent.

Fit initium ab Oratione Dominicâ, Collectâ pro puritate mentium, & recitatione Præceptorum Dei, in fine cujuſque Præcepti miſericordiâ ejus ab omni populo genuflexo imploratâ. Subjungitur precatio pro Rege, utriuſque ſcilicet Tabulæ à Deo conſtituto cuſtode.

Hanc precationem excipit Collecta de anni tempore, Collectam E-

piſtola, Epiſtolam Evangelium, Evangelium verò Symbolum fidei *Nicæno-Conſtantinopolitanum.*

Sequitur Homilia ſive Concio ſacra ad populum; atque initio concionis publicantur preces ab omnibus publicè privatimque faciendæ, primò, *pro Eccleſiâ Chriſti Catholicâ per totum terrarum orbem diſſeminatâ, ut qui nomen Domini confitentur, in verâ fide & charitate ad præſcriptum S. Scripturæ conſentiant univerſi; deinde pro omnibus Regibus, Principibus, ac Gubernatoribus Chriſtianis, ut inter ſe concordes vivant; pro Rege noſtro, veræ fidei Defenſore, & ſupremo Subditorum ſuorum tam in cauſis Eccleſiaſticis, quàm Secularibus, Gubernatore poſt Deum unico, pro familiâ & Conſiliariis Regiis; pro omnibus, qui ſub illo magiſtratum gerunt; pro regni Nobilibus, Epiſcopis, Clero, & populo univerſo, ut eorum unuſquisque officium ſuum præſtent, veram religionem promoveant, & vitam piè, juſtè, ſobrièque inſtituant; denique pro his, qui ſunt in anguſtiis, aut infirmitatibus conſtituti, ut illis Deus ſuccurrere dignetur. Nec vivi tantùm ei commendantur, ſed gratiæ etiam aguntur pro iis, qui in Chriſto obdormiunt, & requieſcunt in pace, laudabili imprimis Patriarcharum & Prophetarum numero, ſanctiſſimo Apoſtolorum Choro, candidato Martyrum, exercitu, & pro aliis omnibus, qui fidem Chriſti ſervarunt integram, ac religionem illibatam; ſimul oratur Deus, ut tam illis quàm nobis propitius beatam à mortuis reſurrectionem indulgeat, perfectamque abſolutionem in die ſupremo, atque æternam in regni ſui gloriæ felicitatem concedat.* Clauditur autem iſta precum & gratiarum actionis publicatio oratione Dominicâ.

Habitâ demum & finitâ concione (quæ partem aliquam vel Evangelii vel Epiſtolæ vel alterius loci S. Scripturæ & explicare & applicare ſolet) dies feſti atque jejunales, ſiqui ſint proximâ ſeptimanâ obſervandi, indicantur, atque unà excitantur omnes, (quibus eſt copia) ad elargiendam eleemoſynam, quâ pauperum egeſtas ſublevetur.

Subſequitur Offertorium (delectis & recitatis in hanc rem S. Scripturarum ſententiis) quod ſupplet vicem veterum oblationum. De pane itidem & vino in Euchariſtiâ conſecrandis proſpectum eſt, quæ ſuper Altare ſive menſam Domini decenti ornatu paratam, mundiſque lineis coopertam, in patina & calice argenteis, ac plerunque deauratis, collocantur.

Peracto offertorio, rurſus oratur ad Altare Dei *pro ſtatu Eccleſiæ Catholicæ, in hoc ſeculo militantis, pro Imperatoribus & Regibus, pro re-*

verum quiete, pro Epiſcopis & Clero, pro pauperibus & infirmis, atque inſuper ut rata & accepta apud Deum ſint oblata à nobis munera.

Poſteà, qui nobiſcum communicaturi non ſunt, emittuntur foras; jubet etiam Sacrorum Miniſter, *nequis blaſphemiæ, adulterii, odii, aut iræ flagrantis, alteriuſve ſibi criminis reus, nobiſcum maneat, aut ad menſam Dominicam audeat accedere, priuſquam peccata ſua dignâ pœnitentiâ deſleverit & abſolutionem conſecutus fuerit.*

Reliquos autem omnes adſtantes monet, *ut in quem finem ſanctiſſimum hoc Sacramentum à Domino noſtro inſtitutum ſit, in animos ſuos revocent, ut paſſionis & mortis Chriſti memores, gratias humillimè agant; ac denique, ut quilibet, qui juxta præceptum Apoſtoli ſeipſos probârunt, ita de pane illo edant, & de calice bibant, ut Chriſti ſimul corpus manducare & ſanguinem haurire poſſint, ad animarum ſuarum ſpirituale, vivificum, & efficax nutrimentum, atque tandem ſacrorum myſteriorum verè participes fiant.*

Finitâ exhortatione communicaturi chorum ingrediuntur, atque in genua procumbunt.

Sequitur Confeſſio & Abſolutio, unà cum ſententiis aliquot Conſolatoriis, è S. Scripturâ ſelectis.

Ad hunc modum paratis omnibus, ſacrorum Antiſtes orditur præfationem communem in Eccleſiâ universâ à primis uſque ſeculis uſitatam *de cordibus ſurſum habendis, & gratiis Deo habendis, ſicut dignum & juſtum eſt* &c. cui in feſtis quibusdam ſolennioribus proprias etiam præfationes ſubnectit, atque has Hymno Triſagio claudit.

Tum ad Altare genuflexus omnium nomine precatur, *ut ſic carnem Chriſti manducemus, ejuſque bibamus ſanguinem, ut corpora noſtra per mundiſſimum ſuum corpus purificentur, animæque noſtræ pretioſo ſuo ſanguine laventur.*

Deinde, ſeſe erigens, per preces ſolennes inſtitutionem Sacramenti, & ipſa Chriſti inſtituentis verba continentes, panem in manus acceptum frangens vinumque in calicem effundens, utrumque Symbolum benedicit, atque in Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conſecrat.

Abſolutâ benedictione, primò ſeipſum, flexis genibus, communicat, deinde reliquos (ſi qui adſint) Miniſtros; poſteà populum præſentem; quibus omnibus & ſingulis utrumque ſacrum porrigens, clarâ voce ait, *Corpus Domini noſtri Jeſu-Chriſti cuſtodiat corpus tuum & animam tuam in vitam æternam. Accipe, & manduca ſacramentum iſtud*

in commemoratione mortis Domini, & de illo paſce teipſum in corde tuo cum fide & gratiarum actione. Similiter, *Sanguis Domini, qui pro te effuſus eſt* &c. Ipſi autem interea dum accipiant, atque adeò uſque ad finem totius ſacræ celebrationis, in genua procumbentes, Chriſtum non Sacramentum, adorant.

Poſt communionem recitantur ab omnibus Oratio Dominica.

Eam verò comitatur ſolennis Eccleſiæ Euchariſtia ſive Sacrificium laudis in commemorationem Sacrificii Chriſti propitiatorii, ſemel in cruce peracti, Deo Opt. Max. oblatum.

Subjungitur oblatio noſtrarum omnium animarum & corporum in *hoſtiam vivam, ſanctam, & rationalem*, unà cum oratione, *ut rata hæc omnia atque accepta Deo habeantur, ita ut per merita & mortem filii ſui, Jeſu-Chriſti, nos & univerſa ejus Eccleſia remiſſionem peccatorum, cæteraque paſſionis illius beneficia conſecuti, cœleſti ſuâ gratiâ & benedictione repleamur.*

Deinde, dicitur aut canitur Hymnus, *Gloria in excelſis Deo* &c: & poſtremò, poſt unam aut alteram Collectam, populus cum ſolenni Sacerdotis aut Epiſcopi, (ſi præſens ſit) benedictione dimittitur.

CAP. XVII.

Baptiſmus.

SAcramentum Baptiſmi Dominicis feſtiſque diebus, quum maxima populi frequentia confluxerit, tempore vel matutini vel veſpertini Officii à Sacrorum Miniſtro, ſurpelliceo & ſtolâ induto, ad Baptiſterium, non procul ab ingreſſu Eccleſiæ collocatum, adminiſtratur.

Quòd ſi tamen neceſſitas urgeat, nihil prohibet, quominus alio ſive loco, ſive tempore, per eundem aut alium quemcunque Miniſtrum idoneum, infantes baptizentur.

In adminiſtratione verò hujus ſacramenti adhibentur preces & lectiones, eidem actioni congruentes. Subjiciuntur quæſtiones & reſponſa *de abrenunciando diabolo, & omnibus ejus operibus, unà cum mundi & carnis illecebris; atque de fidei articulis credendis in Symbolo Apoſtolico comprehenſis.* Infans in manus Miniſtri traditus, ab eo vel cautè immerſus vel aquâ tantùm tinctus, *in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti* baptizatur, Signo crucis fronti illius impreſſo.

Poſt

Poſt gratiarum actionem Patrimi à Miniſtro admonentur, ut eundem infantem (quamprimùm ad ætatem pervenerit) in eâdem ipsâ religione & fide Chriſti, in quam baptizatus eſt, diligentèr inſtruant, atque inſtructum ad Epiſcopi confirmationem adduci curent.

Cap. XVIII.

Confirmatio.

COnfirmatio purâ tantum prece & manuum impoſitione, abſque aliis ritibus, nuper à ſuperſtitioſis hominibus inaniter excogitatis, ab Epiſcopo perficitur.

Cap. XIX.

Matrimonium.

SOlennizatio matrimonii, quod S. Apoſtolus *in omnibus honorabile* eſſe pronuntiavit, more antiquo, (præmiſſis per tres dies Dominicos aut Feſtos promulgationibus) cum precibus & benedictionibus peragitur.

Cap. XX.

Viſitatio infirmorum.

QUando infirmi & moribundi viſitantur, à Sacrorum Miniſtro adhibentur preces & exhortationes, huic Officio maximè congruæ. Recitantur articuli ſymboli Apoſtolici; interrogatur infirmus, num illos omnes firmâ fide credat; num in eâdem fide & charitate cum omnibus moriturus ſit; num teſtamentum condiderit; & an pauperum memor fuerit; denique, num de omnibus, quæ perpetraverit, peccatis ſeipſum pœnituerit; & ſpem ſuam unicam in Chriſti meritis collocaverit? Quod ſi conſcientiam in re quâlibet gravatam ſentiat, monetur, ut de illâ privatam & ſpecialem confeſſionem Deo faciat. Finitâ verò confeſſione, Presbyter eum conſolatur, & ab omnibus peccatis ſuis illum (verè pœnitentem) ſolenni verborum formâ abſolvit, & tandem ultimò munit Viatico ſacro.

Cap. XXI.

Sepultura mortuorum.

Elato corpori mortuo, Sacrorum Miniſter it obviam ad ingreſſum Cœmeterii, & euntibus, qui cum ipſo ſunt, Clericis aliiſque ad ſepulchrum, recitantur primò ſententiæ ſacræ de mortalitate & miſeriâ hominum; deinde de reſurrectione & vitâ æternâ fidelium.

Dum cadaver terrâ injectâ operitur, *cum certâ ſpe reſurrectionis ad felicitatem cœleſtem*, dicitur Antiphona, *Audivi vocem de cœlo, beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodò requieſcunt à laboribus ſuis.*

Poſteà legitur XV. Caput primæ Epiſtolæ ad *Corinthios*, *Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium &c.*

Finitâ lectione, & omnibus genuflexis, dicitur Κύριε ἐλέησον unà cum Oratione Dominicâ & duabus Collectis, quibus tum gratiæ Deo aguntur pro felici defuncti fratris aut ſororis exitu, tum preces fiunt, *ut & nos & idem frater noſter, unà cum omnibus aliis in verâ fide & confeſſione Chriſti demortuis, perfectam conſummationem & beatitudinem tam corporis quàm animæ in cœlis conſequamur.*

Ex his autem ſive votis ſive precibus, ſive gratiarum actionibus, quas pro mortuis juxta univerſalem antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem fundimus, Purgatorium, quod vocant, nullatenus imus ſtabilitum.

Novitèr enim inventa, neque inter credenda nobis, neque agenda ponimus.

APPENDIX.

CAPUT I.

Dies Feſti.

SAcrati Deo apud nos ſunt
Omnes totius anni dies Dominici.
Dies feſtus circumciſionis Chriſti.
Dies feſtus Epiphaniæ ejusdem.
F. purificationis B. *Mariæ* Virginis.
F. Annunciationis ejusdem.
F. Sancti *Matthiæ* Apoſtoli.
F. Sancti *Marci* Evangeliſtæ.
F. SS. *Philippi* & *Jacobi* minoris, Apoſtolorum.
F. Aſcenſionis Domini.
F. S. *Joannis* Baptiſtæ.
F. S. *Petri* Apoſtoli.
F. S. *Jacobi* majoris, Apoſtoli.
F. S. *Bartholomæi*, Apoſtoli.
F. S. *Matthæi*, Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F. S. *Michaëlis*, & omnium Angelorum.
F. S. *Lucæ* Evangeliſtæ.
F. SS. *Simonis* & *Judæ* Apoſtolorum.
F. Omnium Sanctorum.
F. S. *Andreæ* Apoſtoli.
F. S. *Thomæ* Apoſtoli.
F. Nativitatis Domini.
F. S. *Stephani* Protomartyris.
F. S. *Joannis* Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F. SS. Innocentium.
Feria ſecunda & tertia poſt Paſcha.
Feria ſecunda & tertia poſt Pentecoſten.
præter
Diem converſionis S. *Pauli*, &

Diem

Diem S. *Barnabæ.*

Quibus omnibus divinis officiis & rebus ſacris attenti ſumus.

CAP. II.

Dies Jejuniorum.

VIgiliæ ſive dies antecedentes Dominicam Paſchatis;

Dominicam Pentecoſtes:

Feſtum Nativitatis Domini:

Feſtum Aſcenſionis ejusdem:

Feſtum purificationis B. *Mariæ* Virginis:

Feſtum Annunciationis ejuſdem:

Feſta Apoſtolorum: (exceptis tantum diebus S. *Joannis* Evangeliſtæ, & S. S. *Philippi* ac *Jacobi* minoris) &

Feſtum omnium Sanctorum, apud nos in operibus pietatis & exercitio jejunii tranſigendæ ſunt.

In his enim ſumptionem cibi ultra conſuetam horam differre, & per integrum diem ſolâ frugali cœnâ, aut ſaltem ſolo prandio, contenti eſſe jubemur.

CAP. III.

Dies Abſtinentiæ.

TOtum tempus Quadrageſimæ.

Feria ſexta & ſeptima uniuscujusque hebdomadis: (niſi in eas feſtum Nativitatis Domini inciderit.)

Feria quarta, ſexta, & ſeptima quatuor anni temporum.

Tres dies Rogationum ante Aſcenſionem Domini.

Omnesque præfatæ Vigiliæ tempora nobis ſunt ad majorem ſobrietatis, moderationis, ac temperantiæ exercitationem conſtituta.

Quibus (niſi nonnullorum corporis ratio evidentèr & neceſſariò aliud exegerit) à communi carnium eſu (vi legis etiam Politicæ) abſtinere oportet.

Interea tamen in mero ciborum delectu vel minimam religionis partem collocare nefas ducimus, niſi quatenus liberiorem gulam compeſcat.

CA-

Cap. IV.

Angliæ diviſio in ſuas partes Eccleſiaſticas.

TOtum *Angliæ* regnum ratione Eccleſiaſticæ jurisdictionis in duas Archiepiſcopales Provincias, *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* dividitur.

Utraque autem Provincia in ſuas Epiſcopales Diœceſes.

Singulæ Diœceſes, præſertim quæ majores ſunt, in ſuos Archidiaconatus.

Iſti in Decanatus, qui Rurales ſive Regionales appellantur.

Atque hi quidem in ſuas Parochias diſpeſcuntur.

Parochiæ verò per univerſum Regnum computatæ nonies mille ſunt & amplius.

Sunt & Eccleſiæ Cathedrales XXVI. præter Collegiatas aliquot, & Hoſpitalia quamplurima.

Cap. V.

Cantuarienſis Provinciæ Diœceſes ſive Epiſcopatus.

1. IPſa Diœceſis *Cantuarienſis.*
2. *Londinenſis.*
3. *Wintonienſis.*
4. *Elienſis.*
5. *Wigornienſis.*
6. *Salisburienſis.*
7. *Lincolnienſis.*
8. *Norwicenſis.*
9. *Batho-Wellenſis.*
10. *Herefordienſis.*
11. *Exonienſis.*
12. *Coventrio-Lichfeldenſis.*
13. *Ciceſtrenſis.*
14. *Roffenſis.*
15. *Gloceſtrenſis.*
16. *Oxonienſis.*

17. *Petroburgenſis.*
18. *Briſtolienſis.*
19. *Menevenſis.*
20. *Aſaphenſis.*
21. *Bangorenſis.*
22. *Landavenſis.*

Quæ omnes *Cantuarienſi* Metropolitano ſubditæ ſunt.

CAP. VI.

Eboracenſis *Provinciæ Diœceſes ſive Epiſcopatus.*

1. IPſa Diœceſis *Eboracenſis.*
2. *Dunelmenſis.*
3. *Carliolenſis.*
4. *Ceſtrenſis.*
5. *Sodorenſis.*

Quæ Metropolitano *Eboracenſi* ſubjiciuntur.

CAP. VII.

Eccleſiæ Cathedrales.

IN his plura ſunt membra.

1. Lectores Epiſtolæ & Evangelii.
2. Cantores Symphoniaci.
3. Presbyteri ſubcanonici, qui ſtudio Sacrarum Scripturarum incumbentes, matutinas & veſperas quolibet die in choro celebrare tenentur.
4. Presbyteri Canonici, ſeu Præbendarii, quorum alii ſedem tantùm habent in choro, alii etiam ſuffragium ferunt in Capitulo, & ſtatis ſuis vicibus omnes in Eccleſia concionantur.
5. His omnibus præeſt Decanus, qui verbum Dei ſedulò prædicare, hoſpitalitatem exercere, & feſtis majoribus ſacra celebrare obſtringitur.

CAP.

Cap. VIII.

Synodi Provinciales.

SYnodi apud nos eæ ſunt legitimæ, quæ ex licentiâ & mandato Regis ab Archiepiſcopo indictæ, veris & genuinis ſuis membris conſtant.

Vocantur ergò ad Synodos Provinciales, tam Epiſcopi, Decani, & Archidiaconi, quàm bini Presbyteri ex ſingulis Diœceſibus, totidemque è Cathedralibus Eccleſiis communibus ſuffragiis electi.

A quibus cùm de religionis dogmatibus vel Canonibus Eccleſiaſticis maturè deliberatum & definitum aliquid fuerit, Regiâ auctoritate & confirmatione accedente, cenſetur ratum, & ex ſtatuto regni vim legis obtinet, modò nihil ibi definiatur, quod vel ſacræ Scripturæ vel juribus publicis contrarium ſit.

Cap. IX.

Sectæ Regni & Religionis hoſtes.

MAgno Eccleſiarum & Regnorum omnium detrimento enati olim ſunt Anabaptiſtarum & Perduellium greges. E quorum reliquiis & ſectarum & ſeditioſorum hominum multitudo maxima non ita pridem apud nos in apertam rebellionem, cruentas cædes, barbara latrocinia, univerſæ religionis Chriſtianæ contemptum, & (quod vel dictu horribile nimis eſt) in ipſum Regicidium eruperunt. Sunt enim genus hominum tum Divinis tum humanis legibus (inauditâ à ſeculis audaciâ atque infernali prorſus ſuperbiâ & iniquitate) maximè repugnantium; qui, niſi Principum ope tempeſtivè ſupprimantur, omnia paſſim, quà latè pateant Chriſtianorum regna & Eccleſiæ, brevi peſſundabunt. Quanquam ſatis jam ex Religionis & Reipublicæ noſtræ conſtitutionibus orbis terrarum videt, nos quidem nec ipſos peperiſſe, nec aluiſſe, nec docuiſſe, ſed lolium facilè nimis cum frumento naſci ſolet, & palea cum grano.

Interim, aliud eſt, quod docemus, aliud, quod ſuſtinemus; & donec emendare valeamus, tolerare compellimur.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Perpetua Religionis norma.* Pag. 31
CAP. II. *Sacra Dei Scriptura.* *Ibid.*
CAP. III. *Antiqua fidei Symbola.* 32
CAP. IV. *Quatuor prima Concilia.* *ibid.*
CAP. V. *Quinque priora Patrum ſæcula.* 33
CAP. VI. *Hæreſes repudiatæ.* 35
CAP. VII. *Novitates rejectæ, ſuperſtitiones depulſæ, & Religionis corruptelæ ſanatæ.* *ibid.*
CAP. VIII. *Religio priſca, verè Chriſtiana & ſtabilita.* 36
CAP. IX. *Ordo Eccleſiaſticus.* 39
CAP. X. *Conſecratio & munus Epiſcoporum.* *ibid.*
CAP. XI. *Ordinatio & munus Presbyterorum.* 40
CAP. XII. *Ordinatio & munus Diaconorum.* 41
CAP. XIII. *Liturgia Sacra.* *ibid.*
CAP. XIV. *Officium Matutinum & Veſpertinum.* 42
CAP. XV. *Litaniæ.* 43
CAP. XVI. *Officium Sanctæ Euchariſtiæ.* *ibid.*
CAP. XVII. *Baptiſmus.* 46
CAP. XVIII. *Confirmatio.* 47
CAP. XIX. *Matrimonium.* *ibid.*
CAP. XX. *Viſitatio infirmorum.* *ibid.*
CAP. XXI. *Sepultura mortuorum.* 48

IN APPENDICE.

CAP. I. *Dies feſti.* 49
CAP. II. *Dies jejuniorum.* 50
CAP. III. *Dies Abſtinentiæ.* *ibid.*
CAP. IV. *Angliæ diviſio in ſuas partes Eccleſiaſticas.* 51
CAP. V. *Cantuarienſis Provinciæ Diœceſes.* *ibid.*
CAP. VI. *Eboracenſis Provinciæ Diœceſes.* 52
CAP. VII. *Eccleſiæ Cathedrales.* *ibid.*
CAP. VIII. *Synodi Provinciales.* 53
CAP. IX. *Sectæ Regni & Religionis hoſtes.* *ibid.*

ULTIMUM TESTAMENTUM JOANNIS COSINI,

Epiſcopi *Dunelmenſis*, ita incipit.

Adjutorium noſtrum in Nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

In nomine & honore ejuſdem Domini Dei noſtri, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſummæ ac individuæ Trinitatis. Amen.

QUoniam ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, & corpus unius cujuſque diſſolutum iri, tempus verò diſſolutionis meæ cùm incertum ſit, de qua tamen quaſi in propinquo eſſet, aſſiduâ animi meditatione ſollicitus, & frequenti corporis infirmitate pulſatus, ſubinde cogito; Ego *Joannes Coſinus*, humilis Eccleſiæ Dei Adminiſter, & modò, permiſſione altiſſimi, Epiſcopus *Dunelmenſis*, non ponens ſpem meam in præſenti hac vita, ſed ad alteram (quæ futura eſt) in cœlis æternam, ex divinâ tandem miſericordiâ, adipiſcendam ſemper anhelans, & humiliter orans pro ſalute animæ meæ, ut per merita *Jeſu-Chriſti*, Filii Dei vivi, & Redemptoris ac Mediatoris noſtri unici, omnia mea mihi remittantur delicta, hoc Teſtamentum, continens ultimam voluntatem meam, ſanâ mente & puro corde condo, ordino, & facio, in hac formâ, quæ ſequitur.

Ante omnia, Domino noſtro Deo Omnipotenti gratias ago, quas poſſum, maximas, quod me ex fidelibus, & bonis Parentibus in hanc vitam naſci, atque in Eccleſiâ ſuâ, per ſanctum Baptiſmi Lavacrum ab ipſo inſtitutum, ad vitam æternam renaſci voluerit, meque à juventute meâ in doctrinâ ſanâ erudiverit & ſanctorum ſuorum participem effecerit, fidemque non fictam vel mortuam, ſed veram & vivam in animo

meo impreſſerit, unà cum adjunctâ ſpe firmâ fore poſthac, ut perducar ad vitam ſempiternam. Quæ quidem fides in eo conſiſtit, ut adoremus & veneremur Deum, in eumque credamus, &, in quem miſit, Filium ejus dilectiſſimum, verbum æternum, ante ſecula genitum, *Jeſum Chriſtum*, Dominum noſtrum, qui propter nos noſtramque ſalutem, ex beatiſſimâ Virgine *Mariâ*, ſuperveniente in eam Spiritu ſancto, carnem in ſeculo ſumpſit, & homo factus eſt, deinde natus, paſſus, crucifixus, mortuus ac ſepultus, & poſtquam ad inferos deſcendiſſet, ex ſepulchro ſuo reſurrexit, & captivam ducens captivitatem, adſcendit in cœlos, ubi ad dexteram Dei Patris ſedet, & regnat in æternum; indè verò, Spiritum ſanctum (in quem pariter nobis credendum eſt) miſit, à Patre Filioque procedentem, per quem largiſſimè dona diſtribuit hominibus, & Eccleſiam ſuam Catholicam in communione ſanctorum, in divinis Sacramentis, in verâ fide, in doctrinâ ſanâ, ac moribus Chriſtianis inſtituit; unà cum remiſſione peccatorum piis omnibus, & dignos in eadem Eccleſiâ pœnitentiæ fructus proferentibus, impertiendâ; quibus etiam quum in ſupremo ſeculi die de cœlis rediturus, ut mortuos reſuſcitet, & omnes judicet, collaturus eſt æternam beatitudinem; reliquis verò infidelibus, aut qui ſecundùm carnem vixerint, & converti, ſive pœnitentiam agere, nolentibus æternum ſupplicium irrogaturus. In hac fide, quæ totius ſacræ Scripturæ ſumma eſt, & abſolutiſſimum compendium, ſanctis ſemel tradita, & ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus propagatâ, atque ad nos uſque derivata vivere me profiteor & ut in ea ad ultimum vitæ ſpiritum conſtanter ac ſine hæſitatione perſeverem & moriar, aſſiduis, quantum poſſum, precibus à Deo contendo; unitatem interèa colens, & ſervans vinculum pacis ac charitatis cum omnibus ubique Chriſtianis, qui inter tanta Eccleſiæ mala, diſtractiones, & calamitates, (quibus equidem non poſſum non illachrymari) hanc fidem integrè admittunt, nullamque ejus partem in dubium vocant. Spero etiam, quæ eſt Dei Chriſtique θεανθρώπου, Servatoris noſtri, benignitas, omnes eos, qui hæc à Deo revelante tradita ſimpliciter nobiſcum crediderint & piè vixerint, in magno illo die Dominis ſalvos fore, etiamſi ſingulorum rationem reddere, vel modum exponere, vel quæſtiones circa ea exortas ſolvere, vel, dum fortè ſatagunt, allucinationes aliquot effugere, & penitùs ab errore immunes eſſe nequiverint.

Sed quaſcunque olim Hæreſes & quæcunque etiam Schiſmata, quibuſcunque

buſcunque tandem nominibus appellentur, priſca & univerſalis ſive Catholica *Chriſti* Eccleſia unanimi conſenſu rejecit & condemnavit, ego pariter condemno & rejicio; unà cum omnibus earundem Hæreſium fautoribus hodiernis, Sectariis, & Fanaticis, qui Spiritu malo acti mentiuntur ſeſe ſpiritu Dei afflari. Horum omnium, inquam, hæreſes & Schiſmata, Ego quoque Eccleſiæ noſtræ *Anglicanæ*, imò Catholicæ, Symbolis, Synodis, & Confeſſionibus addictiſſimus, pariter improbo conſtanterque rejicio atque repudio. In quorum numero pono non tantum ſegreges Anabaptiſtas, & eorum ſequaces (proh dolor) nimiùm multos, ſed etiam novos noſtrates Independentes & Presbyterianos, genus hominum malitiæ, inobedientiæ, & ſeditionis ſpiritu abreptum, qui inauditâ à ſeculis audaciâ & perfidiâ, tanta nuper perpetrarunt facinora, in contemptum & opprobrium omnis Religionis & Fidei Chriſtianæ, quanta quidem non ſine horrore dici aut commemorari queant. Quin etiam à corruptelis & ineptis nuperque natis, ſive Papiſticis (quas vocant) ſuperſtitionibus, doctrinis, & aſſumentis novis, in avitam ac primævam laudatiſſimæ olim tam Orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ religionem ac fidem jam dudum contra ſacram Scripturam, veterumque Patrum Regulas ac mores introductis, me prorſus jam alienum eſſe, atque adeo à juventute mea ſemper fuiſſe, ſanctè & animitus adſevero.

Ubicunque verò terrarum Eccleſiæ, Chriſtiano nomine cenſæ, veram, priſcam & Catholicam religionem fidemque profitentur, & Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum uno ore & mente invocant ac colunt, eis, ſi me uſpiam actu jam nunc jungi prohibet vel diſtantia Regionum, vel diſſidia hominum, vel aliud quodcunque obſtaculum; ſemper tamen animo, mente, & affectu conjungor ac coaleſco; id quod de Proteſtantibus præſertim, & benè Reformatis Eccleſiis intelligi volo. Fundamentis enim ſalvis, diverſitatem, ut opinionum, ita quoque rituum circa res juxta enatas, & minùs neceſſarias, nec univerſali veteris Eccleſiæ praxi repugnantes, in aliis Eccleſiis (quibus nobis præſidendum non eſt) amicè, placidè, & pacificè ferre poſſumus, atque adeo perferre debemus. Eis verò omnibus, qui malè conſulti quoquomodo me iniquis calumniis inſectati ſunt, vel adhuc inſectari non deſinunt, ego quidem ignoſco, & Deum ſeriò precor, ut ipſe quoque ignoſcere, & meliorem eis mentem inſpirare velit. Operam interim & mihi, & aliis omnibus fratribus, præ-

ſertim

ſertim Epiſcopis, & Miniſtris Eccleſiæ Dei, quantùm ex illius gratiâ poſſumus, dandam & conferendam eſſe exiſtimo, ut tandem ſopiantur, vel ſaltem minuantur, Religionis diſſidia, atque ut pacem ſectemur, cum omnibus, & ſanctimoniam. Quod ut fiat quàm ocyſſimè, faxit Deus Pacis Auctor, & Amator concordiæ. Cujus immenſam miſericordiam oro & obteſtor, ut me in peccatis & iniquitatibus conceptum ab omni humanæ infirmitatis labe & corruptela repurget, dignumque ex indigno per magnam clementiam ſuam faciat, mihique paſſionem & immenſa merita dilectiſſimi ſui Filii, Domini noſtri *Jeſu-Chriſti*, ad delictorum meorum omnium expiationem applicet: ut quum noviſſima vitæ hora non improviſa venerit, ab Angelis ſuis in ſinum *Abrahæ* raptus, & in ſocietate ſanctorum & electorum ſuorum collocatus, æternâ felicitate perfruar.

Hæc præfatus, quæ ad Religionem & Animæ meæ ſtatum ac ſalutem ſpectant, quæque Latino Sermone à me dictata atque exarata ſunt; reliqua, quæ ad ſepulturam corporis, & bonorum meorum temporalium diſpoſitionem, attinent, ſermone patrio perſcribi faciam, ac perorabo.

RE-

REVERENDO
IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO
D^NO. MATTHÆO
ELIENSI EPISCOPO,
ANTIQUÆ FIDEI VIRO,
ET IN REBUS SACRIS
EXERCITATISS.^mo
DOCTR. ET RELIG. IN ECCL. ANGL.
ADSERTORI AC CONFESSORI
MAXIMO
VERÆ INVICTÆQUE MAGNANIMITATIS
PRÆSULI,
ET COLL. S. PETRI IN ACAD. CANTABR.
PATRONO:
JO. COSINUS DEC. PETROB.
EJUSD. FIDEI, DOCTR. RELIGIONIS,
ECCLESIÆ, ET COLL.
ADMINISTER,
HANC SUAM HIST. SCHOLASTICAM
E SACRIS PAGINIS
VETERIB. QUE AC RECENTIOR. SCRIPTIS
ADORNATAM,
ATQUE VIRIS RER. DIVIN. PERITIS
LECT. ET APPROBATAM,
L. M. D. D. D.

Epigraphe in ſepulchrali marmore reverendiſſimi Viri, D. *Joannis Overalli*, Epiſcopi *Norwicenſis*, inciſa.

MEMORIÆ NON INTERITURÆ

R. Patris ac Domini, D. *Joannis Overalli*, Viri undequaque doctiſſimi, & omni encomio majoris: qui in Regia *Cantabr.* Academiæ Cathedra, & Profeſſione S. Theologiæ D. D. *Whitakero* ſucceſſit, Aulæque S. *Catharinæ* ibidem præfuit. Poſtea Decanatum S. *Pauli London.* Epiſcopetum etiam *Litchfield.* ac tandem hanc ſedem *Norwicenſem* rexit: & ſexagenarius obiit XII Maii, Anno Domini MDCXIX. atque ad pedem hujus columnæ ſepultus eſt.

Poſuit *Joannes Coſinus*, ejusdem R. P. D. D. *Overalli* olim Secretarius domeſticus, & devotiſſimus Diſcipulus, nunc verò Epiſcopus *Dunelmenſis* A. D. MDCLXIX.

REVERENDO

IN

CHRISTO

PATRI, AC DOMINO,

Dno. JOANNI EPISCOPO

DUNELMENSI,

EOQUE NOMINE JURA

HABENTI COMITIS PALATINI,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI,
VETERIS SCRIPTURARUM CANONIS
ADSERTORI ET VINDICI;

PETROBURGENSIS EX DECANO.

ECCLESIÆ
- DUNELMENSIS
  - DECANO DESIGNATO,
  - DIU CANONICO, JAM ETIAM KANONI,
- ANGLICANÆ ET FILIO, ET PATRI OPTIMO,
- ROMANÆ
  - HODIERNÆ ET NUPERÆ OPPUGNATORI STRENUO,
  - VETERIS, ET PRIMITIVÆ, UT &
- CATHOLICÆ
  - ADMIRATORI PERPETUO,
  - CULTORI DEVOTISSMO.

Ὁμοψύχῳ, καὶ ὁμοψύχῃ:

VIRO

QUI, IN UTRIUSQUE FORTUNÆ SEU DURIS, SEU LUBRICIS,
EODEM ANIMI TENORE USUS,
NONDUM PAR ANIMO PERICULUM INVENIT:
CUI, BONÆ, MALÆQUE FAMÆ MEDIO PERGENTI,
NEC AB EA, QUAM FIXERAT ECCLESIA,
VERITATIS LINEA RECEDENTI USPIAM,
(UTPOTE NEC HUJUS CONVITIIS TERRITO,
NEC ILLIUS ILLECEBRIS DELINITO:)
UBIQUE SUI SIMILI, UNDIQUE Τετραγώνῳ,
CESSIT TANDEM CALUMNIA,
NON VICTA SOLUM, SEDET TRIUMPHATA,
ET QUANTUMVIS GARRULA, OBMUTUIT:
HANC CONCIUNCULAM,

EJUS { JUSSU CONCEPTAM,
NATAM AUSPICIIS,
HORTATU, ET MANDATO,
IN LUCEM EDITAM,
PERPETUÆ OBSERVANTIÆ PIGNUS ET Μνημόσυνον

L. M. Q. D. D. C. Q.

GUILHELMUS SANCROFT,

PRESBYTER INDIGNUS,

PATERNITATI EJUS A SACRIS.

COMMENTARIOLUS
DE
VITA ET STUDIIS
Clariſſimi & doctiſſimi Viri,
D. HENRICI BRIGGII,
Olim Geometriæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſoris Saviliani.

SCRIPTORE
THOMA SMITHO,
Sacræ Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

COMMENTARIOLUS
DE VITA ET STUDIIS
HENRICI BRIGGII,
Olim Geometriæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſoris Saviliani.

MAGNOS viros ex humilibus caſis interdum prodire felix omnium ſeculorum experientia comprobavit, ipſa etiam invidia agnovit, & in perpetuum juſtis elogiis agnitura eſt grata & æqua poſteritas. In horum cenſu meritò collocandus eſt HENRICUS BRIGGIUS, qui, licèt à parentibus proletariis, tenuioriſque fortunæ, progenitus, magnum decus intulit Patriæ, & Mathematicas Scientias ſublimi ingenio, & ſagaciſſima ſolertia illuſtravit. Circa annum MDLX. in ſub- 1560.
obſcuro propè *Hallifaxiam* in Comitatu *Eboracenſi* viculo, nuncupato *Warleywood*, in lucem editus, cùm in puerilibus annis ingenii bonæque indolis in ſchola igniculi emicuiſſent, & jam adoleſcens in *Gracis Latiniſque* literis magnos feciſſet progreſſus, Amici pariter ac parentes illum ad mechanicum aliquod artificium damnari, primitiaſque illas, quæ opimam lætamque frugem auſpicatò ſpondebant, aut areſcere, aut ſuffocari nolentes, de illo, altioris diſciplinæ maximè capaci, ad Academiam *Cantabrigienſem* mittendo, in commune conſultarunt. In collegium D. *Joannis* Evangeliſtæ memoriæ ſacrum, in quo de ſelectis quibuſdam iſtius ampliſſimæ provinciæ adoleſcentibus educandis à piis Benefactoribus peculiari cura proviſum erat, decimo ſeptimo ætatis anno admiſſus, non multò poſt, cùm id beneficii gratiæque ejus mira induſtria & probitas vendicaverint, inter (a) alumnos recenſebatur, &

(a) E privatis Collegii & publicis Univerſitatis Regiſtris mihi hæc perquam benignè communicavit reverendus, doctiſſimus, ſagaxque Hiſtoriæ Antiquitatum, tum Eccleſiæ Anglicanæ, tum Academiæ *Cantabrigienſis* indagator, *Thomas Baſterus* S.T.B. ejusdem Collegii ſocius.

Admiſſus Diſcipulus 5. Nov. 1579
Baccalaureus Artium. 158½
Magiſter Artium 1585
Electus ſocius 158⅞

& Magiſtri in artibus gradu & titulo A. MDLXXXV. inſignitus, tandem poſt tres annos elapſos in numerum Sociorum adſcitus eſt. Sui juris jam redditus, otium iſtud beatum Matheſi excolendæ, ad quam naturali quadam propenſione ferri videbatur, geminata induſtria, impendit, nec in illarum Scientiarum cortice & ſuperficie hæſit, ſed in medullam & abſtruſiora arcana penetravit. Hiſce diſciplinis excultus, magis magiſque non tantum apud Collegas ſuos, ſed etiam per univerſam Academiam inclaruit, & circa A. MDXCII. (a) in Mathematicum Examinatorem ac Prælectorem, & mox in Lectorem Medicinæ ex fundatione Doctoris *Linacri* eligebatur. Sorte hac ſua privataque in Collegio vita contentus, imò maximè lætus, & ab omni faſtu, ambitione, & invidia liber, Deo, ſibi, ſtudiiſque ſeveris vacavit, nullis opimioris fortunæ blandimentis per aliquot annos inde abſtrahendus: ſed divinæ providentiæ ductum ſequi, illique, prout pietas & prudentia jubent, morem gerere oportet. Evocatus enim ex umbris Academicis ad publicum mundi theatrum, *Londinum*, A. MDXCVI. quicquid animo prius ſtatuerat, lubens lætuſque contendit, ibi primus Geometriæ Profeſſor conſtituendus in Collegio *Greshamenſi*, quod Vir præſtantiſſimus, & ſempiterna laude digniſſimus, D. *Thomas Greshamus*, Eques Auratus, ante paucos annos in ædibus ſuis *Londinenſibus* fundârat: ille, ille *Greshamus*, qui magnificum illud Forum, primò *magnæ Britanniæ Burſam*, more *Flandrorum*, apud quos olim vixerat, nuncupatum, brevi longè auguſtiori titulo, qui hodie retinetur, *Excambium Regale* i. e. *The Royal Exchange*, inſignitum, regio planè animo, magniſque ſumptibus exſtruendum curavit, ubi Mercatores & Navarchi de rebus ſuis in univerſo orbe terrarum, qua patet, oceano circumambiente diſponendis acturi, conveniunt: ex cujus reditibus, inde proventibus, penſiones, pro iſto quidem tempore non contemnendæ, ſeptem Profeſſoribus ſequentium Facultatum & Scientiarum, viz. Theologiæ, Medicinæ, Juris Civilis, Geometriæ, Aſtronomiæ, Rhetoricæ, & Muſicæ, in perpetuum ſolvendæ aſſignantur.

Hîc primò edidit *Briggius* tabulam ad calcem libelli (b) *de fabrica, deſcriptione, & uſu duorum inſtrumentorum à D. Gilberto excogitatorum*, ad inveniendam latitudinem cujuſvis loci, nocte tenebroſiſſima, abſque Solis, Lunæ, & Stellarum ope, nempe per declinationem acûs Magneticæ,

(a) Ex iisdem Regiſtris.
(b) V. Theoricas Planetarum per *Blundevillium. Londini.* 1602.

ticæ, *Anglicè* editi A. MDCII. ex doctrina Triangulorum conſtructam, ut ex iſta declinatione altitudo poli erui & cognoſci poſſet. Subtilitèr quidem pro ſeculo iſto, quo nondum arcana variationis erant plenè detecta.

Anno MDCIX. *Briggius* arctam cum eruditiſſimo Viro, D. *Jacobo Uſſerio*, poſtea Archiepiſcopo *Armachano*, inibat familiaritatem & amicitiam, quam uterque literis amœbæis de rebus Aſtronomicis & Chronologicis per multos annos excoluit. Dolendum eſt, illas omnes, duabus exceptis, quæ in Epiſtolarum *Uſſerianarum* Sylloge continentur, periiſſe. Non enim ita ſe ſubtilitatibus Geometricis totum addixerat, quin interdum in indagandis quoque *Uraniæ* arcanis, animi cauſa, tanquam in aliena provincia, diverteretur. Hinc ſeriem eclipſium ex tabulis *Prutenicis*, ſi modo, uti putabat, ſupputationes iſtæ accuratè cum cœleſtibus motibus conveniſſent, ad calculos revocare & pertexere propoſuit: ſed ſive nova *Kepleri* de revolutionibus Planetarum hypotheſi, quam licèt multum culpare non auſus ſit, illam tamen ingrata, quæ tædium parit, prolixitate, affectata obſcuritate, & aliquo defectu ex induſtria omiſſo, & ex tabulis *Rudolphinis*, quas tunc molitus eſt Vir ille doctiſſimus, poſtea ſupplendo, laborare queritur, ſive poſtea *Nicolai Mulerii* Tabulis Lunæ-Solaribus *Friſicis* accuratiùs ſubductis, qui *Prutenicarum* fidem & auctoritatem convellit, abſterritus, ab iſthoc opere inſtituto, utpote propriæ, quam adornandam ſuſceperat, profeſſioni non prorſus congruo, ceſſavit, & eò quidem lubentiùs, quod ſeſe nobile argumentum, quo majori cum fructu & utilitate ſummas ingenii & ſolertiæ vires explicare poſſet, ex inopinato & feliciſſimè obtuliſſet.

Circa initium ſuperioris ſeculi & deinceps, crebris navigationibus verſus Septentrionalis *Americæ* oras ex ſpe viam ingreſſumque vel aperto liberoque mari, vel æſtuante anguſto freto, in Auſtralem Oceanum inveniendi conceptâ, à noſtratibus ſuſceptis, apud Mathematicos variè diſceptatum erat, an ratione aliqua è Geographiæ principiis petita, quâ ad tot diſcrimina infauſtoſque caſus neceſſariò intercurrentes, ſi non cum laude prudentiæ, ſaltem cum venia & juſta ab omni nota temeritatis excuſatione ſubeundum nautæ inducerentur, conſtaret. In re dubia & toties fruſtrà tentata, ſolis argumentis à veriſimilitudine ductis utendum erat. Hoc ſibi præſidio fore, adverſus difficultates objectas inſignes quidam viri, nauticæ artis admodum periti, qui multis malis, quæ perpeſſi fuerant, abſterriti, an talis trajectus daretur,

tur, uſque & uſque experiri certatim cuperent. In horum verò gratiam & vindicias, libellus cujuſdam Anonymi *Anglicè* conſcriptus, *de circumferentia terræ, ſive de meatu inter Septentrionis & Occidentis littora ad mare pacificum pervio*, communiſſimè à noſtris nuncupato, *the North-Weſt Paſſage*, cis nimirum ſexageſimum ſextum gradum borealis latitudinis, *Londini* A. MDCXII. prodiit. An hæc Diſſertatiuncula, varia quidem eruditione referta, & inſigni Mathematico prorſus digna, D. *Briggium* habuerit Auctorem, quod aliqui ſuſpicantur, incertum eſt : imò potius contrarium conſtat, origine erroris petenda ex confuſione hujus libelli cum altero ejuſdem argumenti, ſive eodem tempore, ſive paulò poſt à *Briggio* conſcripto, quem literis nominis initialibus ſubſcriptis à ſe agnitum V. Cl. *Samuel Purchaſſus* in *Collectaneorum* tertio volumine pag. 852. unà cum illius Mappa Septentrionalis *Americæ*, præmiſſis miris elogiis, *Londini* MDCXXV. publicavit ſub hoc titulo, *A treatiſe of the North-Weſt paſſage to the ſouth ſea thrô the continent of Virginia and by fretum Hudſon.* Vel potius, ut ille in contextu tractatuli explicatiùs dicit, *per ſinum D. Thomæ Buttoni Equitis aurati*, qui ibi in portu *Nelſoniano*, CXC. Leucis magis ad occidentem vergente, ubi polus borealis quinquaginta ſeptem gradibus attollitur, hibernavit. Hujus *Briggiani* opuſculi etiam meminit *Lucas Foxus* navarchus in navigationis ſuæ ad viam, hucuſque ignotam & inacceſſam, verſus *Sinas* & *Japoniam* per eaſdem maritimas plagas eoſdemque ſinus aperiendam, Diario, Pag. 160. *Londini* MDCXXXV. edito. Sed horum virorum doctiſſimorum rationes & argumenta in utriſque libellis comprehenſa, mihi in hoc Commentariolo in medium proferre, aut in rigidum examen vocare neutiquam convenit : neque id jam agitur. Tantùm dixero, Mathematicorum in muſeis, doctè licèt, muginantium ſpeculationes & conjecturas in rebus claræ demonſtrationis haud capacibus, ut ut ingenioſiſſimas, non ſemper navigantium periculis & explorationibus quadrare & reſpondere. Ad hæc, cùm Vir præclariſſimus, *Edwardus Wrightus* novam libri nunquam ſatis laudandi *de corrigendis erroribus in arte navigandi hactenus admiſſis* cum egregiis additamentis editionem pararet, D. *Briggius* pro inſigni artem nauticam faciliùs, tutiùs, & accuratiùs excolendi ſtudio, ſummoque erga Amicum integerrimum, ſub negotiorum mole penè fatiſcentem, affectu, etiam poſt mortem duraturo, impulſus, non modica laboris parte in ſe derivata, tabulas *declinationis eclipticæ in ſingulis gradibus, minutis*

nutis primis & ſecundis, proſtaphæreſium Solis, æquationum ephemeridum Solis, & declinationis Solis pro quinque annis h. e. ab anno MDCVIII. ad A. MDCXII. incluſivè; item *tabulas, quarum ope altitudinem poli ex altitudine Stellæ polaris exquirere & invenire licet*, calculis ſumma cum induſtria & cura ſubductis, condidit: quod in præfatione gratus agnovit Auctor.

Anno MDCXIV. *Edinburgi* prodiit nobiliſſimi Viri, D. *Joannis Neperi*, Baronis *Merchiſtonii*, *Mirifici*, *Logarithmorum Canonis deſcriptio, ejuſque uſus in utraque Trigonometria, ut etiam in omni Logiſtica Mathematica, ampliſſimi, facillimi, & expeditiſſimi explicatio.* Percrebuit olim fama, licèt incerta, de cujus veritate meritò dubitandum videtur, D. *Craigium Scotum*, è *Dania* reducem, quo tempore illum honoris & amicitiæ cauſa inviſebat, enarraſſe, *Chriſtianum Longomontanum* methodum inveniſſe, vel ſaltem de nova methodo invenienda, qua numeroſæ perplexæque multiplicationes & diviſiones, quarum uſus in Aſtronomicis ſupputationibus hactenus non ſine ſummo tædio & labore obtinuit, in breve compendium facili operâ redigi poſſent, idque proportionalium numerorum ope, ſolicitum eſſe. Illud quidem fortaſſe illi, ſummiſque Aſtronomis, *Joanni Mullero Regiomontano, Nicolao Copernico, Tychoni Brahæo*, aliiſque, quibus compertiſſimum erat Aſtronomiam abſque accuratiſſima doctrinæ triangulorum cognitione non poſſe inſtaurari, maximè in votis & optatis fuiſſe videtur, & ſi quid hac ex parte conarentur, poſt fruſtra tentatas inveſtigationes, pro deplorato habitum, & quaſi ſupra humanum captum, vix ingenio & ſolertia cujuſquam ſuperandum, abjeciſſe. An verò quicquam ſimile aut quovis modo analogum, hac ex parte præſtiterit celeberrimus ille *Tychonis* diſcipulus, alitèr famæ in ſe ex ſcriptis editis & inventis derivandæ cupidiſſimus, nullibi ab illo memoratum reperio. Inventum hoc prorſus mirabile cœleſti ingenio *Neperi* unicè debetur. Splendidiſſimo autem titulo optimè & pleniſſimè reſpondet aureus iſte liber, præſtatque, quod ille in epiſtola ad ſereniſſimum *Carolum, Walliæ* Principem, unicumque Regis *Jacobi* I. filium, dedicatoria, verè & abſque omni jactantia ſpoponderat, ut *illius adminiculo plures quæſtiones Mathematicæ unius horæ ſpatio, quam priſtina & communiter recepta forma ſinuum, tangentium, & ſecantium vel integro die abſolvantur.*

Quamprimùm comparuit liber, præclariſſimi quidam Mathematici, viz. *Benjaminus Urſinus, Joannes Keplerus, Frobenius, Batſchius,*

aliique, arrepta hac expedita & compendiaria Logiſtica, nondumque in meliorem methodum redacta, quam ſecuti ſunt, illum magno cum honore exceperunt: ſed nemo magis quàm *Briggius* noſter, qui canonem, res tantas paucis pagellis adeò ſubtiliter & artificiosè complexum, in omnem partem verſavit, & etiam, ac ſi ipſe proprio marte inveniſſet, in profundiora illius arcana penetravit. Hunc in deliciis habuit, in ſinu, in manibus, in pectore geſtavit, oculiſque avidiſſimis, & mente attentiſſima iterum iterumque perlegit, (a) literis ad D. *Uſſerium* ſcriptis, nullum librum ipſi melius placuiſſe, animumque uberiori perfudiſſe voluptate, aut in veriorem excelſi Auctoris ingenii, cui nihil impervium aut inacceſſum videbatur, admirationem abripuiſſe, ſeriò profeſſus. Hinc in illo illuſtrando, noviſque augmentis in ultimum perfectionis ſtatum provehendo, aut in Muſeo, aut in lecto, omnes cogitationes advertit, nec ſtudia aut fructuoſiùs, aut pulchriùs, aut glorioſiùs, quàm in hoc præclariſſimo inſtituto, cæteris vice παρέργων deinceps habendis, impendi poſſe duxit. Hunc familiari apud Amicos ſermone ſummis laudibus extulit: hunc Auditoribus ſuis ex cathedra explicavit: interim tamen re accuratiſſimè & ſæpè ſæpiùs quidem perpenſa, *longe commodius futurum judicavit*, ſi pauxilla mutatione admiſſa, ſi o eſſet logarithmus unitatis, totius verò ſinûs 1000. de qua literis obſequii plenis inventorem monuit, nec hoc officioſo affectu contentus, proxima æſtate, anno videlicet MDCXVI. ut colloquiis & aſpectu illius frueretur, deinde etiam iterum ſequente anno, in *Scotiam* contendit, tertiùm profecturus, niſi D. *Neperi* mors interveniſſet, de hiſce communibus ſtudiis elaborandis ſimul cum illo conſultaturus. Hic dum per integrum menſem omni cum humanitate exceptus moram fecerit, de illa, cujus in epiſtola meminiſſet, mutatione D. *Neperum*, in illius ſententiam promptiſſimo aſſenſu concedentem, idem dudum ſenſiſſe, gratulatus eſt, coram dicentem ſe, quominus iſtos numeros reformaret, valetudine & negotiis impeditum fuiſſe, quod ille anno proximo in præfatione Rhabdologiæ *Edinburgi* MDCXVII. editæ faciendum monuit. Reverſus *Londinum* Logarithmorum tabulam ſive Chiliadem primam, utpote omnium numerorum ab unitate ad mille excurrentium logarithmos complectentem, quaſi

πρό-

(a) V. Epiſt. XVI. pag. 36. in Sylloge Epiſtolarum *Uſſerianarum*. *Londini*. 1616.

πρόχειρα ad ſedandam diſcipulorum ſitim, edendam curavit, donec magnum illud opus, quod jam condere inceperat, abſolveretur.

Hanc Canonis Logarithmorum deſcriptionem idiomate *Anglicano* in uſum noſtratium donavit V. Cl. *Edwardus Wrightus*, de quo paucula ſupra inſerui, longinquis navigationibus ſuſceptis, & Matheſeos artiſque Nauticæ peritia perquam inſignis, quod præclariſſimi libri ab ipſo conſcripti faciunt teſtatiſſimum. Verſionem verò iſtam, antequam prelo mandaretur, in *Scotiam* honoris cauſa ad Auctorem, ut ille exploraret, ſi in omnibus ipſius menti probè & fidelitèr reſpondiſſet, priùs transmiſſam, illiusque calculo approbatam, dum typis excludere parat, non ſine luctu omnium bonorum, quibus eximiæ illius animi dotes erant compertiſſimæ, inopinato fato ex hac vita ereptus eſt. Mox, amicis propoſitam editionem ſupprimi nolentibus, & de poſthuma Interpretis fama ſolicitis, filius *Londini* MDCXVI. fieri procuravit: *Briggius* verò, facilè ſe ad id induci, tum amicitiæ & benignitatis erga defunctum, tum argumenti cauſa, paſſus, præfatione erudita quidem, quò utilitatibus Lectorum, quod impenſè cupiebat, conſuleretur, tabulam triangularem à D. *Wrighto*, nulla, ne minima quidem, deſcriptione relicta, aut modo utendi, nudè delineatam, excogitatam, ut videtur, ad inveniendam quamlibet partem proportionalem, pro ubertate & ſolertia ingenii, quaſi numerorum quovis artificio congeſtorum myſteria & complicationes ex intuitu intellexerit, in calce libri, addito egregio commentariolo, explicavit.

Poſt annum unum & alterum fatis conceſſit D. *Neperus*, vir ſanè omnium ſeculorum memoria digniſſimus, cujus opera poſthuma *Edinburgii* A. MDCXIX. à clariſſimo Viro D. *Roberto Nepero*, filio & hærede, publici juris facta erant: viz.

1. *Mirifici ipſius canonis conſtructio, & Logarithmorum ad naturales ipſorum numeros habitudines.*

2. *Appendix de alia atque præſtantiore Logarithmorum ſpecie conſtruenda, in qua ſcilicet unitatis Logarithmus eſt* 0: prorſus eadem cum illa, quam *Briggius* ſuggeſſit.

3. *Propoſitiones quædam eminentiſſimæ ad triangula Sphærica mira facilitate reſolvenda.*

In hanc appendicem quasdam lucubrationes, uti & in propoſitiones iſtas Trigonometricas aliquot annotationes adjecit doctiſſimas D. *Briggius*, à clariſſimo Editore in præfatione magnis laudibus celebratas: cujus verba hîc apponam.

Lucubrationes etiam aliquot Mathematici excellentiſſimi, *D.* Henrici Briggii, *publici apud* Londinenſes *Profeſſoris, in memoratas propoſitiones, & novam hanc Logarithmorum ſpeciem, typis mandari curavimus: qui novi hujus canonis ſupputandi laborem graviſſimum, pro ſingulari amicitia, quæ illi cum Patre meo interceſſit, animo libentiſſimo in ſe ſuſcepit, creandi methodo & uſuum explanatione Inventori relictis. Nunc autem ipſo ex hac vita evocato, totius negotii onus doctiſſimi* Briggii *humeris incumbere, & ſparta hæc ornanda, illi ſorte quadam obtigiſſe videtur.*

Hoc eodem anno viz. MDCXIX. cùm Vir ſummus, D. *Henricus Savilius*, Eques auratus, Collegii Regalis *Ætonæ* Præpoſitus, & Collegii *Mertonenſis* apud *Oxonienſes* Cuſtos, duas Lecturas, alteram Geometriæ, Aſtronomiæ alteram, pro intenſiſſimo, quo ardebat, Scientias Mathematicas in *Anglia* promovendi amore & deſiderio, lautis penſionibus in omne ævum duraturis, in iſta Academia inſtituiſſet, profeſſionem Geometriæ ab illuſtri Fundatore ipſi oblatam, magna cum animi lubentia amplexus eſt *Briggius*, qui non longè poſt, rebus in urbe compoſitis, munereque, quod in *Greshamenſi* Collegio per viginti tres annos multa cum laude ſuſtinuit, relicto, *Oxonium* ſe recepit, inter Convictores apud *Mertonenſes* admiſſus, ubi omne illud vitæ ſpatium, quod reſtabat emetiendum, magno cum omnium Academicorum applauſu & amore continenti labore tranſegit.

Hîc quaſi in tranſcurſu memorabo, quod fortaſſe à re præſenti non omninò abhorret, D. *Savilium*, exemplo ſuo præire volentem, tredecim Prælectiones in principium Elementorum *Euclidis* A. MDCXX. publicè habuiſſe, quas anno ſequente in lucem exire paſſus eſt, quarum ultimam hoc Epiphonemate concludit.

Exolvi, per Dei gratiam, Domini Auditores, promiſſum, liberavi fidem meam, explicavi pro meo modulo definitiones, petitiones, commu-

munes ſententias, & octo priores propoſitiones Elementorum Euclidis. *Hîc annis feſſus Cyclos artemque repono. Succedent in hoc munus alii fortaſſe magis vegeto corpore, vivido ingenio. De nobis Senibus veriſſimum eſt illud apud* Herodotum γηρώσκοντι τῷ σώματι συγγηράσκειν καὶ φρένας: *Seneſcente corpore una conſeneſcunt & animi vires: omninoque ſtat ſententia nunquam poſthac in æternum hanc dicendi cathedram conſcendere. Itaque trado lampadem Succeſſori meo, doctiſſimo Viro, qui vos ad intima Geometriæ myſteria perducet.*

Ita hac debita commendatione huic inquilino benevolentiam Academicorum conciliare D. *Savilius*, pro ſapientia ſua, mundo pariter ac Academiæ mox valedicturus, ſtuduit.

Briggius in ipſis Profeſſorii muneris initiis, ad demerendam tum D. Fundatoris, miro, eoque ſapienti, erga veteres *Græcos* Mathematicos, putà *Euclidem*, *Apollonium Pergæum*, *Archimedem*, *Pappum*, quos explicandos juſſerat, affectu nimium quantum quaſi abrepti, tum ſtudioſorum Geometriæ, quò magni illius Magiſtri mentem, verbis ipſius expreſſam, meliùs intelligerent, gratiam, VI. priores libros Elementorum *Euclidis ſecundum vetera exemplaria reſtitutos, ex verſione Latina* Frederici Commandini, *aliquammultis in locis caſtigata*, Londini A. MDCXX. publici juris fecit: Sed in nova hac, perpulchra, & accurata editione præ modeſtia nomen celandum voluit, utpote ex hôc muſtaceo laureolam neutiquam quærens: utinam verò in cæteris hujus præclaræ ſcientiæ fundamentis ſimilem impendiſſet operam! Sed ad alias ſubtiliores Geometriæ & Arithmeticæ partes, quibus à multis annis aſſueverit, & utiliſſimas quidem, ſtudia, cogitationes, labores, & vigilias convertere illi placuit; uti mox videbimus.

A. MDCXXIV. *Briggius* librum, cui titulus, *Arithmetica Logarithmica*, Londini publici juris fecit, & Sereniſſimo *Carolo* Principi *Walliæ*, unico *Jacobi* I. filio, dedicavit; ſiphra pro logarithmo unitatis, prout inter ipſum & Inventorem conveniſſet, conſtituta. Opus ſanè, ut ſubtiliſſimi, ita penè immenſi laboris, in triginta Logarithmorum Chiliadibus accuratè ſupputandis, quæ tabula ſive canone comprehenduntur impenſi, h. e. pro viginti Chiliadibus numerorum abſolutorum ab unitate ad viginti millia naturali ſerie creſcentium: deinde à 90. 000. ad 100. 000, ſuperaddita centeſima prima chiliade: cui præ-

præfigitur ampla de natura & conſtructione canonum logarithmicorum eorundemque uſu Diſſertatio, in qua facilem chiliades interjectas, conſultò præ tædio calculandi omiſſas, inveniendi & ſupplendi methodum inſerendam curavit. Ipſe verò, ut in præfatione dicit, ſpatium illud intermedium inter viceſimam & nonageſimam nimirum, poſtquam vires diuturna intentione animi & vigiliis fractas recuperaſſet, explere ſeriò propoſuit. Sed ab hoc novo labore ſubeundo D. *Adrianus Vlacque* illum liberaturus, pro amore erga hoc admirandum Logarithmorum inventum, integrum canonem, juxta regulas à D. *Briggio* propoſitas & repræſentatas, capitibus XI. & XII. complevit.

Prodiit ergo *Goudæ* poſt octennium opus recoctum auctumque cura ejusdem *Vlacci*, cum hoc inſigni titulo, quem hîc integrum, cum venia candidi Lectoris, exhibere non gravabor.

Arithmetica Logarithmica, ſive Logarithmorum chiliades centum pro numeris naturali ſerie creſcentibus ab unitate ad 100000. *unà cum canone triangulorum, ſeu tabula artificialium ſinuum, tangentium, & ſecantium ad radium* 1000000. 00000. *& ad ſingula ſcrupula prima quadrantis.*

Quibus novum traditur compendium, quo nullum nec admirabilius, nec utilius, ad ſolvenda pleraque problemata Arithmetica & Geometrica.

Hos numeros primus invenit clariſſimus Vir, Joannes Neperus, *Baro* Merchiſtonii: *eos autem ex ejusdem ſententia mutavit, eorumque ortum & uſum illuſtravit* Henricus Briggius *in celeberrima Academia* Oxonienſi *Profeſſor* Savilianus.

Editio ſecunda aucta per Adrianum Vlacq Goudanum.

Goudæ MDCXXVIII.

Quid vero mutaverit, omiſerit, adjunxeritque doctiſſimus Editor, clariùs ex illius præfatione ediſci poſſit.

Hiſce ſtudiis maximè intentus D. *Briggius*, quaſi hoc unicum ad juſtam debitamque muneris Profeſſorii dignitatem abundè ſuffecerit, ad fidem, quam in fine *Arithmeticæ Logarithmicæ* dederat, liberandam, ſe ſtrenuè, quantùm ingraveſcens ætas ſenilis pateretur, accinxit. Adhuc enim ſupererat, uti ille fatetur, *Logarithmorum uſus nobiliſſimus & maximè neceſſarius in doctrina triangulorum Sphæricorum*, quem ſeorſim, volente Deo, peculiari libro exhibere apud ſe conſtituit. Poſtquam

quam igitur maxima cum accuratione & induſtria canonem trigonometricum, ſive tabulam naturalium ſinuum, tangentium, & ſecantium ad gradus & centeſimas graduum in numeris, ſeſe ad quindecim loca extendentibus, compoſuiſſet, illi alterum Logarithmicorum ſinuum, & tangentium, omiſſis ſecantibus, utpote hac ex parte non magni uſus, canonem, pari locorum numero conſtantem, adtexuit, præmiſſa de conſtructione eorundem canonum Diſſertatione, in varia capita, ordine & methodo, juxta Mathematicæ demonſtrationis leges, congruis, diſtincta: ad alteram partem propoſiti operis de uſu & praxi, qua canon iſte in reſolvendis triangulis, præſertim ſphæricis, adhiberi poſſit, abſolvendam proceſſurus. Sed jam cùm ſeptuageſimum ætatis annum attigiſſet, fractis & de ſubito concidentibus viribus, quas hactenus ſapienti cura, temperantia, & robuſta corporis conſtitutione & craſi, cœlebs ſuſtentaverat, ſentiens ultimum vitæ terminum non procul abeſſe, imò & propemodum inſtare, egit cum Viro clariſſimo & doctiſſimo, D. *Henrico Gellibrando*, Aſtronomiæ in Collegio *Greshamenſi* Profeſſore, inter quos ex morum & ſtudiorum ſimilitudine arctiſſima per multos annos interceſſerat neceſſitudo, ut in ſe prius ſuſcepta in publicam lucem edendi ſchedas de hoc nobiliſſimo argumento ab ipſo elaboratas, quas reverendiſſimis, illuſtriſſimis, & clariſſimis Dominis, Profeſſorum Savilianorum in Academia *Oxonienſi* Electoribus, in perpetuum illius obſervantiæ μνημόσυνον inſcribendas obnixè rogabat, cura; ille, qui optimè potuit, quod intactum, appropinquante morte impeditus, eſſet relicturus ſupplere & perficere vellet. Hujus autem precibus æquiſſimisque poſtulationibus, ex ſenſu religionis, & amoris, pariter ac ex reverentia erga moribundum Amicum, quem *ſeculi hujus Mathematici planè ſtuporem* merito jure nuncupat, facilè morem gerens D. *Gellibrandus*, ſuis partibus omni debita cum fide & ſedulitate poſt paucos annos functus eſt, præclariſſimumque iſtum librum, ſub magnifico *Trigonometriæ Britannicæ* titulo, *Gondæ* MDCXXXIII. à Viro clariſſimo, & in hiſce ſtudiis exercitatiſſimo, D. *Adriano Vlacco*, communi utriusque Amico, qui, pauculis quibusdam, ſive detractis, ſive mutatis, paucula etiam, prout licebat, ſubinde inſeruerat, edendum curavit. Immortale hoc obſtupeſcendi ingenii, ſubtiliſſimæ ſolertiæ, indefeſſæque induſtriæ monimentum, *Briggiani* nominis famam & celebritatem in omne ævum, quamdiu

honor Scientiis Mathematicis ſalvus erit, ſic enim ſpondere auſim, propagabit.

Rebus ita compoſitis, *Briggius* placidiſſimis ſanctisque moribus pollens, nemini moleſtus, omnibus acceſſu facilis, omni arrogantia, faſtu, moroſitate, invidia, ambitione, avaritiâ vacuus, opum contemptor, ſorte ſua felix beatusque, utpote qui tranquillitatem animi in umbris Academicis & Muſeo captavit, & invenit, tandem cùm ab adoleſcentia ad provectam ſenilem ætatem, continenti ſtudio parumque intermiſſa induſtria diſciplinis Mathematicis, in Patriæ, Reipublicæ literariæ, univerſique generis humani commodum, promovendis ſe totum applicuiſſet, vitalibus ſpiritibus penitus exhauſtis, animam placidè & piè efflavit, in ædiculis ſuis *Mertonenſibus*, quas per undecim annos tenuerat, obdormivitque in Chriſto viceſimo ſexto die Januarii, die Mercurii, paulò poſt horam octavam matutinam, uti in Ephemeride cujuſdam Viri doctiſſimi nimium curiosè annotatum reperi, A. MDCXXX. juxta computum *Anglicanum*. D. Vicecancellarius Academiæ, Præfecti Collegiorum & Aularum, reliquique Doctores, affectum & obſervantiam, quibus illum, dum in vivis eſſet, proſecuti fuerint, jam mortuo etiam deberi præſentia ſua teſtaturi, triduo pòſt ſolennibus exequiis confertim interfuere; quo tempore viri clariſſimi, *Guilielmus Sellarus*, & *Hugo Creſſeus*, *Mertonenſis* Collegii Socii, ille in concione ſacra, hic in oratione funebri, in ſacello, ubi corpus erat conditum, ibidem habitis, in meritiſſimis defuncti laudibus celebrandis perorarunt.

Quanti verò D. *Briggium*, tum ob eminentiſſimas virtutes, ſummamque eruditionem, tum ob diuturnum, eumque ſuaviſſimum, magni honoris & beneficii loco habendum, apud ipſos convictum, cùm alibi in Academia morari pro libitu integrum fuiſſet, fecerint *Mertonenſes*, ex hoc inſigni elogio, quod rogatu meo ex Regiſtro Collegii exſcribendum curavit Vir doctiſſimus, D. *Joannes Ratcman*, Collegii Medicorum *Londinenſium* jam, uti olim *Mertonenſis* Collegii, Socius digniſſimus, abundè conſtabit.

Januarii 26. 1630. *Obiit apud nos Commenſalis Magiſter* Henricus Brigges, *Vir quidem moribus ac vita integerrimus, quem in rebus Geometricis, quarum ſtudiis primum* Cantabrigiæ *in ſocietate Collegii S.* Joannis *ſeſe à juventute ſua addixerat, deinde publicus Prælector* Londini *in Collegio* Greshamenſi *multos per annos ſuſtinuerat, omnium ſui temporis eruditiſſimum* D. Henricus Savilius, *ut primò ex fundatione ſua Geometriæ Profeſſoris*

ſoris nuncupare fungeretur, Oxonium *evocavit: cujus exequias* 29. *die proximè ſequente, concione habita à Magiſtro* Sellar, *& oratione funebri à Magiſtro* Creſſy, *unà cum Primoribus Academiæ celebravimus.*

Deſuere ſuperſtites Amici, (neque enim illos hac ex parte excuſandos arbitror) qui in memoriam illius monumentum marmoreum, debita epigraphe inſigniendum, quod curioſorum peregrinantium, pulcherrimum iſtud & magnificum ſacellum invisere ſolitorum, oculis obſervaretur, erigere neglexerint. Licèt enim nemo tali apud poſteros repræſentatione minus indigeret, nemo tamen magis meritus eſt. Cui elegantiſſimo *Græco* Epitaphio, pro ingenti illa, qua erga nomen memoriamque D. *Briggii* ferebatur, veneratione Vir doctiſſimus, D. *Henricus Jacobius*, Collegii *Mertonenſis* Socius, parentavit: quod hîc apponam.

EPITAPHIUM
D. HENRICI BRIGGII,

Ob Matheſin & pietatem famigerati.

Βριγγίαδης ζωὸς γαίης, καὶ οὐδεμος ἄιεται,
Ἐυκλείδαο φρονέων, καὶ Πτολεμαίου ἄχμης
Ἦν ὅτι τοχώβιος (μάλα γὰς πόλιν ἀστοφανὴς τις)
Ἤθεα σύμμετρος, φρονέιδας ἠχήσας.
Πᾶσιν δὲ μὲν τέχνης ἀεὶ, ἰδίαν μοῖραν. ἔλαυνεν
Ἀεξανομαῖ ψυχὴ, σῦμα γεωμετρέον.

Fruſtra quæſivi multiplices Prælectiones, Epiſtolas ad ſuperioris ſeculi Mathematicos ſcriptas, aliaſque ſchedas ab ipſo elaboratas, quarum maximam partem in tanto annorum, quod ab illius morte decucurrit, intervallo intercidiſſe nimium quantum veriſimile eſt: eò magis quidem dolendum, quod quicquid ille dictaverit ſcripſeritque, à ſolidiſſimo judicio & à profunda rerum contemplatione profluxiſſe videatur. Interim pauculas quaſdam pretioſas tabulas ex iſthoc triſti naufragio ſalvas ſubductaſque adhuc ſervari, orbi literato gratulari mearum eſſe partium duco: duas intelligo longas, & quidem eruditiſſimas,

epiſtolas, quas D. *Briggius* ad celeberrimum Virum, *Chriſtianum Severini Longomontanum* hac occaſione ſcripſit. Hic enim libro ſuo, cui titulus, *Cyclometria verè ac abſolutè in ipſa natura circuli cum rectilin. o inventa*, *Hamburgi* A. MDCXXVII. edito, in *Angliam* ad D. *Briggium* tranſmiſſo, ejus ſententiam & judicium de hoc opere, in quo ſe circuli quadraturam, cujus problematis ſolvendi ingenia Mathematicorum per mille nongentos annos exercuerat difficultas, inveniſſe & demonſtraſſe gloriatur, ſolicitè admodum exquiſivit. Ne verò Amico roganti imò exigenti, ne Veritati, ne Geometriæ, ne ſibi defuiſſe cenſeretur, Epiſtolam primam *Oxonii* Septembre ejuſdem anni datam reponens, penè invitus, *paratiſſimus* quippe *ad illi in omnibus aſſentiendum, quæ non cum ipſa veritate pugnare, & ipſius Geometriæ fundamenta convellere videntur*, clarè tamen & candidè in hypotheſibus & calculo errores ab illo admiſſos & paralogiſmos oſtendit. Nemo autem magis inſtructus & paratus ad iſtud examen ritè inſtituendum accedere poterat, utpote qui penè nimia diligentia integrum ſinuum canonem, ad centeſimas graduum, unà cum tangentibus & ſecantibus, ſupputatum, circa annum MDCIV. abſolviſſet, inventa annis plus minus triginta per triſectionem & quinqueſectionem peripheria, qualem numeris determinatis ibi ſtatuit. Poſt reſponſorias *Longomontani* literas acceptas, vel librum potius, in ſecundis pridie Calend. Quintilis A. MDCXXX. ſcriptis, ſe alioſque Analyſtas, uti ille per contemptum quaſi appellavit, à *criminatione injuſta & homine Mathematico indigna*, quaſi Geometriam, lineas irrationales numeris explicare conantem conſpurcaſſent & inquinaſſent, impacta acritèr vindicans, de eodem argumento fuſiùs diſſeruit: addito, *ſe quidem Geometriam niſi Arithmeticam conjunxeris, penè mortuam exiſtimare: quòd ſine illa perexiguum præbeat uſum, ſi Mechanica & Architecturam excipias: nec multùm intereſſe ſintne numeri, quibus utimur, rationales an irrationales, ſi veritatem aut uſum ſpectemus.* Sed ſublime D. *Briggii* ingenium, undique in his Epiſtolis emicans, aliqua rudi defloratione ampliùs non deteram, quas integras, cum calculis & ſchematiſmis tandem aliquando, ſi Deus dederit, in publicam lucem dabo.

Ex quibus, uti & libris editis, nullus dubito, quin omnes harum rerum intelligentes, D. *Briggium* inter ſummos iſtius ſeculo Geometriæ Magiſtros numerari oportere mecum ſenſuri ſint.

Tri-

Trigonometria Britannica, ſive de doctrina Triangulorum libri duo: Quorum prior continet conſtructionem Canonis ſinuum, tangentium, & ſecantium, unà cum Logarithmis ſinuum, & tangentium ad gradus & graduum centeſimas, & ad minuta & ſecunda centeſimis reſpondentia:

A clariſſimo, doctiſſimo, integerrimoque Viro D. HENRICO BRIGGIO, *Geometriæ in celeberrima Academia* Oxonienſi *Profeſſore* Savilia*no digniſſimo, paulò ante inopinatam ipſius è terris emigrationem compoſitus.*

Poſterior verò uſum ſive applicationem Canonis in reſolutione triangulorum, tam planorum quam Sphæricorum, è Geometricis fundamentis petita, calculo facillimo eximiiſque compendiis exhibet.

Ab HENRICO GELLIBRANDO, *Aſtronomiæ in Collegio* Greshamenſi *apud* Londinenſis *Profeſſore conſtructus.*

Goudæ MDCXXXIII.

MATHEMATUM CULTORIBUS

HENRICUS GELLIBRAND

S. D.

QUàm immatura ſemper & damnoſa Reipublicæ literariæ ſit mors eorum, qui immortale aliquid parant, utinam aliunde, quàm ex doctiſſimi noſtri *Briggii* (ſeculi hujus Mathematici planè ſtuporis) ſentiretur. Ita quidem nec poſteri luce hac ſua orbati fuiſſent, neque humeris meis parum validis tantæ molis incubuiſſet onus, aut tanta in pertexenda hac tela diſparilitas deprehenſa foret. Quod ſi Auctori laboriosè anteactam in Matheſi vitam hoc nobiliſſimo epilogo cohoneſtare, ſi inchoatum hoc opus abſolvere contigiſſet, non defuiſſent Gratiæ, quæ monumentum iſtud auferrent, atque in cœlis reponerent: vix quidem in alium omnibus ſuis numeris tam abſolutum cadit opus, quàm in *Atlantem* hunc noſtrum, virum in Arithmeticis Geometricisque conſeneſcentem. Cui invenire præclarè, nervosè proponere, diſponere concinnè, adeò feliciter datum fuit, ut de inchoato hoc opere affirmari poſſit, quod Antiqui de *Veneris* imagine, quam præmatura *Apellis* mors imperfectam reliquerat, neminem, qui ſecundùm perſcripta ab ipſo lineamenta reliquum abſol-

veret, inventum fuiſſe: nedum ut nobis æternitatis penicillum poſt talem tantumque arrogemus. Deo autem moderatori omnium ſapientiſſimo viſum eſt *Apelleæ* hunc noſtrum ſeptuagenarium, in ipſo quaſi operis hujus veſtibulo, ſibi è terris evocare. Cùm enim ante annos plus minus triginta, Canonem hunc ſinuum, ad quindecim loca per æquationes Algebraicas, & differentias ipſis ſinubus proportionales, à primis fundamentis accuratè exſtructum abſolviſſet ac continuis Amicorum efflagitationibus fatigatus, ut Canonis unà cum conſtructione & uſu editionem meditaretur, (quam propter negotia publica, quibus implicatus erat, vix licuit) tandem operi manum ægrè admovens, in ipſo, ut obſtetricum more dicam, puerperii quaſi niſu vitam ſimul cum libro primo terminavit, ne veſtigia quidem fabricæ libri ſecundi poſt ſe relinquens.

Juſſu itaque Auctoris jam beati (cui adhuc in vivis nihil juſtum & æquum denegare religio mihi fuit) hortatu deinde clariſſimorum ac Mathemata egregiè callentium Virorum, D. *Chriſtophori Gardineri Halingenſis*, Armigeri, D. *Joannis Welleſii Deptfordienſis*, Armigeri, D. *Joannis Leveri Londinenſis*, Generoſi, & aliorum, quibus plurimùm debeo, ornatiſſimi denique nec non eruditi viri, D. *Adriani Vlacci*, rogatu, qui ſuis ſumptibus Canonem typis primò mandaverat, permotus, pro modulo ac tenuitate noſtra Canonis illuſtrationem aggreſſus ſum, lineamenta *Neperiana* & *Briggiana*, quoad potui, ſecutus.

Lectores exoratos velim, ut hæc noſtra, qualiacunque ſint, candidè interpretentur, & errata, quæ occurrunt, (Typogra-

COMMENTARIOLUS
DE
VITA ET STUDIIS
Clariſſimi & doctiſſimi Viri,
D. JOANNIS BAINBRIDGII,
Medicinæ Doctoris, & *Saviliani* Aſtronomiæ Profeſſoris in Academia *Oxonienſi.*

SCRIPTORE
THOMA SMITHO,
Sacræ Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

COMMENTARIOLUS DE VITA ET STUDIIS JOANNIS BAINBRIDGII.

JOANNES BAINBRIDGIUS probis clariſque parentibus in celebri Provinciæ *Leiceſtrienſis* oppido, nuncupato *Ashby de la Zouch*, anno Verbi incarnati MDLXXXII. natus, ibique in ſchola publica *Græcis Latinis*que literis imbutus, *Cantabrigiam* mittebatur, auſpiciis & cura Cognati ſui, D. *Joſephi Halli*, poſtea Epiſcopi *Norwicenſis*, ſeverioribus diſciplinis in collegio *Emanuelis* inſtituendus. De tam bona & præclara indole & ingenio à natura inſito, quibus pollebat, omnes, qui illum propiùs norant, benè quidem ominati ſunt, nec illorum aut ſpem, aut exſpectationem, aut judicium fruſtratus eſt. Curriculo Dialecticæ & Philoſophiæ ingenti cum laude confecto, quamprimùm in virum matureſcere incepiſſet, de peculiari vitæ inſtituto, quo tum ſibi tum aliis prodeſſe poſſet, eligendo ſolicitus, tandem ſeria apud ſe deliberatione habita, genium naturæ ſecutus, artem Medicam ſibi excolendam conſtituit, in cujus variis partibus diſcutiendis, non neglectis interim inſuperque habitis amœnioris literaturæ ſtudiis, ad ſcholæ cujuspiam, quam paucis annis tenuit, præfecturam invitatus, ſedulam navavit operam, ut gradum titulumque Doctoris in iſta facultate, quem poſtea tempore juxta normam ſtatutorum Academiæ præfinito, capeſſivit, abſque omni gratiæ aucupio mereretur. Reverſus ad propinquos & familiares, artem iſtam ſalutarem, quam profeſſus eſt, apud viros nobiles alioſque circumcirca degentes, tum ob inſignem medendi peritiam, tum ob obviam humanitatem, placidiſſimoſque mores, utpote ad opitulandum ægris vel tenuioris fortunæ paratiſſimus, omni moroſitate vacuus, & ad quem quavis occaſione data cuiquam facilè erat accedendum, ab omnibus tanquam tutelaris genius loci magno in pretio habitus, per multos annos exercuit. Sed cùm ſubceſivas horas ſibi in Muſeo relictas omninò perire vetuiſſet igneus animi vigor, quantum quantulumcunque illud otii eſſet, in arcanis Scientiarum Mathematicarum, & præſertim Aſtronomiæ, cujus amore & deſiderio ab adulta ju-

ventute flagraverat, rimandis ſedulò impendebat. Amicis autem, quibus egregiæ illius animi dotes erant compertiſſimæ, indignantibus, virtutem magis magiſque, creſcentibus annis, emicantem, quæ in longè ampliori & patentiori theatro explicari debuerat hactenus nimium diu celatam, & anguſtiis ſordibuſque ruris oppreſſam fuiſſe, illorum conſiliis & hortatibus obſecutus, *Londinum*, omnium Artium Scientiarumque emporium, non tam certioris majoriſque lucri captandi, quàm ſtudiorum, quæ in deliciis habuit, & amicitiæ cum viris eruditiſſimis, tum Medicis, tum Mathematicis, conciliandæ cauſa, ſeſe contulit, illic qualiacunque literarum ſubſidia, ſive ea ex libris, ſive ex faciliore & copioſiore inſtrumentorum ad cœleſtes obſervationes accurandas apparatu, petenda ſint, nullo negotio reperturus. Mox in ordinem numerumque Sociorum celeberrimi Collegii Medicorum *Londinenſium* adſcitus eſt.

Illuxit A. MDCXVIII. in cœlo nova ſtella ex genere Cometarum, qui, ut plurium inveterato errore, ex ſuperſtitione & ignorantia orto, abreptorum mentibus terrorem metumque incutere ſolent, quaſi eſſent mortis Principum, aut cujuspiam horrendæ ſtragis, ſive bello, ſive peſte, ſive qualitercunque infligendæ, prænuntii; ſic Aſtronomis & Philoſophis amplam & idoneam, tum infinitam omnium rerum Conditoris ſapientiam & potentiam contemplandi & ſuſpiciendi, tum horum mirabilium inſolitorumque phænomenon naturam, qualitates, figuras, variosque per vaſta ætheris ſpatia motus, illorumque periodum & durationem explorandi materiem & argumentum affatim ſubminiſtrant. Inter hoſce egregios Viros, quibus hæc cœleſtia maximè curæ erant, jure merito recenſendus eſt *Bainbridgius* noſter, qui obſervandis hujus Cometæ motibus ſingulis noctibus, quando cœlum ſerenum permiſerit, h. e. à decimo octavo die Novembris ad decimum ſextum inſequentis Decembris, quo ſeſe ab humanis oculis ſubduxit, invigilavit: quorum ordinatam ſeriem accuratè digeſtam, libelloque *Anglicè* conſcripto comprehenſam, anno ſequente ſereniſſimo Regi *Jacobo*, primo *Britannia-rum* Monarchæ, dedicavit.

Quod verò ad Aſtronomicam hujus Cometæ deſcriptionem ſpectat, delineationes iſtæ juxta Opticæ normam in plano, eclipticam in viceſimo gradu dodecatemorii Libræ tangente, projiciuntur. Linea verò illius proprii motus, magni circuli arcu comprehenſi, qui erat retrogradus in antecedentia ſignorum, eclipticam in decimo quinto gradu & dimidio aut circiter Scorpionis interſecabat; deinde pertranſiens

ſiens Libram, via transverſa prope Arctophylacem, uſque ad *Urſæ* majoris caudam, nimirum continenter ſurſum, Polum Arcticum verſus, pauxillula variatione, tendens. Dein, *Bainbridgius* ex perpetua illius declinatione, quibus noſtri orbis habitabilis regionibus ſingulis diebus verticaliter immineret, uti & omnes illius, tam in ſuo circulo, quàm inter ſydera inerrantia vias tranſituſque oſtendit. Poſt vulgari *Ariſtotelis* ejuſque ſequacium, quaſi omnes Cometæ eſſent infra Lunam deprimendi, hypotheſi ex regulari & ordinato illorum motu refutata, ſtellam hanc pluſquam ſexcentis terræ ſemidiametris ab illa diſtare ex irrefragabili Parallaxeos doctrina demonſtrat: ut multa alia, quæ illic occurrunt, curioſa omittam. In hiſce verò obſervationibus conficiendis Geometrica quædam inſtrumenta, pro modulo iſtorum temporum ſatis accurata, ſibi in uſum adhibuit, qui hac ex parte parum famæ ſuæ conſuluiſſe viſus eſt, quod obſervata hæc lingua *Latina* non edidiſſet; quod poſtea ſe in *Cometographia*, quam tunc omni cum diligentia molitus eſt, (cujus hic libellus erat brevis epitome & ſynopſis, ut noſtratium importunis precibus & curioſitati aliquo modo reſponderet & gratificaretur, in lucem maturiùs æquo protruſa) facturum animo conſtituit, veruntamen an Cometicum hoc opus unquam abſolveret, nec ne, me penitus later. Celandum non arbitror, *Bainbridgium* vulgi opinionibus de hiſce terrificis apparitionibus ab ultima antiquitate conceptis nimiùm quantùm indulgentem, in calce *Prognoſtica quædam*, ut appellat, *moralia*, ut Lectores cœleſtium rerum prorſum inanes ſapientiores & meliores redderentur, ingenioſè admodum addidiſſe.

Hac erudita lucubratione *Bainbridgius* non modicam ſibi laudem & gratiam apud quosvis nobiles ingenuoſque Viros, & præcipuè apud ſummum Virum, D. *Henricum Savilium*, conciliavit. Hic autem, cùm pro flagrantiſſimo Scientiarum Mathematicarum in *Anglia*, ubi Benefactorum munificentia & patrocinio deſtitutæ pro tempore penè neglectæ & incultæ jacebant, promovendarum amore incenſus, iſthoc anno duas Lecturas in Diſciplinis Mathematicis, quarum altera erat Geometriæ, Aſtronomiæ altera, in Academia *Oxonienſi*, amplis latifundiis in perpetuum duorum Profeſſorum uſum & emolumentum, juxta municipalis noſtri formulas tranſcriptis, menſe Auguſto MDCXIX. fundaſſet, quanti *Bainbridgii* doctrinam fecerit, illuſtri documento teſtatus eſt, utpote digniſſimum cenſens, cui publica iſta Aſtronomiæ Profeſſio primò demandaretur. Honorificum hoc munus, omni cum læ-

titia amplexus eſt *Bainbridgius*: & eò quidem lubentiùs, tum quod ſine ambitu & prenſatione oblatum eſſet, tum quod in iſto amœniſſimo Muſarum ſeceſſu procul ab omni ſtrepitu & tumultu, & à negotioſæ vitæ moleſtiis, in urbe populoſiſſimâ vix fugiendis, liber, ſeveriori rerum cœleſtium contemplationi ſe totum foret impenſurus. Relicta igitur Urbe, *Oxonium* profectus eſt, A. MDCXX. in nova ſua Profeſſione inaugurandus, ibique in Collegio *Mertonenſi*, cujus digniſſimus erat *Cuſtos* (ſic enim Præfectus nuncupatur) illuſtris *Savilius*, in quo præclariſſimi Aſtronomi, *Richardus de Wellingford*, *Joannes Mauduit*, *Rogerus Suicet*, quem alii appellant *Swineshead*, *Joannes de Killingworth*, *Joannes de Eshendon*, *Joannes de Chilmark*, aliique, ſuorum temporum miracula, ſuperioribus ſeculis vixere, recipitur, facta per multos annos mora, uſque dum laxiores ædes vicinas, majoris commoditatis cauſa conduxiſſet. Poſtea (a) A.MDCXXXI. in juniorem, & A. MDCXXXV. ſeniorem Prælectorem *Linacrianum* in iſthoc Collegio electus eſt.

Hoc autem nobile & felix otium nactus, dum de ſparta ornanda ſeriò cogitaret, veterum *Græcorum* Aſtronomiam, ex illorum ſcriptis, aut ineditis in lucem producendis, aut editis, ex manuſcriptis codicibus collatis, novo & defæcatiori lumine donandis, eruendam, redintegrare, non minimam ſui muneris partem duxit, Fundatoris conſiliis & ſtatutis hac ex parte libentiſſimè morem gerens, *Savilius* enim cùm pro ſapientia ſua optimè perſpectum habuiſſet, ſideralem hanc Scientiam non meliùs, ut cum venia dicam, ad ſuam apſidem pervenire poſſe, quàm ſi præclariſſimis illuſtrium Virorum, *Georgii Purbachii*, *Joannis Mulleri Regiomontani*, *Nicolai Copernici*, *Eraſmi Reinholdi*, & *Tychonis Brahæi*, (quibus heroibus illa, ſpiſſiſſima antecedentium barbarorum ſeculorum caligine ſepulta, ſuam παλιγγενεσίαν

&

(a) E Regiſtro Collegii Mertonenſis. Ad A. 1643. *In ſuperiorem* Linacrianam *Lecturam, vacantem ob mortem clariſſimi doctiſſimique Viri* D. Bainbridge, *M. D. & in Academia* Oxonienſi *Aſtronomiæ Profeſſoris, qui paulò ante cum ſummo omnium eruditorum deſiderio & luctu è vivis exceſſerat, electus eſt Doctor* Greaves *è Collegio omnium Animarum.* Sciat Lector, inſigniſſimum & doctiſſimum Virum, D. *Thomam Linacrum*, olim regnante R. *Henrico* Octavo, cujus fuerat Medicus, duas in Facultate Medicinæ Lecturas in Academia *Oxonienſi*, jam Collegio *Mertonenſi* aſſignatas, unamque in Academia *Cantabrigienſi*, jam Collegio S. *Joannis* Evangeliſtæ affixam, prædiis in Profeſſorum emolumentum ex jure tranſcriptis, fundaſſe & inſtituiſſe.

& inſtaurationem debet) antiquiſſimorum, quos *Ægyptus*, *Chaldæa*, & *Græcia* olim produxerint, divinæ Matheſeos Magiſtrorum primæ explorationes conatuſque feliciſſimi adderentur, *Græcos* codices optimæ notæ manuſcriptos, quos, *Germania*, *Italia*, & *Gallia* peragratis, magnis ſumptibus & diligenti inveſtigatione comparaverat, in Muſeo in omne ævum aſſervari curavit, ut illorum ſcita, placita, obſervationes, & hypotheſes feliciùs certiùſque inde poſſent exhauriri. Hoc igitur auctoramento & præſidio munitus, (munificus enim Patronus adhuc erat in vivis) horumque codicum manu exaratorum copia & ſubſidio inſtructus; quo faciliùs in *Ptolemæi* μεγάλην σύνταξιν, quam explicandam ſuſceperat, pateret aditus, *Procli Sphæram*, in qua prima Aſtronomiæ, quatenus nimirum ad doctrinam Sphæricam refertur, elementa clariùs & luculentiùs explicantur, *Græce* cum ſua *Latina* verſione hoc ipſo anno *Londini* edi voluit, Lectorem monens hanc *Introductionem*, ſub *Procli* nomine editam, Gemino, peritiſſimo tum Geometræ, tum Aſtronomo, potiori jure adſcribendam eſſe, utpote ex illius in φαινόμενα Iſagoge totam abſque aliqua variatione à *Proclo* exſcriptam. Acceſſere (a) *Ptolemæi* περὶ ὑποθέσεων πλανωμένων, ſive *de hypotheſibus Planetarum*, liber nunc primùm in lucem editus, illic, ut in priori, figurarum delineationibus inſertis, & ejusdem *Ptolemæi* κανὼν βασιλείων, ſive *Canon regnorum*. Sed fortean longè præſtat, in majorem eruditi Lectoris utilitatem, integram Auctoris Præfationem, in qua de ratione hujus editionis eruditè diſſeritur, hîc exhibere.

LECTORI CANDIDO

ἰνγιαίνειν.

Duas in Artibus Mathematicis profeſſiones liberalibus ſtipendiis inſtituiſſe, non magni eſtimavit magnificus & prudentiſſimus noſter Mecænas,

(a) *Joannes Gravius* in præfatione ad Aſtronomica quædam ex traditione *Shah Cholgii Perſæ*, unà cum hypotheſibus Planetarum, *Londini* 1652. loquens de Ptolemæo *jam ſene*:

Qui poſtquam μεγάλην σύνταξιν feliciter abſolviſſet, ſive memoriæ ſuæ ſublevandæ gratia, ſive ut tyronibus prodeſſet, huic etiam ὑποθέσεις tanquam coronidem adjunxit. Sed alta nocte jacebant involutæ, vix ipſis Græcis *nedum* Latinis, *cognitæ, donec clariſſimus* Joannes Bainbridgius *eas non ita pridem à tenebris ſituque vindicavit.*

niſi antiquos etiam, eoſque optimos, Matheſeos Magiſtros in Cathedras ſuas, unde prioris ſeculi barbarie, hujuſque faſtu, turpiſſimè deturbati ſunt, reſtitueret: comparatis in hunc finem variis Antiquorum exemplaribus Græcis *manuſcriptis. Ad quorum regulam & normam* Euclidem τετράγωνον δι' ἄκνου ψόγου, *fecit facietque doctiſſimus meus* Collega, H. Briggius. *Eorundem etiam radiis* Ptolemæus *à me tandem ſpero, illuſtrabitur. At cùm difficilis admodum & obſcurus ſit, in Magnam illam Syntaxin aditus, hanc duplicem* εἰσαγωγήν, *faculas præferentem, præmittere placuit. Alteram titulo quidem* Procli, *jure tamen Gemini, Geometræ & Aſtronomi nobiliſſimi, ex cujus in* φαινόμενα *Iſagoge eam totam & ad verbum* λογιώτατος *excerpſit* Proclus; *Alteram* Ptolemæi *& nomen præferentem, & ingenium geniumque referentem, Sphæram longo uſu, aut potius neglectu, mutilatam & diſtortam, duobus Gemini codicibus MSS. uſus, jam integram & accuratè ſphæricam exhibeo: locis reſtitutis, parentheſeos clauſura in Græco textu indicatis: nam* γεωφυκὰς ἁμαρτίας *in ipſo Gemino nonnullas à nobis, emendatas libens prætereo, inanem illam gloriolæ umbram Criticis captandam relinquens. Ad Hypotheſes, reconditiſſimas Aſtronomiæ thecas, venio, quas, annos ferè M. D. ἐν σκότει τεθησαυρισμένας, ex eodem tandem Matheſeos ſacrario felici quodam aſtro deſumptas, in lucem meliorem primus profero: & quanto labore, quanta cura eas repurgavi! Ex tribus enim exemplaribus MSS. ne unum quidem integrum aut incorruptum fuit, omnibus ſimiliter inquinatis, eademque ferè conſpurcatis labe. Multas lacunas, parentheſi incluſas, explevi. Omnes periodos & epochas ad Magnæ Syntaxis leges & numeros, analyſi non ita facili, retexui, plurimaſque vitiatas reſtitui.*

In latitudinem verò hypotheſibus nihil mutare volui: hic enim Ptolemæus *prudens, ſi quid judico, ab illis in Syntaxi conſtitutis deſciſcit, aliaſque faciles, expeditas, longèque veriores candidè proponit. His tandem adjunximus aureum illum, ex pulcherrimo* Κανόνων προχείρων *volumine MS. deſumptum,* Regnorum Canonem, *in motibus cœleſtibus ad antiqua illa ſecula ſupputandis, ut* χρονολογίαν *præteream, perneceſſarium: quo ad* Antonini Pii *regnum uſus eſt ipſe* Ptolemæus. *Reliquum à* Theone, Ptolemæi *interprete, additum fuiſſe mihi valdè perſuadeo. Tralationem Sphæræ & Hypotheſium* Latinam *feci planam, & plenam, atque, ut Aſtronomicè loquar, dilucidam. Figuras denique utrobique deſideratas appoſui eas, quæ res ipſas clariſſimè ante oculos ponerent. Qui hæc carpit mordetque,* μωμήσεται θάσσον ἢ μωμήσεται. *Tu, Lector benevole, conatus meos æqui bonique conſule, &*

annos

annos Neſtoreos noſtro Matheſeoſque Mecænati *optimo exopta feliciſſimos.*

Hunc ſanè Canonem cùm D. *Abrahamus Scultetus, Londini* agens A. MDCXIII. à viro ſummo, D. *Joanne Overallo*, Decano Eccleſiæ Cathedralis S. *Pauli*, acceptum, mox poſt reditum in *Germaniam Setho Calviſio*, alteram Operis Chronologici editionem adornanti communicavit. Hic verò illum pro admirabili mentis in inſtauranda Chronologia poſt *Joſephum Scaligerum* ſollertia, præcipuè ſubſidio cœleſtium characterum, & civilium annorum cum annis aſtronomicis in ſingulis Epochis comparatione, rectè nec quiſquam iſthoc ævo meliùs potuit, omni auro pretioſiorem eſſe judicans, in Iſagoge præmiſſa, primus edendum curavit.

Sed, ut de hoc *Mathematico Canone* pauca, ὡς ἐν παρόδῳ, dicam:

Hunc ſanè ſummi Chronologi antecedentis ſeculi, præter *Calviſium*, maximo in pretio habuerunt, quem, ut certiſſimam normam & ducem in Regum *Aſſyriorum Perſarum*que geſtis & annis, ſpinoſis perplexitatibus aliàs involutis, ſtatuendis ſecuti ſunt, & cujus beneficio utraque Hiſtoria, tum quæ in ſacris Scripturis, tum quæ in ultimæ antiquitatis Scriptoribus, *Herodoto*, *Cteſia*, *Diodoro Siculo*, aliiſque exſtat, facili methodo rectoque ordine ſimul connectitur: utpote qui ſeriem & ſucceſſionem annorum Regum, ut dixi, *Babyloniorum*, *Medorum*, *Perſarum*, *Græcorum*que in *Ægypto*, & deinde *Romanorum*, ad *Theodoſii Magni* obitum productus, exhibet & repræſentat. Non à veritate aberrabo, ſi dixero, vix quicquam ſimile hiſce tabulis reconditiſſimis, quod illuſtrandis temporibus antiquiſſimis magis conducat, hactenus erutum fuiſſe. Nemo enim prudens celeberrimam *Nabonaſſari* æram, à qua eclipſium, quas memorat, recenſionem & calculum iniit *Ptolemæus*, hujus ipſiſſimi canonis, quem, ut veriſimillimum eſt, præ oculis indeſinenter habuit, fide fretus in dubium vocaverit. Si qui errores, & quidem pauciſſimi, in numerorum, literis Alphabeti ſignatorum, adnotatione, ſive in hunc aureum Canonem, ſive apud *Ptolemæum* irrepſerint, id neutrius auctoritati ullatenus detrahi oportet, cùm in reliquis ferè omnibus mira ſit connexio & convenientia. Fruſtra ergo ex pauculo diſſenſu fidem canonis convellere videtur D. (a) *Conringius*. Sed hæc diſquiſitio non eſt hujus loci; alii, qui Chronologiam ex profeſſo tractant, viderint. Interim non poſſum, quin candorem in Viro doctiſſimo deſiderem, qui ad-

(a) In Adverſariis Chronologicis cap. XII.

adverſus D. *Bainbridgium*, hujus Canonis continuationem *Theoni Alexandrino* adſcribentem, dictatoriè nimis, pronuntiat, eò quod illic *Julianus* Imperator Παραβάτης nuncupatus ſit, quod homini pagano, qualis erat *Theon*, excidere poſſe parum veriſimile videtur. Sed certiſſimè conſtat, illum in τῶν πρόχειρων Κανόνων libros, uti & poſtea Imperatorem *Heraclium*, ubi iſtud quantivis pretii cimelium occurrit, ſicut etiam in *Ptolemæi* τὴν μεγάλην Σύνταξιν, commentarios ſcripſiſſe; & par eſt credere, ab aliquo Chriſtiano, canonem ſequiori ſeculo exſcribente, cognomentum illud, quo tanquam nigro ſtigmate ab omni Chriſtiano populo communiſſimè ſermone inurebatur, ex veteri adverſus Apoſtatam odio in ſuo exemplari additum fuiſſe. Eandem, quam primò iniit, viam inſiſtens *Bainbridgius*, de edendis veterum Aſtronomorum ſcriptis fragmentiſque genuinis, & præſertim de aureo *Hipparchi* περὶ μεγέθους ἐνιαυσίου, ſive *de anni ſolaris quantitate* libello maximè erat ſolicitus: de quo reverendiſſimum virum, D. *Jacobum Uſſerium*, Archiepiſcopum *Armachanum*, quocum illi arctiſſima interceſſerat neceſſitudo (a) conſuluit, ut ipſius ope è Bibliothecis, aut *Scorialenſi*, aut *Vaticana*, in quarum utriſque exſtabat apographum, quod doctiſſimi Viri, *Dionyſii Petavii*, S. J. in *Uranologio* ſuo diligentiam fugerat, inde in *Angliam* tranſmitteretur. Sed nec illi neque (b) Viro præſtantiſſimo, *Joanni Gravio*, quem poſtea ejuſdem nanciſcendi par deſiderium tenuerat, contigit eſſe tam felicibus. Hoc tamen mihi conſtat, illum, *Hiſtoriam Aſtronomicam*, in qua, ut ipſius verbis utar, *nonnullas antiquæ Aſtronomiæ reliquias, tanquam ex naufragio tabulas, collegerat*, compoſuiſſe; ultra graviſſimè dolentem, *antiqua illa Aſtronomiæ monu-*

[redacted]

ſtellarum, ſive civitatum in orbe terrarum, quà Oriens, quà Occidens longè latèque ipſis patebat, longè ante *Americam* audacibus *Hiſpanorum* navigationibus periculiſque feliciſſimè detectam, maximè celebrium, vidiſſet, tanto ardore, quid in Canonibus Obſervatores adnotaverint, (nam tabulas frequenti inſpectione & uſu accuratè intellexiſſe videtur) penitiùs explorandi inflammatus, quadragenario major, linguæ *Arabicæ* addiſcendæ operam impendit, nulla difficultate objecta abſterrendus. Sed hæc fuiſſe videtur peculiaris laurea præſtantiſſimi Viri, D. *Joannis Gravii*, qui tunc temporis in numerum Sociorum Collegii *Mertonenſis*, ſive conſiliis, ſive exemplo *Bainbridgii* incitatus, Scientiarum Mathematicarum ſtudio accuratiſſimam linguarum *Orientalium* cognitionem ab ipſa juventute ſumma induſtria conjunxit. Utcunque res iſta à *Bainbridgio* ſapienter ſuſcepta, non adeo feliciter ceciderit, non poſſum, quin illius tentamina debitis elogiis commendem, qui rectè judicabat, neminem, licèt Arabicè benè peritum, interim rerum iſtarum non ſatis intelligentem, boni, cui fidendum eſt, Interpretis munere defungi poſſe: nec evitandum, quin multos, eoſque craſſos, errores in verſionibus ſubinde ſint admiſſuri. Ideo ſuis oculis non aliorum videre impendio cupiebat, ut Σύνταξιν Μαθηματικὴν, quam tunc inſtituebat, *obſervatis Arabum*, uti loquitur, *tanquam tot pretioſis lapillis ex Arabia felici erutis adornatam* locupletaret. In quo opere facilem iſtam expeditamque, quam ſe excogitaturum in literis ad D. *Uſſerium* dicit, calculandi eclipſes methodum, uti par eſt credere, repoſuit.

Quò verò cœleſtes iſtæ obſervationes, quibus oculorum mentiſque aciem aſſiduè intendebat, certiores accuratioreſque fierent, inſtrumenta, ſive ex ære, ſive ex buxo conficienda, magni ambitus & minutiſſimarum diviſionum capacia, quorum uſum neceſſarium fore quotidiana experientia edocebatur, fabricare in animo habuit. Sed cùm ſumptus in iis accurandis impendendi privatum ipſius cenſum ſuperaverint, ſuppetiis & ope Magnatum, quod non ſine luctu & indignatione memorandum arbitror, poſt mortem Patroni, deſtitueretur, inſtrumentis, quæ abſque rei domeſticæ detrimento & jactura ſibi comparare licuit, neuti quam tamen inde imminuta diligentia, aut ſub iſtis anguſtiis fatiſcente, contentus eſſe adigebatur.

Mirari ſubit, quibus de cauſis, ab iſtis lucubrationibus, quas apud ſe habuit, in lucem producendis, tempore Profeſſionis Aſtronomicæ, per viginti quatuor annos continuato, prorſus abſtinuiſſet: nec in illas

[illegible] si qui sint, [illegible] omnia vertere ea [illegible] in Acade- [illegible] aut apo- [illegible] Scien- [illegible] in in- [illegible]

[illegible] ut [illegible] Acade- [illegible] Thea- [illegible] Collegii [illegible] Collegii [illegible]

Prudens hominum & librorum æſtimator elegit,
Savilius:
Quem Cantabrigiæ *educatum,*
Academia Oxonienſis *fovit, ut ſuum,*
Defunctum publicè deflevit, ut par utriuſque ornamentum:
Qui Scaligerum *feliciùs correxit,*
Quàm Scaliger
Tempora:
In non levem literarum jacturam immaturus obiit,
MDCXLIII.
Abi jam, cavera quære vel ab Exteris.

An Epitaphium hoc D. *J. Gravius* ejus in Aſtronomiæ Cathedra Succeſſor, amicitiæ, obſervantiæ honorisque teſtandi cauſa, quod aliqui aſſerunt, compoſuerit, mihi ſaltem non liquet. Sequens verò ex ipſo *Gravii* autographo, ex illius ſchedis propria manu conſcriptis, in quibus multa ejusmodi commiſcuit, olim exſcripſi, quod hîc meritò apponendum, tum in *Bainbridgii* honorem, tum in Lectoris gratiam, nec forſitan temerè quidem, cenſeo.

Quod ſupereſt
Clariſſimi Viri,
D. JOANNIS BAINBRIDGE,
In Academia Oxonienſi
Publici Aſtronomiæ Profeſſoris,
Sub hoc marmore clauditur.
Quod verò amavimus,
Quod ſuſpeximus,
Quod mœſti deſideramus,
Fruſtra hic quæras:
Illud cœlo, cui vivus animo
Cogitationeque incubuit,
Receptum eſt.
Obiit. A. D. CIↃ. CIↃ. XLIII.
IX.*bris* III. *ætatis ſuæ* LXII.
Hora ſexta matutina.

curioſiùs inquiram. Fruſtrà & injuſtiſſimè rigidi cenſores, ſi qui ſint, hanc omiſſionem deſidiæ imputabunt, neutiquamque crimini vertere ea de cauſa debent: cùm indefeſſæ induſtriæ tot luculentos in Academia *Oxonienſi* habuerit teſtes: nec opus erit aliqua excuſatione aut apologia, poſtquam varia illius ſcripta ad illuſtrandam Aſtronomiæ Scientiam ſpectantia, quæ adhuc ſuperſunt, ab illo relicta, ſtatim in indicem retulero.

Emigravit, & placida quidem morte, Vir optimus & doctiſſimus, ex rerum cœleſtium in terris contemplatione ad cœlos ipſos, ut ſperari fas eſt, propiùs & penitiùs inſpiciendos, in ædibus ſuis *Oxonii* tertio die Novembris, hora ſexta matutina A. MDCXLIII. ætatis verò LXII. Mox ſolennes exequias, tanto verò debitas, peregit Academia *Oxonienſis*, funere omni cum decora pompa elato. In Schola Theologica, quò corpus erat paulò antè clam deportatum, Vir florentiſſimi ingenii, D. *Guilielmus Strodus*, publicus Orator, poſt triduum viz. 6to. die ejusdem menſis, præſentibus Vicecancellario, Profeſſoribus, reliquis omnium Facultatum Doctoribus, confertiſſimaque Magiſtrorum corona, in laudem defuncti elegantiſſimè peroravit. Inde longo ordine bini poſt ſandapilam incedebant ad Collegii *Mertonenſis* ſacellum, in quo, poſt ſacrum officium, juxta Liturgiæ *Anglicanæ* formulam, præſtitum, propè conjunctiſſimi ſui Collegæ, D. *Henrici Briggii*, tumulum, maximo cum honore & luctu deponebatur. Non longè poſt elegans monimentum erigendum curarunt Amici ſuperſtites, hac Epigraphe inſignitum:

Si cupias Viator, quis & quantus, hîc jacet,
Alibi quæras, oportet, dicere ſatis nequeo:
Britannia tota Viri famam non capit.
Ne cætera tamen ignores, in rem tuam pauca hæc accipe.
JOANNES BAINBRIDGIUS,
Vir famæ integerrimæ, & doctrinæ incomparabilis,
Medicinæ Profeſſor & Matheſeos,
Morborum tam felix expugnator novorum,
Quàm ſagax indagator ſiderum:
Quem primum Aſtronomiæ Profeſſorem,
Et dignum Collegam,
In Mathematicis Prælecturis, quas magnificè erexerat,

Pru-

Prudens hominum & librorum æſtimator elegit,
Savilius:
Quem Cantabrigiæ *educatum,*
Academia Oxonienſis *fovit, ut ſuum,*
Defunctum publicè deflevit, ut par utriuſque ornamentum:
Qui Scaligerum *feliciùs correxit,*
Quàm Scaliger
Tempora:
In non levem literarum jacturam immaturus obiit,
MDCXLIII.
Abi jam, cætera quære vel ab Exteris.

An Epitaphium hoc D. *J. Grævius* ejus in Aſtronomiæ Cathedra Succeſſor, amicitiæ, obſervantiæ honorisque teſtandi cauſa, quod aliqui aſſerunt, compoſuerit, mihi ſaltem non liquet. Sequens verò ex ipſo *Grævii* autographo, ex illius ſchedis propria manu conſcriptis, in quibus multa ejusmodi commiſcuit, olim exſcripſi, quod hîc meritò apponendum, tum in *Bainbridgii* honorem, tum in Lectoris gratiam, nec forſitan temerè quidem, cenſeo.

Quod ſupereſt
Clariſſimi Viri,
D. JOANNIS BAINBRIDGE,
In Academia Oxonienſi
Publici Aſtronomiæ Profeſſoris,
Sub hoc marmore clauditur.
Quod verò amavimus,
Quod ſuſpeximus,
Quod mœſti deſideramus,
Fruſtra hic quæras:
Illud cœlo, cui vivus animo
Cogitationeque incubuit,
Receptum eſt.
Obiit. A. D. CIↃ. CIↃ. XLIII.
IX.*bris* III. *ætatis ſuæ* LXII.
Hora ſexta matutina.

V. Cl. *Joannes Gravius* commentarios *Bainbridgii de anno Caniculari*, h. e. de *Ægyptiorum* anno naturali, à Caniculæ ortu heliaco incipiente, ſuaſu ac impulſu reverendiſſimi Archiepiſcopi *Armachani* conſcriptos, A. D. MDCXLVIII. *Oxonii* edidit: in quibus etiam de diebus canicularibus, ortuque iſtius ſplendidiſſimæ ſtellæ, & de periodo *Sothiaca*, non ſine varia amœnioris literaturæ ex *Græcis Latinis*que veteribus Auctoribus, quorum ſententias exponit & caſtigat, admixtione, agitur. Hos verò *Bainbridgius*, ſive turbatiſſimis illis, flagrante rebellione Parlamentaria, rebus impéditus, ſive morte in ipſis viridis ſenectæ initiis præreptus, imperfectos reliquit, ad iſtius ſtellæ ortus heliaci demonſtrationem, *quod unicum erat*, uti *Gravius* loquitur, *iſtius Diatribæ columen*, neutiquam progreſſus. Præcipuam autem illam partem apodicticam maximè deſideratam pro parallelo inferioris *Ægypti*, rogatu ejusdem reverendiſſimi Antiſtitis, eruditiſſimis de obliquitate Zodiaci, de longitudinibus & latitudinibus, uti & aſcenſione recta & declinatione ſtellarum obſervationibus, ex Aſtronomorum *Arabum*, *Perſarum*, *Indorum*, *Græcorumque* ſcriptis, inſertis, adjecit ſupplevitque *Gravius*.

Ab iſthoc tempore nullum aliud *Bainbridgii* opuſculum hactenus in lucem exiit. Sanè proximo poſt mortem illius anno, aliæ Diſſertationes, Vice-Cancellarii *Oxonienſis* permiſſu & approbatione, prelo paratæ & mandatæ erant: ſed multiplex iſte induſtriæ ingeniique *Bainbridgiani* fœtus in primis nixibus inauſpicatiſſimè quaſi ſuffocatus, nondum benignam *Lucinam* expertus eſt. Harum titulos hic dabo:

Antiprognoſticon, in quo μαντικὴς Aſtrologicæ, cœleſtium domorum, & triplicitatum commentis, magniſque Saturni & Jovis (cujusmodi anno 1623 *&* 1643. *contigerunt, & viceſimo ferè quoque deinceps anno, ratis naturæ legibus, recurrent) conjunctionibus innixæ, vanitas breviter detegitur.*

De Meridianorum ſive longitudinum differentiis inveniendis Diſſertatio.

De ſtella Veneris Diatriba.

Acceſſit & in funere ejus à D. Gulielmo Strodo, *Academiæ* Oxonienſis, *Oratore publico, brevis Oratio habita.*

Cùm verò eruditæ hæ lucubrationes mihi in manus felicisſimo caſu inciderint, ne penitùs interirent, quantùm in me erit, & ſi per Bibliopolarum avaritiam liceat, tandem aliquando curabo.

Spe-

Specimen cœleſtium obſervationum, quas *Oxonii* fecerat *Bainbridgius*, intueri eſt apud V. Cl. *Iſmaelem Bullialdum* in Aſtronomiæ Philolaicæ * libro XII. pag. 467. ubi exſtant. *Pariſiis*, 1645.

Sed quantula hæc ſunt, ſi cum reliquis ineditis, quæ inter D. *Uſſerii Armachani*, cujus fidei & curæ olim ex legato, ni fallor, Auctoris teſtamentario commiſſa erant, MSS. codices, in Archivis Bibliothecæ Collegii S. Trinitatis *Dublin.* hodie ſuperſunt, conferantur: cujusmodi ſunt, (neque omnes illius lucubrationes illic reperiendas recenſere lubet)

Solis Theoria.
Lunæ Theoria.
De anni quantitate.
Obſervationes Aſtronomicæ. 2 *Vol.*
Miſcellaneorum Mathematicorum novem aut decem Volumina.

Operæ pretium & magni uſus foret, ſi quispiam ex *Hibernis* Mathematicis, quibus facilis eſt horum librorum copia, ſi quid eximium & bonæ frugis, quod huic cœleſti Scientiæ illuſtrandæ conducat, inibi exſtet, de quo dubitare nefas meritò cenſebitur, inde excerptum digeſtumque cum orbe literario communicare vellet. Licèt enim nemo, niſi harum rerum imperitiſſimus, diffitebitur, quamplurima nova & prorſus admiranda *Uraniæ* arcana, per ſexaginta ſubſequentes annos, ſagaciſſima mente, ingenio, & induſtria præclariſſimorum Virorum, *Gaſſendi*, *Hevelii*, *Ricciolii*, *Bullialdi*, *Caſſini*, noſtratium *Wardi*, *Hookii*, *Flamſteedii*, *Hallæi*, aliorumque detecta fuiſſe, quæ illum latuerant, tamen quid Aſtronomi tempore priores obſervaverint, quibusque mediis, ratione, & methodo ſideralis hæc Scientia ad culmen aſſurrexerit, ex illorum ſcriptis deducere, id quidem non ſoli ſtudioſorum voluptati, ſed commodo inſervire poſſit: anſa ex illorum imperfectis notitiis, conjecturis, & ſuggeſtionibus, plura, quibus non aliter veniſſe t in mentem, inveniendi & excogitandi inde arripienda.

Poſt hæc referre penè piget, *Bainbridgium*, ut ex epiſtola ad R. *Jacobum* I. dedicatoria, ſupra memorata, liquet, *Monarchiæ Britanniæ hiſtoricam*, *panegyricam*, *& prophylacticam*, verba ejus ſunt, *deſcriptionem*, tribus columnis diſtinctam, aggreſſum fuiſſe, eo fine, ut ex illa auſpicatiſſima regnorum *Angliæ* & *Scotiæ* ſub uno eodemque Mo-

narcha coadunatione, univerſos ſubditos æterno, uti ſperari fas erat, fœdere conſociatos, tum ad piiſſimum faventiſſimi & maximè miſericordis Numinis, cujus benigniſſima providentia id effectum erat, cultum, tum ad fidem Regi communi debitam, mutuamque inter ſe concordiam in omne ævum ſervandam, ſummo cum animi affectu incitaret. Sed lucubratiuncula iſta, cujus argumentum, ſi quis alius, pro dignitate tractaturus eſſet, adhuc dum deſideratur, nec unquam poſtea, quod ſciam, ſive ab ipſo derelicta, ſive ſuppreſſa, comparuit.

Pauca hæc in memoriam D. *Bainbridgii* in hoc brevi commentariolo, ex juſto eruditionis virtutumque illius ſenſu, tumultuaria quaſi opera, collegi, ne qualis quantuſque fuerit, ſeros in ſecuturis ſeculis nepotes lateat, ne dicam in vindicias illius famæ, quam, licèt in re levicula, læſit mendaciſſima quorundam obtrectatio, quaſi in prælectione habita contra Grammaticæ Syntaxeos regulas ex ignorantia ſemel peccaſſet, quàm, utpote ſcomma abſurdum, ridiculumque, & quod ſeriò refutetur, prorſus indignum, penitus omiſiſſem, niſi inſignis quidam ſannio in nupero libello Epigramma iſtud inficetum, rythmis *Anglicanis* olim conſcribillatum, ad captandum puerorum plauſum, irriſorium planè in modum inſeruiſſet. Perſuaſiſſimum autem habeo, nec dubito, quin omnes æqui rerum arbitri mecum hac ex parte conſenſuri ſint, *Bainbridgium*, tam ob Scientiarum Mathematicarum amœniorumque literarum ſtudium & peritiam, quàm ob pietatem ſuaviſſimosque mores, quibus, dum vixerit, omnium bonorum amorem & gratiam ſibi mirè conciliavit, inter magnos ſeculi proximè elapſi viros perennibus elogiis celebrari, prout meritus eſt, debere.

J. GRAVII VITA.

Clariſſimi ac doctiſſimi Viri,

JOANNIS GRAVII,

Olim Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſoris Saviliani,

VITA:

IN QUA

De illius Studiis, Itineribus in *Italiam*, ad *Conſtantinopolim*, & in *Ægyptum* ſuſceptis,

ET

Libris editis ineditiſque, fusè diſſeritur.

Scriptore

THOMA SMITHO,

S. Theologiæ Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.



VITA

Clariſſimi & doctiſſimi Viri,

JOANNIS GRAVII,

Aſtronomiæ apud Oxonienſes Profeſſoris Saviliani.

JOANNES GRAVIUS in lucem editus erat *Colmoræ* propè *Alresfordam*, oppidum non incelebre, in Provincia *Hantonienſi*, anno hujus ſeculi ſecundo, ſapientiſſimæ & glorioſiſſimæ Reginæ *Eliſabethæ* emortuali. Patrem habuit *Joannem Gravium*, iſtius Eccleſiæ Rectorem, maſcula prole perquàm felicem. Vidit enim admodum provectæ ætatis ſenex quatuor filios, quorum natu maximus *Joannes* noſter, pari induſtria & honeſta æmulatione ad literarum ſtudia in adoleſcentia contendentes, jam adultos viros factos, famæ longè latèque propagandæ & opimioris fortunæ, ſi ſummis virtutibus & doctrinæ debita conſtarent præmia honorque, quam ille anguſtis viculi limitibus circumſcriptus, privata licèt ſorte ſua contentus, obtinuiſſet, fundamenta jeciſſe. Ille verò, ſive inſito liberorum amore, ſive benè merendi de Viris generoſioris proſapiæ aliiſque, qui in vicinia habitarunt, ſtudio incitatus, erudiendæ juventutis in ſe citra ſacræ functionis præjudicium laudabilem curam ſuſcepit: quali autem peritia quantaque diligentia profeſſionem ſuam exercuerit, feliciſſimi, quos filii præſertim poſteà feciſſent, progreſſus luculenter ſatis in omne ævum teſtabuntur. *Joannes* Græcis Latiniſque literis probè inſtructus, decimoquinto ætatis anno, mittitur *Oxonium*, gravioribus Philoſophiæ diſciplinis inſtituendus. Non eguit conſiliis & hortatibus parentis aut amicorum, ut vitæ Academicæ inſtitutum ſeriò perſequeretur; quippe bonam mentem, contra deſidiam & luxum, lubricæ adoleſcentiæ peſtes, ſatis obfirmatam, acre ingenium, maturumque, quantum iſta fert ætas, ju-

dicium, ſecum illac attulit, ab iſthoc ſtudio, quod ingreſſus eſt, nullis objectis aut voluptatibus aut impedimentis, dimovendus, donec optatam metam attigiſſet. Pro more (neque enim præcocibus ingeniis quic-
1621. quam hac ex parte indulget Academia) quadriennio exacto, Baccalaureatum in artibus adeptus eſt; deinde Magiſtri gradu & titulo poſt tres annos inſigniendus: niſi quippiam magni momenti, & ex quo futuræ vitæ felicitas pendebat, ex inſperato interveniſſet. Cùm enim expletum iſtud tempus inſtaret, nempe anno 1624. accidebat, ut Cuſtos & Socii magnifici Collegii *Mertonenſis* jam de novis Sociis in defunctorum aut honeſtis de cauſis cedentium vicem ſubſtituendis apud ſe deliberarent. Hoc prudenti illorum curæ & probitati permiſit munificentiſſimus Fundator, *Gualterus de Mertona*, Epiſcopus *Roffenſis*, & bis Cancellarius *Angliæ*, primò in poſterioribus annis Regis *Henrici* tertii, ac iterum regnante Rege *Edwardo* primo: nihil certi de tempore, quo electio fieri debet, ſtatuens. Inde mora quatuor aut quinque annorum quandoque interponitur, prout res domeſticæ poſtulabunt. Quamprimùm autem ejuſmodi propoſitum propalatur, Baccalaurei (omnes enim alii, ſive Magiſtri, ſive nondum ad gradum promoti, excluduntur) per Academiam ſparſi, eruditione & ingenio præſtantes, quibus non ita felicibus eſſe contingit, ut ex Fundatorum Benefactorumque latifundiis alantur, potiſſimùm qui in Academia per plures annos aut per integram vitam degere ſtudiorum cauſa cupiunt, iſtius beatæ ſortis, qualis revera eſt, ſi votorum compotes illa rectè uti noſſent, adipiſcendæ deſiderio incenduntur, rigidiſſimum examen ſubituri. Inter hoſce candidatos comparens *Gravius*, primus merito ſuo eligebatur, jam ſevera diſciplina, nunquam intermiſſa, nunquam intermittenda, per quam otiari & ſegneſcere abſque acri cenſura non licet, & qua forſan vix ſeverior alicubi gentium in qualicunque Seminario exercetur, per quatuor annos ab ipſa prima admiſſione numerandos exercendus. Hæc tot præclaros Viros & in omni literarum genere præſtantiſſimos peperit, puta *Thomam Bodleium*, *Henricum* & *Thomam Savilios*, *Joannem Chamberum*, *Franciſcum Maſonum*, *Georgium Carletonum*, *Iſaacum Wakum*, *Johannem Haleſium*, *Theodorum Gulſtonum*, *Joannem Earle*, *Richardum Brunum*, *Guilielmum Berkeleium*: ut à cæteris tum ſuperiorum temporum tum hujus ævi recenſendis abſtineam, quorum omnium fama univerſum Orbem pervagata eſt.

Manente hac ſtudendi neceſſitate, quam ſibi, ut arbitrari æquum videtur, gratulatus eſt *Gravius*, ex qua durus improbuſque labor longo uſu

uſu & conſuetudine primò fit toleratu facilis, deinde tranſit in delicias, poſt lectos relectoſque claſſicos omne genus Auctores, ſive *Græcos* ſive *Latinos*, animum ad Philoſophiæ naturalis, tum veteris tum novæ, quæ, inſtaurante magno *Bacono*, florere & magno in pretio haberi cœperat, & Scientiarum Mathematicarum culturam ſtudiumque ſeriò admovebat: tanto literarum amore inde contracto, intimiſque medullis infixo, ut in naturam converſus videri poſſit, nunquam, ne quidem quando ademptæ libertati reſtitutus, licentiùs pro arbitrio ad induſtriæ viriumque relaxationem agere potuiſſet, evellendus. Tandem verò laborioſum hoc nimiſque reſtrictum vitæ inſtitutum, cui tamen doctrinam, famam ſuam, reliquaque vitæ præſidia & ornamenta illum debuiſſe certò conſtat, feliciter emenſus, menſe Junio A. C. 1628. Magiſtri laurea donatus eſt: mox inita cum Viris doctiſſimis, D. D. D. *Henrico Briggio* & *Joanne Bainbrigio*, primis Profeſſoribus *Savilianis*, altero Geometriæ, & ad menſam Sociorum convictore, Aſtronomiæ altero, ejuſdem quoque Collegii Prælectore *Linacriano*, & *Petro Turnero* conſocio, inſigni quoque Mathematico, amicitiâ, qui illum tanquam omnino parem, licet ætate longè inferiorem, mira de ſe ex hiſce præclariſſimis initiis tacitè ſpondentem, pro innata, qua viri ſolidè docti & egregia virtute præditi erga ſui ſimiles feruntur, bonitate, ſinu ſuo humaniſſimè exceperunt. Ex iſta familiaritate honorifica pariter ac utili ſtudium iſtud, quaſi ex ſponte naturæ mentiſque inſita propenſione priùs in pectore accenſum, Matheſin majori cum ſedulitate excolendi magis magiſque ardebat. Ille verò *Copernici*, *Regiomontani*, *Purbachii*, *Brahei*, *Kepleri*, aliorumque inſignium Aſtronomorum hujus aut ſuperioris ſeculi lucubrationes diligenti manu verſaſſe non contentus, veteres Mathematicos, non ſolùm *Græcos*, ſed & *Arabicos Perſicoſque*, in hac præſertim ſiderali Scientia optimè exercitatos, ſibi reddidit familiares, accurata linguarum Orientalium, quibus, tanquam tot clavibus Scientiarum, illarum gentium, quæ ſub *Almamone Chalipha* literarias *Græcorum* opes in ſuas regiones transfudiſſent, arcana & inventa aperiri & explicari ſolent, cognitione priùs acquiſitâ: quanto autem cum fructu, qui in rempublicam literariam eſſet redundaturus, libri ab ipſo editi, quos poſt memorabo, ſatis clarè docebunt. Jam vita facilis, expedita, omnibus præſidiis ſubſidiiſque ad eruditionem neceſſariis inſtructa, & abs omni inertiæ aut læſæ modeſtiæ & probitatis labe pura decurrebat; nulli quoque certæ facultati, ſive Theologiæ, ſive Medi-

cinæ, ſive Juriſprudentiæ, ex indulgentia ſtatutorum alligata. Socii enim peculiari hoc privilegio gaudent, ut hanc, illam, iſtamve, aut qualemcunque aliam ingenuis viris dignam, tanquam provinciam ſuam, pleno jure poſſeſſam, prout lubitum eſt, ornare liceat. Inde noſter nobili otio abundans, non ex levitate mentis, quod ſciolorum vaneque πολυμαθείας famam affectantium eſt, qui quippiam tenue & puſillum, quaſi ſolam ſuperficiem radendo, nunc ab hac, ſtatim ab altera ſolent excerpere, ſed ſolerti ingenio in profunda & ima rerum penetrabat, adhibitaque indefeſſa induſtria, vaſto mentis capaciſſimæ ambitu, quicquid in Scientiis naturalibus, & præſertim in Matheſi, rarum, aut curioſum, aut eximii in communi vita uſus exſtitiſſet, poſt aliquot annos facilè complexus eſt.

Circa A. 1630. fama ipſius etiam apud *Londinenſes* percrebreſcente, in Collegio, quod inſigniſſimus Vir, D. *Thomas Greſhamus*, equeſtri dignitate ornatus, de civitate *Londinenſi*, de univerſa *Anglia*, imò de univerſa Rep. literaria optimè meritus, ad promovendas propagandaſque naturales Scientias, olim regnante *Eliſabetha*, illic fundavit ampliſque dotavit reditibus, Geometriæ Profeſſor cooptabatur, integro jure, quod in Collegio *Mertonenſi* habuit, ſervato.

Inter omnes verò illos extra Academiam, quorum amorem & benevolentiam ſibi conciliavit *Gravius*, maximè & primo in loco recenſendus eſt reverendiſſimus *Guilielmus Laudus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & Academiæ *Oxonienſis* Cancellarius, quo nemo retroactis ſeculis de Eccleſia Anglicana, nemo de illa Academia meliùs meritus eſt: quod omnes boni ſapienteſque grato ore agnoſcent & ſempiternis laudibus prædicabunt: omnes, inquam, præter exulceratæ mentis Presbyteranos, horrendi & in perpetuum lugendi ſchiſmatis fautores, reliquamque inſanientium Sectariorum, tanquam tot vermium ex iſta gangræna enaſcentium, colluviem. Ille Vir maximus *Gravium* pro ſummo, quo literas literatoſque fovebat, amore, ſuum eſſe voluit, & favore & patrocinio ſuo dignatus eſt. Præſenſerat enim, nil niſi eximium, verè magnum, & admirandum ab illo exſpectari potuiſſe. Non potuit ſanè dari major acriorve ad virtutem & induſtriam ſtimulus, quam à tali tantoque Viro amari & æſtimari.

Sed ignea vis mentis anguſtis *Londini* & *Oxonii* limitibus neutiquam erat coërcenda. Licèt enim diligentiſſimè excuſſis Bibliothecarum noſtrarum forulis, & frequenti familiarique eruditiſſimorum virorum converſatione domi ſapere didiciſſet, & *Anglos* ſuos nullis Gentibus in qua-

li-

licunque literarum genere hac ex parte ceſſuros probè habuiſſet compertum; longinquas tamen regiones inviſendi pectus adeo forti deſiderio percuſſum quotidiè ſentiebat, ut illi reſiſtendo omnino impar videretur. Conſilium laudaverunt amici, & præſertim reverendiſſimus Archipræſul. An verò circa hoc tempus, hoc eſt, circa annum 1636. quod veriſimilius videtur, an poſt reditum ex *Oriente*, *Pariſios* adierit, (certò enim conſtat ex Epiſtola dedicatoria, de qua poſtea, ad D. *Claudium Hardy*, illum ibidem aliquantiſper moratum fuiſſe) deinde *Lugdunum Batavorum*, ubi cum Viro celeberrimo *Jacobo Golio*, amicitiam contraxit, vix pro certo ſtatuere poſſum, utpote omni ope, qua hæc aliaque, licèt non magni momenti, erui queant, poſt dimidium ſeculum & ultra elapſum, deſtitutus. Non longâ autem deliberatione opus habuit, quò deſtinatum illud iter eſſet dirigendum, cum univerſa ſtudiorum, quibus aſſiduè erat intentus, ratio ſemitam longè antè patefeciſſet. Voluit nimirùm ipſos fontes, ex quibus omnis doctrina ad nos emanavit, *Orientem* & *Ægyptum* inviſere, ut locis, quos antiqui Scientiarum inventores præſentiâ ſuâ nobilitarunt, perluſtratis, illorumque obſervatis ad novum examen revocatis, paſſim disjectas antiquæ eruditionis reliquias colligeret. Jam non mediocri curæ erat quadrantes, ſextantes, automata, reliquumque inſtrumentorum, quorum in ſtellarum altitudinibus & diſtantiis, latitudinibus urbium, eclipſiumque momentis explorandis, & in pyramidibus dimetiendis uſus eſt neceſſarius, apparatum ſuis ſumptibus comparare; cùm Magiſtratuum *Londinenſium*, quorum honori & commodis in hoc itinere ſuſcipiendo erat quoque conſulturus, patrocinium fruſtra expetiiſſet. Veriſimillimum tamen videtur, (neque enim id negaverim) illum à D. Archiepiſcopo aliquomodo adjutum fuiſſe, qui diſceſſuro traditis in manum literis ad illuſtrem Virum, D. *Petrum Wichium*, *Conſtantinopoli* nomine Sereniſſimi Regis *Caroli* I. legationis munere fungentem, in illius gratiam conſcriptis, manuſcriptos codices bonæ notæ, ſive Arabicos, quovis pretio redimendi plenam poteſtatem dedit: qualem ille verè Φιλόβιβλος, de Bibliotheca *Bodleiana* iſtiuſmodi gazis locupletanda pro paterno in Academiam *Oxonienſem* affectu maximè ſolicitus, doctiſſimo Viro *Edwardo Pocockio*, in *Syriam*, linguæ Arabicæ inter indigenas Arabiſmi magiſtros excolendæ cauſa, eunti, paulò antè dederat.

Ita olim magno animo intimos *Ægypti* receſſus penetrarunt *Pythagoras*, *Eudoxus*, *Democritus Abderites*, *Plato*, *Strabo*, *Diodorus Siculus*, aliique ex vetuſtiſſimis ὁδοιπόροις, incolarum mores artesque, ſacri

ſacri cultus ritus & cæremonias, Hierophantarum ſcientias & ſymbolicam ſapientiam, ſub myſticorum characterum involucris abſconditam atque vulgari uſu remotam, telluris dotes, fœcundiſſimarum *Nili* undarum fermentationem, prodigioſas Pyramidum, Obeliſcorum, aliarumque ſubſtructionum moles, cæteraque, quibus à primis poſt generalem cataclyſmum ſeculis tellus iſta inclaruerit, admirando pernoſcendi ſtudio: quorum exemplum ſequi propoſuit *Gravius*, illorum veſtigia lento & ſolicito pede relicturus: utpote ſubſidiis ab univerſa Matheſi petitis, quam in *Petro Bellonio*, *Proſpero Alpino*, *Nicolao Chriſtophoro Radzevilo*, *Georgio Sandio* noſtrate, aliisque Viris clariſſimis, quorum itinerariis & deſcriptionibus *Ægypti* qualis qualis notitia, penè rudis ac valdè imperfecta, primo poſt renatas literas debetur, meritò deſideramus, inſtructiſſimus.

Hoc modo animatus A. C. 1637. ille navim in *Thameſino* flumine ad *Liburnum*, celebre emporium in littore *Tuſciæ* ſitum, jamjam rectà tendentem firmo vegetoque corpore alacrique mente petit: ubi exſcenſione in terram factâ, *Romam* properat, ibi aliisque in *Italiæ* urbibus, ut familiarem ſermonis iſtius politiſſimæ Gentis, qui omnium *Francorum* aliorumque in maritimis oppidis ditionis *Turcicæ* emporiisque degentium communis eſt, nanciſceretur, per ſemeſtre ſpatium moram tracturus.

Dum *Romæ* aderat, poſtquam palatia, baſilicas, Collegia, Monaſteria, columnas, porticus, aquæductus, hortos, reliquaque egregia ornamenta, quæ Urbi novæ ex Pontificum, nullis ſumptibus aut operæ ad ſummum iſtius gloriæ & pulchritudinis apicem abſolvendum parcentium, magnificentiâ jam per duo ſecula accreviſſent, curioſis oculis non ſine ingenti voluptate luſtraſſet, ſtatim venerandæ antiquitatis reliquias, quæ in ruderibus adhuc latent, penitiùs rimari indefeſſo ſtudio & incredibili mentis alacritate perrexit: nec quisquam facilè reperiendus erat, tantis præſidiis aut à Veterum ſcriptis hiſtoriisque, aut à Scientiis Mathematicis, aut à ſagaciori genio paratus & inſtructus, qui id meliùs aut accuratiùs præſtare potuiſſet. Hoc tantùm in genere dicam, quod mihi codicillos ejus & adverſaria verſanti compertiſſimum eſt, *Gravium* quicquid veterum monimentorum reliquum eſt ſæpè ſæpiùs penetrantibus oculis inveſtigantem, non tantùm epigrammata exſcripſiſſe, ſed in iisdem marmoribus & columnis metiendis & figuris delineandis, ut veteris architecturæ accuratio inde meliùs reprælentari poſſit, maximè verò in explorandis tum *Ceſtii* pyramide, tum Pantheo *Marci Agrip-*

pæ,

pæ', quod, *omnium Sanctorum* memoriæ jam conſecratum, *la Rotonda* nuncupant, ſummam curam adhibuiſſe. Cryptas quoque ſubterraneas ingreſſus, diuque, quantùm per caliginem craſſosque halitus inde exſpirantes licuit, illic moratus, multa, quæ aliorum ad res ejusmodi minus attentorum oculos ſolent effugere, digna cognitu obſervavit: nec quicquam ferè in ſcriptis adnotavit, niſi quod curioſam & eruditam indaginem ſaperet. Numiſmatibus reliquâque ſupellectile literariâ, in Principum virorum aut Collegiorum Muſeis repoſitis, non neglectis, imò diligenter quæſitis, antiqua pondera, vaſa, aliasque menſuras, quotquot ſupererant, ſedulò examinavit, ut inde de pede, ex quo tum veterum ædificiorum concinnitas & pulchritudo juxta proportiones Mathematicas Artisque perfectiſſimas regulas, tum locorum intervalla pendent, & de numiſmatum ſibi invicem collatorum valore certiùs conſtaret. Nec *Romæ* tantùm, ſed quocunque ſors fauſta illum tuliſſet, puta *Genuæ*, *Liburni*, *Piſis*, *Senis*, *Florentiæ*, *Conſtantinopoli*, *Alexandriæ*, *Cahiræ*, alibique, quaſi is eſſet non minimus itineris finis, pro more ſolenni in hiſce inſtrumentis communis juſtitiæ, quæ gentium commercia ex æquo moderatur, perſcrutandis diligentiſſimè verſatus eſt. Loca etiam olim celebria, regionesque circumcirca jacentes, ad *Terracinam* uſque, antiquitatis eruderandæ ſtudio, adiit: & quidem cum eodem felici ſucceſſu. Harum obſervationum quantilla pars edita! Ex hac autem vaſta congeſtæ materiæ mole, quàm pulchrum & magnificùm exſurrexiſſet opus, ſi quæque argumenta, quæ brevi verborum dimenſionumque compendio, annexa rudi ſciagraphia, ad adjuvandam memoriam, promiſcuè coacervantur, ſuo ordine ille, qui ſolus potuit, cum debito ornatu & amplum in modum, prout moris eſt, diſpoſuiſſet! Hic amicitiam iniit cum Viris clariſſimis & eruditiſſimis, *Luca Holſtenio*, *Athanaſio Kirchero*, & *Gaſparo Bertio*, celebri Aſtronomo, à quo edoctus erat, altitudinem poli *Romæ*, juxta obſervationes ope ingentis inſtrumenti *Claviani* olim factas, iterumque repetitas, fuiſſe quadraginta unius graduum & quadraginta ſex minutorum.

Gravius ſe *Roma Paduam* tranſtulit, mox *Venetias*, maris dominam, & propter ſitum in mediis lacunis planè admirandam urbem, viſurus. Inde amor imo & veneratio Patriciorum *Venetorum*, quos ob ſapientiſſimas leges, juſtitiæ & æquitatis ſtudium, patriæ amorem, & ejusdem tutelam contra univerſas *Turcici* imperii vires non ſatis mirari potuit, illius animo adeò altas egerant radices, ut eo uſque creverint, nunquam evellenda, adeo ut inſigne quoddam teſtimonium illius cordatæ obſervan-

vantiæ erga præclariſſimam Rempublicam in perpetuum exſtare in *Anglia* redux curaverit.

Cum eodem genio animati videantur Viri verè eruditi, & optimarum Artium callentes, amorque ex ſimilitudine ſtudiorum oriri & conciliari ſoleat, nec longis ambagibus quæſitisque parariis opus ſit, ut ſibi invicem innoteſcerent, familiaresque redderentur, ſeſe in magnorum Virorum, ubicunque acceſſerit, amicitias prudenti quodam conſilio inſinuavit *Gravius*; illi viciſſim, quanti eſſet amandus & æſtimandus, pro amore literarum & pro ſagacitate ſua facilè compertum habuerunt. Inter *Paduanos* Profeſſores, quos maximè amicos expertus eſt, eminuere *Franciſcus Urſatus*, *Joannes Rhodius Danus*, & *Andreas Morettus*, quorum egregiam humanitatem deprædicavit. Sed ab illorum familiari conſuetudine illum *Orientis* viſendi deſiderium, quod præcipuum erat hujus ſuſcepti itineris inſtitutum, citò abripuit. Ideo longum chariſſimis amicis valedicens, *Liburnum*, poſtquam per paucas ſeptimanas *Florentiæ* alibique ſubſtitiſſet, petiit, inde primo tempore *Conſtantinopolin* navigaturus.

Circa menſem Aprilem 1638. appulit Conſtantinopolim, ibi ab illuſtri Viro, D. *Petro Wichio*, tunc temporis Regis *M. Britanniæ* Legato, benigniſſimè, prout illius ſingularis virtus & commendatio Viri maximi, D. *Laudi*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, meruere, exceptus, uti etiam mox à reverendiſſimo Patriarcha *Cyrillo Lucari:* quorum utriusque ope & patrocinio in procurandis Græcis codicibus MSS. multùm adjuvabatur. Sed amicitiam cum hoc ſanctiſſimo Viro, & *Græcam* Eccleſiam à ſœdis dogmatum rituumque corruptelis, quas ſequiorum ſeculorum ſuperſtitio induxerat, purgandi ſtudioſiſſimo pariter ac cupientiſſimo, quaſi in ſemine exſtinxit illius triſtiſſimum acerbumque fatum, quod ex malevolentia artibusque calumniatoriis quorundam *Græcorum* Antiſtitum, quos ad hoc ſcelus perpetrandum Jeſuitæ, odio internecino contra *Cyrillum* perciti, ſtimularunt, juſſu Imperatoris *Amurathi* quarti, tunc in expeditione *Bagdadina* occupati, non multò poſt ſubire cogitur, utpote in *Propontide* non procul à litore à barbaris *Turcis* funiculo ſtrangulatus. Audiverat *Gravius* aure quidem faventiſſimâ, quod aliqui è *Græca* gente de Bibliotheca, quæ Imperatorum Chriſtianorum olim fuerat, in Palatii *Conſtantinopolitani* conclavibus ad iſtum diem ſervata ipſi coram retuliſſent. Sed nemini noſtræ religionis Symmyſtis loca iſta inacceſſa ingredi licet, ut certò conſtet, an theſaurus ille literarius illic exſtet nec ne: & ab iſtoc tempore latet, &, uti vereor, in ſempiternum

num latebit. Neque enim incertis inanibuſque *Græcorum*, qui ex vanitate affectata & ſtudio placendi res ſupra modum exaggerare, ne dicam ſuſque deque habita veritate excogitare, ſolent, tumuſculis fidendum eſſe puto: neque quicquam hac ex parte, dum in iſta Urbe degerem, diligenti exploratione expiſcari potui, quod vel leviuſculam illorum ſententiæ fidem conciliaret. Sed forſan quod in *Byzantio* deſideramus, *Athos* ſuppeditabit, cùm mons ille ſacer, longè ante everſum *Græcorum* imperium, à ſolis Monachis, rerum cœleſtium contemplationi deditis, & orationibus lectionibuſque ſacris horas impendentibus, quorum diſcipuli & alumni, longo ordine ſuccedentes, in illius arduis editiſque jugis, hodie ab omni ſtrepitu, tumultu, & rapina immunes, & quaſi à mundo ſecluſi, degunt, incoleretur: ubi fas eſt credere, nec id à veriſimili omninò abhorret, codices vetuſtos, ſi qui olim fuiſſent, à rapacibus *Turcarum* manibus intactos, integros hodie ſupereſſe & relinqui. Hoc titulis opibuſque, quibus fruuntur, dignum præſtabunt magni aut Principes aut Præſules, ſi, quibuſdam Viris idoneis ad iſtos ſeceſſus explorandos miſſis experiri vellent, an damnum iſtud, quod Chriſtianus orbis dudum luxit, &, niſi iſti malo hiſce præclaris auſibus obviam eatur, uſque & uſque lugebit, ex defectu codicum manuſcriptorum, maximi usûs & momenti, præſertim in rebus Eccleſiaſticis, quorum veteres Scriptores, putà *Euſebius*, S. *Hieronymus*, & *Photius* meminere, ortum, illinc reparari poſſit. Illò ſibi eundem eſſe propoſuit *Gravius*: ſed neſcio quis infelix caſus conſilium iſtud primò interturbavit: & poſt planè irritum reddidit. Quod de meipſo quoque dicendum mœrens habeo. Quædam verò, licet perpauca, digna ingenio, ſolertia, & ſedulitate ſuâ, quæ, dum per quinque aut ſex menſes *Conſtantinopoli* egerit, collegiſſet, ex ingenti obſervationum acervo delibata, tandem aliquando edenda curabo.

Ineunte Septembre, *Conſtantinopoli* relicta, navim adſcendit, *Alexandriam* rectà petiturus: ſed cum ſive ventis adverſis acti, ſive potabili aqua deſtituti, *Rhodum* appuliſſent, ille exſcenſione in terram facta, ſumpto *Gemmæ Friſii* aſtrolabio, cùm ampliori inſtrumento uti non auderet, ne efferis *Turcis*, malas ſuſpiciones qualicunque prætextu alentibus, calumniandi, remque iſtam, cujus erant imperitiſſimi cenſores, male interpretandi daretur occaſio, polum ſupra horizontem triginta ſeptem gradibus & quinquaginta minutis illic attolli obſervavit.

Tandem mare iſtud interjectum emenſus, *Ægyptum*que auſpicatò pertingens, in urbe iſta celeberrima ab *Alexandro Macedone* condita,

inque magnificis ipſius ruinis venerabili, per quatuor aut quinque menſes, paucis excurſionibus ſubinde interruptos, moratus eſt, ubi quicquid in cœlo, quicquid in terra, vel ſubtus terram in cavernis cryptiſque, rarum aut eximium eſſet, erudita & ſapienti diligentia exploravit: qualem quoque *Cahiræ* alibique in tellure iſtâ rerum mirabilium, ſive eæ ad naturam, indolem, & conſtitutionem ſoli & climatis, ſive ad artem veterumque Regum & incolarum ingenium referantur, abundè feraci conſtantiſſimè adhibuit. Supervacanei foret laboris hîc quaſi anticipando recenſere obſervata ejus de obliquitate Zodiaci, de altitudine poli, de temperie aeris, de variis meridianis tum ſolis tum quarundam ſtellarum è fixis celebrium, puta Spicæ virginis, Canobi, & aliarum altitudinibus, maculis Solis ejuſque diametro, de eclipſi Lunæ, ejuſdemque à quibuſdam fixis ſtellis diſtantiâ, de declinatione acûs magneticæ, de alveis *Nili*, de obeliſcis illorumque figurationibus hieroglyphicis, de puteis, de cadaveribus ante bis mille annos conditis, de nitro in eremo S. *Macarii*, lapide Ætite, aliiſque, quæ ad Aſtronomiam, Geographiam, naturalemque Hiſtoriam ſpectant: ea enim omnia in appendice novæ editionis opuſculorum illius longè commodiùs & meliùs collocabuntur.

Nondum exſtabat accurata vel quoquam modo laudabilis Pyramidum, quas veteres *Græci* inter ſeptem mundi θεάματα ſeu *Spectacula* (quo vocabulo uti etiam maluerat *Vitruvius*, optimus artis Architectonicæ magiſter & inſtaurator) meritò recenſuere, deſcriptio. Hactenus volupe fuerat peregrinantibus inſanas iſtas ſubſtructiones giganteaſque moles oculis attonitis coram intueri, illarumque ambitum paſſibus, quantum progredi aut circumire licebat, craſſe admodum metiri, & greſſus, quibus aſcenditur ad faſtigia, numerare, reliquaque obvia, quæ cujuſvis vel incurioſi oculis ſeſe ſolent ingerere, tum quoad externam illarum fabricam, tum quoad internas cavitates, in ſuis itinerariis adnotare, quibus Philoſophorum Mathematicorumque curioſitati & exſpectationi neutiquam erat ſatisfactum. Ex illorum enim periculis hoc tantum conſecuti ſunt, Pyramidas, quarum meminere *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Strabo*, *Plinius*, aliique, ab edacitate temporis & terræ motibus per tot ſecula ſervatas adhuc in ſolitudinibus *Libyæ*, non procul à *Memphi*, ſupereſſe; interim quales ſint, quibuſque dimenſionibus revera conſtent, penè omnino neſcii, inexploratis utpote calculis moduliſque, nullaque exquiſita delineatione præſtitâ, quorum ſubſidio debitaque applicatione judicium de illarum conſtitutione, pulchritudine, & artificio ri-

ritè formari poſſit. Hoc quicquid eſt gloriæ, quicquid eſt utiliſſimi operis, induſtriæ & ingenio *Gravii* relinquebatur conſummandum, qui quod deſideraverint eruditi, benè noverat, & id in effectum dare optime potuit. Hac igitur de cauſa, relictâ *Alexandriâ*, *Kahiram* profectus, tres illas celebriores Pyramidas adverſa parte *Nili* ſemel tantum vidiſſe & luſtraſſe 1638. non contentus, poſt menſem unum & alterum iter iſtud remenſus eſt, 1639. ut obſervationes prius factas ſecundis curis ad rigidum examen revocatas, ſeveriori limâ perpoliret, paritèr in utraque indagine diverſis inſtrumentis, potiſſimùm verò radio decem pedum in decies milleſimas partes ſumma cum cura diviſo, inſtructus. Quàm præclarè autem hanc præcipuam itineris in *Ægyptum* ſuſcepti partem conſiliumque impleverit, id poſt editam Pyramidographiam neminem latere poteſt, niſi qui omnis politioris literaturæ expers ſit, aut vix quippiam de obſtupeſcendis iſtis ſepulchralibus Regum *Ægyptiacorum* monimentis vel fando inaudiverit.

Codicibus manuſcriptis, *Græcis*, *Arabicis*, *Perſicis*que (quorum ſaltem præcipuorum catalogum ad D. D. *Hardy* & *Golium* illorum rogatu poſtea miſit) gemmis ſculptilibus, icunculis, numiſmatibus, aliiſque ſpoliis literariis, quæ ex barbarorum manibus redemerat, auctus onuſtuſque, *Liburnum* circa ſolſtitium æſtivum anni 1639. reverſus eſt, moxque *Florentiam* repetivit, ubi Sereniſſimo Principi *Ferdinando* ſecundo, magno Duci *Hetruriæ*, cui carmen paræneticum, paulò ante in *Alexandria* muſis faventibus conditum, ut ultimos iſtos maris mediterranei receſſus, Piratarum huc illuc myoparonibus triremibuſque ſuis undique excurrentium infeſtationibus obnoxios, pacare vellet, inſcripſerat, gratus, & ab Aulicis ob ingenii & eruditionis, quas non ita pridem explicaverat, opes, & præcipuè ob feliciſſimum itineris *Ægyptiaci* ſucceſſum, in honore erat habitus. Inter illos autem maximè coluit amicitiam illuſtris Viri, D. *Roberti Dudleii*, (qui in *Italiâ* communiſſimè Dux *Northumbriæ* nuncupabatur) plurima apud *Ferdinandum* pollentis gratia, & ab eodem amplis aucti reditibus, quo majori cultu titulum iſtum ementitum tueretur, ſtudiiſque Aſtronomiæ, Geographiæ, Artis Nauticæ, aliarumque Scientiarum, quas vaſta mente complexus eſt, abſque aliquo rei familiaris incommodo promovendis pertinaciùs incumberet. Cum illo frequentes de re literaria ſermones miſcuit *Gravius*, mora, quam in iſta urbe pulcherrima fecerat, inde jucundiori reddita. Neſcio, an ſit adnotatu dignum, D. *Dudleium* coram retuliſſe, polum, diligenti obſervatione habita, refractionibuſque & parallaxi juxta

methodum *Tychonianam* admiſſis, gradibus quadraginta tribus, & quadraginta ſex minutis illic elevari. Poſt, relictâ *Florentiâ*, *Romam*, Reginam Urbium, remeavit, ibi quoque antehac obſervata novis curis recogniturus, & plura aliquot menſium morâ additurus. Sed deſiderio reviſendæ patriæ, hiſce placidiſſimis ſpeculationibus ac innocentiſſimis deliciis, quibus conſuetudo cum Viris ſapientibus eruditiſque, in tranſmarinis regionibus contracta, ſtudioſorum virtutis & literarum mentes perfundit, ſæpe ſæpius intercurrente, de reditu in *Angliam* cogitat, quò, nave in portu *Liburnenſi* conſcenſa, & trajecto iterum freto *Herculeo*, æſtate anni 1640. felix ſalvuſque appulit, gratulationibus amicorum, qui longam tam chari capitis abſentiam non ſine anxio animi æſtu tulere, tum *Londini*, tum *Oxonii*, exceptus.

Sed en fatalem quaſi remoram ipſius ſtudiis injectam, mentiſque ardori frigus affuſum! Triſtis vidit, omnia turbari cœpiſſe: *Scotos* rebelles, impio fœdere contra clementiſſimum Regem ſociatos, nuper, conſcripto milite, *Angliam* invaſiſſe, nec poſt *pacificationem*, inaniſſimis cavillationibus arreptis, diu quietos fore: quoſdam è Proceribus *Anglis*, populari aura tumentes, maliſque affectibus percitos & exacerbatos, novis quoque rebus ſtudere: cives *Londinenſes* alioſque, præſtigiis Puritanorum à doctrina, fide, & ritibus Eccleſiæ *Anglicanæ* abalienatos, variiſque terriculamentis extra ſe raptos deluſoſque, fremere, quaſi illico de Religione Proteſtantium, ni vi armata ipſi vindicandæ ſuccurreretur, actum eſſet: horrenda mendacia diabolicaſque calumnias in optimum Regem, quaſi Pontificiorum partibus faviſſet, legibuſque, quas nemo unquam è Deceſſoribus aut ſolicitiùs aut ſanctiùs coluit, conculcatis, ad imperium deſpoticum adſpiraſſet, ubique ſparſas: murmurationes inde excitatas, ſeditioſoſque tumultus paſſim graſſari, cæteraque prænuntia & ſigna apertæ & non amplius celandæ rebellionis, quæ contra omne fas juſque divinum & humanum, ſub fallaciſſimo religionis reformandæ juriumque populi *Anglicani* tuendorum prætextu, auſpiciis Parlamentariis, protinus erupit: reverendiſſimum denique *Laudum* ſpurciſſimis convitiis & criminationibus ab efferata plebe viliſſimiſque Miniſtellis, horrendi ſchiſmatis, quod adhuc luimus, auctoribus, qui clam in conventiculis ſuis latebroſis, mox ex ſacris roſtris ore impudentiſſimo claſſicum ad bellum hoc tanquam ſacrum contra Regem Epiſcopoſque ineundum publicè cecinißent, impactis primo impetitum, mox carceri addictum, & deinde conſpirantibus Presbyteranis, *Anglis Scotiſque*, utriſque infenſiſſimis Eccleſiaſticæ hierarchiæ oſoribus, capite

te plexum, in quo maximum ſtudiorum ſuorum præſidium collocaverat *Gravius:* hæc omnia ille, inquam, triſti oculo & anxia mente vidit, ut per hæc perturbatiſſima tempora de libris, quos meditatus eſt, in lucem producendis vix cogitare licuerit. Aliò animum avocabant pericula, quibus Regiarum partium, quas ille integerrima fide tuitus eſt, ſequaces erant obnoxii. Cùm verò Rex *Carolus* cum exercitu *Oxonium*, ubi per tres quatuorve annos caſtra ſtativa habuit, & quo ſecuritatis cauſa Regina, ſereniſſimi Principes, *Carolus* & *Jacobus*, celſiſſimi Principes, *Rupertus* & *Mauritius*, ac Nobiles quamplurimi cum ſuis familiis à Parlamentariis copiis fugati, convolarunt, perveniſſet, Academici, togas ſagis militaribus commutantes, libriſque abjectis, gladiis & ſclopetis armati, pro Eccleſia *Anglicana*, pro religione, preque aris & focis ſtrenuè dimicarunt, literarum ſtudiis, quæ ſolis pace & otio aluntur, ſi non penitus ceſſantibus, ſaltem per hæc obſtacula valdè imminutis ac intermiſſis.

Inter hoſce bellicos tumultus vitam in ſuis ædibus *Oxonienſibus* menſe Novembri 1643. explente viro doctiſſimo, *Joanne Bainbrigio*, Medicinæ Doctore, & Aſtronomiæ Profeſſore *Saviliano*, non diu inter illuſtriſſimos Dominos Electores, à D. *Savilio* conſtitutos, quotquot tum in Aula Regia aderant, maximis regni muneribus admoti, de ſubſtituendo Succeſſore diu erat diſceptatum. Illorum oculis penè quotidie intercurrebat *Gravius*, quo neminem, aut ob fidem intemeratam Regi ſervatam, aut ob univerſæ Matheſeos peritiam, qui cathedram vacuam impleret, digniorem, unanimes judicarunt. Illum ab his nominatum & electum eodem menſe ad præclarum iſtud munus Profeſſorium, ſolenni more, juramentis juxta legum & ſtatutorum Univerſitatis normam prius præſtitis, admiſit Vicecancellarius. Sed cùm flagrante rebellione proventus è latifundiis quotannis à colonis, ex rapinis & excurſionibus militum plurimum damni paſſis, percipiendus valdè imminueretur, illius Amici à ſereniſſimo Rege, qui τὸ ἀκριβοδίκαιον temperare, & mollius, quod æquum ſuadet, interpretari ex vi prærogativæ debitæ & à corona indivulſæ jure potuit, facultatem impetrarunt, ut jus iſtud in ſodalitio *Mertonenſi* olim acquiſitum, & per tot annos productum, quo aliter poſt ſex menſes ex rigore ſtatutorum *Savilianorum* tuiſſet exuendus, ipſi ſartum tectum & illæſum conſtaret: quod quidam rigidiſſimi Cenſores, in rebus maximi momenti tum vitæ tum conſcientiæ ſolutioris merito poſtulandi, nullo temporum diſcrimine, nulla circumſtantiarum ratione habita, malè criminati ſunt.

Cùm

Cùm ſermones inter Viros magni nominis & apud Regem auctoritatis de emendando Calendario Juliano familiari converſatione, quaſi animi laxandi cauſa, agitarentur, *Gravius*, poſthabitis cæteris, quibus iſti incommodo occurrendum eſſe olim putaverint, methodis, confuſionis vitandæ cauſa, & ut qualeſcunque lites, decem diebus ſimul exemptis, inde ex verſutia vitilitigatorum orituræ, tollerentur, propoſuit, ut nullus per quadraginta annos continuos, qui omnes forent æquabiles, biſſextilis dies intercalaretur. Conſilium iſtud, quod compendio deſcriptum exhibuit, (quale etiam *Gregorio* XIII. Pontifici Romano à quibuſdam eruditis Mathematicis olim proponebatur) Regi & A. 1645. Conſiliariis mirè placuit: ſed res iſta longè alia tempora poſtulabat. Tum enim de vitâ & ſalute Regis & Regiæ familiæ, de tutela Eccleſiæ *Anglicanæ* & Academiarum, deque juribus fidelium ſubditorum tuendis contra rebelles & ſchiſmaticos agebatur, nec iſtiuſmodi minutiis vacare licebat. Sed ut rem paucis contraham: neque enim Annales aut Hiſtoriam iſtorum temporum ſcribo, quam hîc carptim & ὡς ἐν παρόδῳ attigi, quatenus inde vita *Gravii* elucidanda videbitur.

Poſtquam optimi Regis, Deo, ſummo rerum arbitro, *cujus judicia ſunt incomprehenſibilia, & viæ ininveſtigabiles*, ita permittente, copiæ militares in funeſtis præliis prope *Eboracum* & in Campis *Naſebeyenſibus* infeliciſſimè initis acciſæ & fractæ concidiſſent, nunquam poſteà inſtaurandæ, & ipſe Rex, alieno amictu indutus, noctu relicto *Oxonio*, ineunte Maio, A. 1646. ad ſuos *Scotos* (utinam ſuos! qui poſtea illum, numeratis pecuniis, confœderatis rebellibus perfidiſſimè tradiderunt) confugiſſet, Regii, provida & ſapienti cura, ne Bibliotheca *Bodleiana* Scholæ publicæ tormentis à vicino monte explosis ſolo æquarentur, neve exercitus *Fairfaxianus*, è colluvie Sectarum conflatus, irruptione, quam interminati ſunt, facta, pro innato in bonas literas & Academiam odio, omnia ferro & igni miſcerent, cùm ne minima quidem Urbem ab obſidione liberandi ſpes affulſerit, illam, honeſtiſſimis, & quas viros bellica virtute præſtantes in iſtiuſmodi anguſtiis conſtitutos non dedecebat amplecti, conditionibus impetratis, invitiſſimi licèt, oppugnantibus 24. Junii 1646. dediderunt. De malis in Academicos certò caſuris, & penè imminentibus, non uno triſti omine erat augurandum. Senatores enim *Weſtmonaſterienſes*, quorum auctoramento, quod planè nullum erat incitati maleſani cives, in legiones & turmas diſpertiendi, ad arma furibundum in modum concurriſſent, cùm antea Eccleſiæ *Anglicanæ* liturgiâ, juriſdictione, & ritibus omnino everſis, & epiſcopa-

patu abrogato, in ſacrum patrimonium involaſſent, ut ſibi ſuiſque ſacrilega iſta præda, inſulſiſque in rebus ſacris innovationibus utendi fruendique ſecuritatem præſtarent, tandem de reformanda, ſi Dis placet, Academia *Oxonienſi* decretum, jam, captivo innocentiſſimo Rege, rerum potiti, condidere. Commiſſarii, quos *Viſitatores* nuncupant, armatâ poteſtate inſtructi, *Oxonium* amandantur. Hi verò in imperatis faciendis neutiquam ſegnes, plurimos Collegiorum Præfectos, Profeſſores, Socios, alioſque inferioris gradus, ſuis muneribus, ædibus, fundis contra omne jus exuunt; & quidem non ſine inſultatione & feritate maximâ: aliis ſub cuſtodia militum detentis, aliis carceribus mancipatis, aliis denique indictâ horâ tympani pulſu extra Academiam & Urbem exire juſſis: aliter cum ipſis tanquam exploratoribus & malæ fidei in hoſtico ſuſpectis militaribus pœnis agi oportere. Si interrogaverint Exteri, quale crimen, quam grande & atrox, hiſce *Oxonienſibus*, (nec mitius fatum ſubiere *Cantabrigienſes*) vera & ſolida pietate, Religionis Reformatæ juxta civilium & eccleſiaſticarum legum normam ſancitæ amore & zelo, morum probitate, & ſumma eruditione inſigniſſimis & perquam venerandis, fuerit impactum, bona fide referam. Nolebant nimirum fidem Regi datam ejurare, & animas voluntario perjurio polluere: nolebant *ſolennis*, ut appellatur, *ligæ & fœderis*, quod erat perfidiæ & iniquitatis vinculum, articulis fictâ ſubſcriptione aſſentiri: nolebant denique tyrannicam iſtam, quam arripuerant Rebelles, dominationem, & impiiſſima quæque facinora, contra Regem, *Unctum Domini*, contra Eccleſiam, & contra concives perpetrata, inhoneſtâ ſubmiſſione approbare. Inter hoſce egregios Viros, qui fortunas ſuas, libertatem, imò & vitam illibatæ fidei integræque conſcientiæ paci poſtpoſuerint, eminuit *Gravius*, cui, ne in illum abſque aliquo prætextu ſævire viderentur, frivola quædam, putà de pecuniis in Collegii ærario repoſitis, ipſo indicante & procurante, Regi, ferè ad ſummam inopiam redacto, qui fide interpoſitâ mutuo acceperat, cum fœnore redditurus, traditis; de familiari converſatione cum quibuſdam Sacerdotibus, qui Reginæ in iſto Collegio degenti erant à ſacris, eo nimirum, quod unum aut alterum convivio exceperit, & Bibliothecam ſubinde intrandi ſtudiorum causâ dederit licentiam, habitâ: de litibus cum *Brento* Cuſtode, ob læſam fidem Regi debitam ejecto, & cum Conſociis Presbyteranæ factionis, mox in caſtris Parlamentariis transfugis, non ita pridem agitatis, & ejuſmodi, objecere, ut mirandum ſit, hoſce Cenſores ſuæ ſtultitiæ & futilitatis pariter ac nequitiæ nullatenus puduiſſe. A. 1648.

Rebus poſt *Oxonii*, jam inde Presbyteranis, Independentibus, cæteriſque Sectariis oppleti, deditionem maximè deploratis, ad amoliendam animi ægritudinem *Londinum* profectus eſt *Gravius*, libris edendis tunc admodum intentus: quos hic juxta ſeriem temporis, quo editi erant ſingillatim recenſebo, additis interſperſiſque ſubinde quibuſdam obſervationibus, quæ ſingulorum argumentis explicandis & illuſtrandis forſan non inutiles parumve neceſſariæ videbuntur.

I. *Pyramidographia, ſive Deſcriptio Pyramidum in Ægypto.* Londini 1646. in 8°. Anglicè.

Libellus hic verè aureus ab omnibus, qui literaturam politiorem ſtudiumque Antiquitatum *Ægyptiacarum* excoluere, erat impensè expetitus, ſummoque cum applauſu exceptus. Hunc nemini inſcribendum voluit, utpote verè magno Archiepiſcopo, D. *Laudo*, funeſta morte perquam nefariè multato, cui, honoris, obſervantiæ, & gratitudinis causâ, illum, ut puto, deſtinaverat. Antequam verò ſumma hujus præclariſſimi libri, in quo multa curioſa quidem, & *Europæis* antea planè incognita continentur, capita in breve compendium retulero, Lectorem præmonendum duco, doctiſſimum *Gravium* ſolas tres iſtas celebriores Pyramidas in arenoſis *Libyæ* ſolitudinibus ad occidentale *Nili* littus collocatas, & à Veterum *Memphi* quatuor aut quinque milliaribus diſſitas, quarum meminere *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Strabo*, *Plinius*, *Mela*, aliique, in hoc Opere deſcribendas ſuſcepiſſe. Multæ enim aliæ in iſta inculta ſterilique planitie hinc inde longa à ſe invicem intercapedine, prout, ſi mihi *Ægyptum* nunquam ingreſſo conjecturam interponere cum venia liceat, ſaxum, cui imminent, permittebat, (neque enim poſituræ & ſitus alia ratio videtur) disjunctæ hodie quoque comparent: admirandi quoque operis, licet minores, ſi unicam ad auſtrum paulò occidentem verſus inclinantem, magis introrſum, viginti millium paſſuum intervallo, conditam excipiamus, quæ maximæ harum trium meritò æquiparanda, omni memoria perquam digna videtur. Hanc vero cæteraſque omnes, infra viginti, (neque enim plures oculis undiquaque vagantibus ac circumrotatis numerare potuit) à longinquo intueri contentus, tempus, ingenium, & induſtriam ſolis his tribus explorandis impendebat. De harum præcipuè aliarumque, quas vetuſtas abſorpſit, conditoribus, ex *Græcis*, *Latiniſque* vetuſtioris ævi, item ex *Arabicis* Scriptoribus (hi enim omnes de illis, quas in *Libyca* ſolitudine, qua ad auſtrum terminatur *Ægyptus*, hodie

die exſtare dixit, ſi non prorſus ſilent, ſaltem parciſſimè loqui videntur) primo agit: mox de tempore, quo erant conditæ, interſperſis multis de Regum *Ægyptiacorum* chronologia, de *Joſephi* & *Moſis* temporibus, de *Iſraelitarum* exitu ex *Ægypto*, Regumque *Judaïcorum* à jactis templi *Solomonici* primis fundamentis ad uſque excidium ab *Aſſyriis* invectum ſucceſſione, ex Scriptorum Gentilium hiſtoriis illuſtrata, reliquiſque cognati argumenti, ut inde plauſibilioribus conjecturis ductus, ſententiam ſuam in aſſignandis dynaſtiis, quando ſtupendæ iſtæ moles primùm erigerentur, hac de re, ſi non omnino certam, ſaltem quæ minus à vero abeſt, firmaret. Demum, veram cauſam finemque, quam in exſtruendis hiſce pyramidibus ſibi propoſuerint Reges *Ægyptiaci*, ſubtili ingenio rimatur. Neutiquam verò vana futiliſque hæc diſquiſitio & cura haberi debet, imò potius perquam digna viſa eſt, quæ à tanto Viro ſedulò exerceretur. Nemo enim harum rerum paulò intelligentior facilè *Plinio* conceſſerit, hanc *Regum pecuniæ otioſam ac ſtultam oſtentationem fuiſſe*, multò minus illos laborioſas millies millium ſubditorum manus pro ſapientia ſua ac ſecuriùs dominandi ſtudio conduxiſſe, ne ſi otiarentur, ſibique ſolis domi in urbibus oppidiſque vacarent, *gens* utpote *levis*, *pendula*, *& ad omnia famæ momenta volitans*, ut de *Ægyptiis* ſui temporis loquitur *Hadrianus* Imperator in epiſtola ad *Servianum* Conſulem apud *Vopiſcum* in *Saturnino*, excuſſo ſervitutis jugo, turbatiſque rebus, tumultus ac ſeditiones cierent, quaſi non aliter vi, armis, diſciplina, aut legibus in ordinem fuiſſent cogendi. Sed commenta hæc inania, mero inter recitandum ſpiritu diffflanda, nulla refutatione egent. Rectiùs ergo plerique omnes Scriptores, tum *Græci* tum *Arabes*, hæc eſſe ſepulchralia Regum & Reginarum *Ægypti* monimenta, quæ vivi facienda curarunt, ut in illis repoſiti, immortale decus ſibi ſuiſque conciliarent. Sed hæc vulgaria mentis parùm attentæ inque profunda rerum haud penetrantis cogitata neutiquam placuere *Gravio*, qui ex *Ægyptiorum* Theologia oſtendit, juxta hos animam non alio tranſituram, quamdiu corpus oſſibus & carne integrum, & à mucore, vermibus, putredine intactum perduraverit, indeque, ut perpetuo & indivulſo nexu ſibi invicem hi duo comites adhæreant, morem iſtum condiendi cadavera originem duxiſſe videri. Hanc mortuos medicandi methodum artemque, quæ *Ægyptiorum* peculiaris erat, juxta *Herodotum* & *Diodorum* fusè explicat *Gravius*, additis doctiſſimis Commentariolis, in quibus quoque de idolis ſeu imagunculis diverſæ materiæ, de iſtis medicaminibus, de faſciis, de pan-

niculis linteis, de characteribus ſacris ſive figuris hieroglyphicis, & de ſandapilis ſuo more doctè & ſolerter diſſerit. Veruntamen nil miri eſt, quod *Ægyptii*, & potiſſimùm Reges Magnateſque, hac ſuperſtitione imbuti, &, ne aliqua labes, qua corporis integri compages corrumpi poſſet, maximè caventes, ejuſmodi conditoria, quæ regii nominis gloriæ & majeſtati aliquatenus reſponderent, exſtruxiſſent, ut in omnem poſteritatem, quaſi extra vim fati temporumque viciſſitudines poſita, permanerent; nec minor aliorum, licèt gradu longè inferiorum, mentibus, tum corpora ſimili conditura ab omni marcore & vitio integra conſervandi, tum domicilia in hypogæis ſive cryptis, quas Chriſtiani nuncupant *Mumias*, in eadem ſolitudine excavatis ab omni violentia muniendi inſidebat parilis ſolicitudo. Quod verò ad figuram Pyramidalem, quâ ſurgunt conſtantque iſtæ moles, ſpectat, de illa multæ apud *Pierium* exſtant putidæ hariolationes ex illius proprietatibus deſumptæ, quaſi ſacra quædam religionis & Philoſophiæ arcana in ſe continuiſſent: quas tamen vel maximè religioſus ipſis conditoribus nunquam in mentem veniſſe certa fide juraverit. Hiſce rejectis, *Gravius*, unam & alteram conjecturam, ingenio ſuo uſus, ſubſtituit, hoc modo illud ab *Ægyptiacis* Regibus ordinari & fieri, vel quod ejuſmodi ſtructuras, contractis nimirum diminutiſque, donec in anguſto faſtigio conicè deſinant, lateribus, ſuperincumbentibus ſaxis minus premi, minuſque pluviis faciliùs inde defluentibus obnoxias fore putaverint, vel quod infanda idolomania occæcati, quædam Numina ab ipſis culta, aliarum gentium, quæ columnas & obeliſcos Dis ſuis dedicarunt, ritu, ita repræſentari voluerint. Sed mihi longè ſimplicior ratio aſſignanda videtur, hoc figuræ genus, citra qualecunque myſterium, quod aut pro mentis ſolertia, aut pro fingendi libidine aliqui excogitaverint, juxta proportiones Geometricas adaptatum, cæteris omnibus ab Architectis matura deliberatione antepoſitum fuiſſe, tum ut ampliori area à quadrata baſe occupata, ab omni latere moles, pulchrior inde paribus angulis exſurgens, à longinquo videretur, tum præcipuè, quod, cùm eſſet prodigioſæ altitudinis, illa non niſi lateribus ſibi invicem ſenſim inclinatis probè ſuſtentari potuiſſet. Sed judicent, prout lubet, peritiores.

Cùm verò ex fide & auctoritate veterum Hiſtoricorum & rei ipſius veritate, quam oculati teſtes, inſpectis in interiori receſſu ſubtus diſpoſitis conclavibus, firmarunt, has celeberrimas ſubſtructiones Regum ſepulturis deſtinatas fuiſſe omnibus hactenus ſit perſuaſiſſimum,

mum, unicus repertus fuit (a) *Hervartus*, qui solus hac ex parte sibi sapere visus, omni antiquitate spreta, Pyramidas ad reprimendas *Nili* eluviones, ne fœcundæ illius aquæ ab agris fertilibus, aliter ingens damnum passuris, in arenosum illud solum, cui inædificantur, impetu suo ferrentur, illic exstructas fuisse contendit. Sed num cuiquam credibile videbitur, Pyramidas vice aggerum exundantibus undis oppositas objectasque fuisse, & in illis exstruendis Reges *Ægyptiacos* hunc solum in finem, qui absque istis immodicis sumptibus facilè obtineri potuit, regni opes exhausisse? unde ista relinquitur inter pyramidas & alveum intercapedo? cùm prope ripas continua pilarum aut tumulorum terræ saxis munitorum series faciliori opera melius successisset. Sed quo pacto præstabit, aquas unquam eo usque cucurrisse? unde fit, quod nulla aquarum in istis intermediis relictisque solitudinis *Libycæ* spatiis, ubi liber patet ingressus, huc usque fiat inundatio? Ita nimirum immodicus iste novarum opinionum amor viros doctos interdum extra se solet abripere, ut judicio sobrio in erroribus suis, nimio calore conceptis temereque effusis, castigandis uti neque possint neque velint. Sed reprimo me, & ad *Gravium* redeo.

Præmissis hisce dissertationibus, ad distinctam harum trium Pyramidum sciographiam & descriptionem, quod erat præcipuum hujus Opusculi institutum, summa industria, ingenio, & solertia prosequitur, cujus nullam deflorationem hîc dabo: quicquid enim spectat ad singulorum laterum à base quadrata, triangulis pari intervallo mutuo propendentibus, surgentium in longum extensionem: summi fastigii altitudinem, illiusque latitudinem: (neque in puncto, Pyramidum Mathematicarum ritu, terminatur) graduum mensuras, & inter se intercapedinem non semper æqualem: crassitiem lapidum politorum, ex quibus singuli consistunt: internas maximæ Pyramidis cavitates & partitiones; de quibus aut penitus silent, aut parcissimè loquuntur veteres *Græci Latini*que Scriptores, superstitione & metu impediti, ne arcana ista mortuorum conditoria, aut ingressu, aut propalatis in vulgus narrationibus, temerare viderentur: vestibulum, vias omnes quasi cuniculares, illarumque varios descensus & ascensus: porticus, puteos, cameras seu cryptas arcuatas, cum illarum pavimentis, parietum incrustationibus, & lacunaribus: & præcipuè illam maximè insignem, arcam ex in-

(a) *Joannes Fridericus Hervartus* in admirandis ethnicæ Theologiæ mysteriis propalatis. cap. XXI. *Ingolstadii* 1623. 4°.

tegro marmore excavatam, in quâ Regis *Cheopis* corpus recondebatur, continentem: diverſas marmoris ſpecies: cameras ex rupe exciſas, juxta duo latera ſecundæ pyramidis parallelis lineis procurrentes, denique quibus modis, quali arte, quibus machinis ferramentiſque ſaxa tam vaſtæ molis gravitatiſque ad tantam altitudinem erigi potuerint: hæc omnia, inquam, aliaque curioſo eruditoque Lectori perpendenda relicturus. *Gravianam* hanc deſcriptionem Gallicè verſam primo magnæ ſuæ Itinerariorum & Obſervationum tum mari tum terra factarum Collectionis tomo, V. V. Cl. *Hacluiti* & *Purchaſſii* noſtratium induſtriam ſapienter æmulatus, præfigendam voluit D. *Thevenotus*. Dolendum ſane eſt, doctiſſimum Auctorem præclariſſimum hoc Opuſculum & alterum, de quo mox dicturus ſum, vel auro contra æſtimandum, Latinè non edidiſſe, aut neminem ſaltem publicæ utilitatis ſtudioſum operam vicariam hac ex parte hactenus præſtitiſſe. Ne verò deſideratiſſimo hoc Opere uſque deſtituatur cultior *Europa*, fortaſſe ipſe tandem aliquando curabo: neque enim quicquam certi, in re licèt levicula & haud magni laboris, auſim promittere, cùm per ætatem, per valetudinem, per avaritiam & μικροψυχίαν Bibliopolarum, per denique funeſta, quibuſcum mihi confligendum eſt, tempora id quidem vix liceat.

Tantum in genere & ſummatim dicam, *Gravium* omnibus Scriptoribus, (ne Antiquis quidem exceptis) qui ipſum præceſſere, & qui jam per ſexaginta annos ſecuti ſunt, palmam, quamplurimis, quæ aut neglecta aut inobſervata antea latuiſſent, in lucem productis, novo ingenii ac ſolertiæ exemplo omnibus in longinquas regiones, naturæ aut artis humanæque induſtriæ admiranda inviſendi causâ, profecturis propoſito, hac ex parte præripuiſſe.

Non hîc celandum arbitror, Virum quendam doctiſſimum, quem honoris causâ non nomino, mox poſt editam *Pyramidographiam*, breves in illam animadverſiones, in quibus obſervationes *Gravianas* reddere incertas, illarumque fidem, quaſi aut inſtrumenta aliquatenus laboraſſent, aut circumſtantiis, quas ſumma accuratio exegerit, omiſſis, non rectè fuiſſent applicita, in dubium vocare magno niſu contendebat, ſcripſiſſe. Has quidem cavillationes, quas apud me habeo, non quidem indoctas, ſed planè injuſtas fuiſſe audacter pronunciabo: quas Animadverſori, in Amici famam hinc apud omnes meritò creſcentem invidè graſſanti, excidere potuiſſe obſtupeſcerem, niſi ex conjecturis haud incertis, ex iſtorum temporum hiſtoria depromendis, mihi penè conſtitiſſet, illum ex ambita dignitate, qua exciderat, & cui procurandæ opem

opem ſuam, in alterum animo inclinatiori, denegaverat *Gravius*, hanc injuriam ſive gratiam malè repenſam, ut putavit, ulciſci voluiſſe. *Gravius* verò hac cenſura ſive provocatus ſive expergefactus, librum ſuum ſeriò & accuratè denuo recognovit, & quidem limis quaſi oculis & acri judicio, ipſe quoque in proprios errores, ſi qui fortè ex feſtinatione irrepſiſſent, animadverſurus: excuſſiſque pugillaribus, comperto ex calculis ſæpe in ſe ductis reductiſque, ſe maximæ pyramidi altitudinem juſto minorem aſſignaſſe, cæteris omnibus manentibus immutatis, tandem iſtam pyramidem ad quadringentos nonaginta novem pedes aſſurgere pro certo ſtatuit: quod ex literis illius hac de re ad V. Cl. D. *Carolum Scarburgum*, inſignem quoque Mathematicum, conſcriptis, & à me poſtea edendis, enucleatiùs patebit.

II. *Syntagma de Pede Romano & Denario, ex quibus, tanquam ex duobus principiis, menſuræ & pondera Antiquorum deduci poſſint.* Londini 1647. 8°. Viro celebratiſſimi nominis, *Joanni Seldeno*, honoris, obſervantiæ, & amicitiæ causâ inſcriptum.

Si libellus hic ſolus ſuperfuiſſet, ab Auctore editus, harum rerum periti idoneique judices inde ſagaciſſimum illius ingenium mirabilemque in antiquitatibus indagandis ſubtilitatem ac ſolertiam & certò explorare & rectè æſtimare potuiſſent. Ille verò, cùm re ſapienti cura ſagacique animo penſitata comperiſſet, certam conſtantemque eſſe inter menſuras & pondera analogiam, & juſta comparatione habita, utraque ſimul poſſe patefieri & indicari, hac ratione (neque enim aliam aut certiorem aut faciliorem excogitare licet) illa omnia priſtinæ integritati reſtituturus, authenticas originaleſque menſuras & pondera, quotquot *Romæ* alibique in celebrioribus *Italiæ* urbibus à *Gotthorum Vandalorum*que barbarie & ab edacitate temporis integra & inviolata manſiſſent, propriis oculis intueri & diligenti manu verſare impendiò voluit. Nec id temerè fecit; licèt ante illum quidam inſignes Mathematici & Antiquarii idem quoque feciſſent, cùm levis inter illos interceſſerit diſcordia. Ideo inſtrumentis accuratiſſimè fabrefactis inſtructus, pedes in monimentis, tum *Statili*, tum *Coſſutii* in hortis *Colotianis*, repræſentatos, multoſque alios ex ruderibus *Romæ* effoſſos: item antiquas ſtructuras ſumma elegantia & arte olim ab optimis architecturæ magiſtris conditas, puta Capitolium, *Veſpaſiani* Amphitheatrum, *Titi*, *Severi*, & *Conſtantini* magni Arcus Triumphales, & præcipuè Pantheon *Marci Agrippæ*: ipſiſſimum *Veſpaſiani* congium, & decempedas apud *Terracinam*, Veterum

rum *Anxur*, in rupe excelſa prope mare ſecus viam *Appiam*, juxta ſeriem numerorum decupla proportione continuatam, characteribus pene cubitalibus deſcriptas, ſedulò examinavit. Quibus omnibus exploratis, *Colotianum* iſtum eſſe verum antiquorum *Romanorum* pedem, multis argumentis prolatis ſtatuit. Huic Diſſertationi duplicem tabellam, qua pes, tum *Romanus* tum *Anglicanus*, cum variis aliarum Gentium menſuris comparatur, in fine addendam curavit.

In altera, omnem antiquorum ponderum rationem à Denario pari judicio exquirit, præmiſſis de ejuſdem valore, quatenus nummus erat apud *Romanos* in commerciis inſtituendis uſus communiſſimi, doctis obſervationibus: quapropter centenos hoſce denarios argenteos, tam Conſulares, quam Cæſareos in iſta longa variaque ſeculorum ſucceſſione ad uſque *Juſtinianum* (poſt cujus obitum barbararum Gentium, quas *Scandinavia* cæteræque regiones Septentrionales immenſis ferè copiis effudiſſent, colluvies univerſam propemodum *Europam* inundaverat) ſignatos, item quinarios ſeu victoriatos, aureorum ingentem vim, nummos *Græcorum*, præſertim *Athenienſium*, puta ſtateras aureos, tetradrachmas drachmas, cum ſuis minutioribus partibus: ſiclos *Ebræorum*, uncias denique & libras æneas exactiſſimâ bilance, vel octogeſima grani parte ad oculum deprimendâ, trutinavit, inde pretium & valorem nummorum antiquorum, quorum ſola in libris, rebus ipſis publicis everſis deletiſque nomenclatura ſupereſt, juſta proportione collecturus: addita quoque tabella, in quâ aliarum Gentium pondera, & aurea & argentea, ad modulum denarii conſtituuntur.

Ut verò in omnem poſteritatem ipſa menſurarum, quæ hodie apud nos obtinent, veritas & certitudo abſque aliquo detrimento integra & intemerata derivari poſſit, optimam eas cum antiquiſſimorum & celeberrimorum monimentorum, quæ hactenus per tot ſecula perduraverint, & fortè in omne ævum, donec pereunte mundo univerſa rerum diſſolvatur compages, ſint duratura, partibus quibuſdam inſignioribus, (cujuſmodi ſunt primæ & maximæ *Ægyptiacarum* Pyramidum, quæ magis ad orientem vergit, linea, poſt oſtium quadrati deſcenſus, ex duorum politorum lapidum junctura ſupra procurrens: baſis columnæ ordinis *Corinthiaci*, non procul ab *Alexandria*, verſus auſtrum: rupes illa, quam ſuperiùs memoravi, ad *Terracinam*, *Tyrrheno* mari imminens; porta Panthei *Agrippæ*: & denique porta ſancta baſilicæ S. *Petri Romæ*) comparandi, indeque ad certiſſimam ponderum explorationem vas cubicæ figuræ, juxta proportiones in tabella propoſita aſſignatas, ef-

effingendi methodum excogitavit. In extrema appendice obſervationes quaſdam, ex longo rerum & frequenti antiquorum numiſmatum penſitatione collectas, de ſtatuendis hodiernorum nummorum valoribus, dum inter ſe, pro moribus collybiſtarum hujus ſeculi, comparantur, proponit, quæ tum Antiquariis, tum iis, qui in longinquas regiones peregrinantur, magni uſus forent. Ex hoc compendio, ineleganti licèt, & valde imperfecto, quod non invitus fateor, Exteris, *Anglicano* idiomati minimè aſſuetis, quorum præcipuè in gratiam hanc memoriam ſcribo, qualequale de hujus doctiſſimæ lucubrationis excellentia & utilitate judicium formare licebit.

III. *CL. V.* Joannis Bainbrigii *Canicularia: unà cum demonſtratione ortus Sirii heliaci pro parallelo inferioris Ægyptii. Auctore Joanne Gravio.* Oxoniæ. 1648. 8o.

Tractatulum hunc, quem doctiſſimus *Bainbrigius* infandi belli furoribus eo uſque impeditus, donec morte opprimeretur, præcipua ſui parte imperfectum reliquerat, rogatu quoque reverendiſſimi *Uſſerii Armachani*, qui id prius *Bainbrigium* rogaverat, cum ſupplemento ad argumentum iſtud abſolvendum perquam neceſſario, ut Amici ſui & in Aſtronomiæ cathedra Deceſſoris famæ & memoriæ litaretur, edendum curavit: occaſione juſta inde arrepta Virum eruditiſſimum, *Georgium Entum*, M. D. poſtea celeberrimi Medicorum *Londinenſium* Collegii Præſidem, & dignitate equeſtri merito ſuo inſignitum, prævia epiſtola compellandi. Eximia utriuſque virtus & ſumma eruditio *Patavii* primum illos arctis veræ amicitiæ nexibus conjunxerat, quam in *Angliam* reduces mutuis amoris & benevolentiæ officiis deinde foverunt. Nemo autem, ut id obiter, nec tamen prorſus extra ſcopum, hîc interſeram, amicitias, cum magnis Viris initas, aut religioſiùs coluit, aut juſtiùs & honorificentiùs æſtimavit, quàm *Gravius* noſter, qui tot præclara nomina ſuis libris, non ex vanæ oſtentationis aut ſtultæ ambitionis vitio, ſed religionis ſtudio & grati memoriſque animi ſenſu ductus, tanquam debitum iſtiuſmodi pro variis rerum momentis, aut venerationis, aut obſervantiæ, aut affectus cauſa, μνημόσυνον, ſive Patronis ſive familiaribus Amicis dedicatum, præfigi pro more voluit, hac pietate, hoc morum candore pariter ac doctrina poſteritati non parùm commendandus.

Acceſſerunt *Inſigniorum aliquot ſtellarum longitudines & latitudines ex Aſtronomicis obſervationibus* Ulug Beigi, Tamerlanis *magni nepotis*.

Illas verò, ad principium anni 841. Hegiræ accommodatas, ad calcem hujus libelli adjicere placuit, tum ut iſte in paulo majorem concinnioremque molem inde exſurgeret, tum ut Aſtronomis *Europæis* exhiberetur ſpecimen integri operis, quod molitus eſt & abſolvit: de quo inferius agam.

IV. *Elementa linguæ Perſicæ.* Londini 1649. 4°. vel potius 1648. Typographus enim, ut puto, pro more non modicam anni partem anticipavit, ut gratia novitatis ipſi libro conſtaret magis. Hæc, facili juſtaque methodo tradita, olim ſuaſu & rogatu D. *Seldeni*, cui inſcribuntur, ante ſuſceptum in *Orientem* iter conſcripſit *Gravius*, eodem, ut videtur, tempore, quo V. Cl. *Ludovicus de Dieu* ejuſdem linguæ rudimenta condidiſſet, utriſque ſimul, licèt conſiliis hac de re non invicem communicatis, auſpicatò conſpirantibus, ut ſtudioſis prodeſſent, ne, cùm expeditus faciliſque ex ingenti Grammaticarum copia ad perfectam linguæ *Arabicæ* cognitionem pateret aditus, omnem viam, qua ad theſauros literarios in *Perſide* latentes erat penetrandum, ſalebris objectiſque ſcopulis vix ſuperandis adhuc obſeptam eſſe amplius quererentur. Ab hiſce autem inſtitutionibus non alienum, nec profeſſioni Scientiæ Aſtronomicæ, quam, licèt à publico illius docendæ munere abdicatus, ex ſcriptis *Orientalium* illuſtrandam ſuſceperat, incongruum putavit, ſi ibi adderetur.

Anonymus Perſa de ſiglis Arabum & Perſarum Aſtronomicis. Quarum in eorundem Tabulis Aſtronomicis frequentiſſimus & penè neceſſarius eſt uſus. Hujus commentationem, quam *Conſtantinopoli* comparaverat, annotatiunculis oppidò eruditis in marginem conjectis auctam, nobiliſſimo & eruditiſſimo Viro, D. *Claudio Hardy*, qui etiam, dum *Pariſiis* ageret *Gravius*, ut, quod D. *Seldenus* domi feciſſet, ejuſdem Linguæ inſtitutiones adornare ſcriptiſque mandare vellet, hortatus eſt, in perpetuam veteris amicitiæ memoriam dicavit.

V. *Epochæ celebriores, Aſtronomis, Hiſtoricis, Chronologis, Chataiorum, Syro-Græcorum, Arabum, Perſarum, Choraſmiorum, uſitatæ, ex traditione* Ulug Beigi, *Indiæ citra extraque Gangem Principis.* Perſicè & Latinè, *Londini* 1650. 4°.

Liber *Europæis* hactenus incognitus, recondita *Orientalium* eruditione plurimùm refertus: munuſque dignum, quod ſereniſſimæ invictiſſimæque *Venetorum* Reipublicæ offerretur: cujus laudes ibi poſt magnificam

cam Inſcriptionem elegantiſſimo carmine celebrat *Gravius*. Ut verò iſtæ epochæ, quarum aſſiduo uſu & tractatione innumeri errores, in libris noſtrorum hominum Chronologicis ſcatentes, emendari poſſint, faciliùs intelligerentur, illas ad periodum *Julianam* & epocham *Chriſti* vulgarem *Dionyſianam* in annis expanſis ſive tabulis continua ſerie à primo Hegiræ anno ſive *Chriſti* ſexcenteſimo viceſimo ſecundo uſque ad annum iſtius æræ *Mohammedanæ* milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum, h. e. æræ Chriſtianæ bis milleſimum quadrageſimum ſeptimum, ingenti cum labore, ſummaque accuratione compoſitis conſtructiſque reduxit: addita tabularum praxi, lemmatibus exempliſque congruis illuſtrata. Sequitur

Choraſmiæ & Mawaralnahræ, *hoc eſt*, *regionum extra fluvium* Oxum, *deſcriptio: ex tabulis* Abulfedæ Iſmaelis, *Principis* Hamah: quam reverendiſſimo Præſuli, *Jacobo Uſſerio*, Archiepiſcopo *Armachano*, ſacratam eſſe voluit. Haſce verò tabulas Geographicas, mira diligentia ſummaque fide cum quinque exemplaribus manuſcriptis collatas, tanquam portionem exiguam, licèt non contemnendam, imò magni faciendam, hac de cauſa edidit, ut regionum iſtarum urbes ibi deſcriptæ, *Græcis* verò *Latiniſque* Scriptoribus, ſive antiquis ſive recentioribus, pleraque ex parte ignotæ, meliùs paterent, indeque de integri operis excellentia & utilitate certiùs judicaretur.

VI. *Aſtronomica quædam ex traditione* Shah Cholgii Perſæ: *una cum hypotheſibus Planetarum*, *& cum excerptis quibuſdam ex* Alfergani *elementis Aſtronomicis*, *&* Ali Kushgii *de terræ magnitudine & ſphærarum cœleſtium à terra diſtantiis*. Londini. 1652. 4°. Inſcripſit Viro nobiliſſimo, *Joanni Marshamo*, tum ut hoc monimentum ſinceri affectus illibatæque amicitiæ, cum illo in iſtis calamitoſis patriæque maximè funeſtis temporibus initæ, poſteritati relinqueret, tum ut hac quoque ex parte eidem parem gratiam referret, qui *Diatribam Chronologicam* ſub *Gravii*, doctiſſimi ſui Amici, nomine in lucem prodire, ipſius conſilio importuniſque precibus, ut id faceret, inductus, ante triennium permiſit. Liber iſte Aſtronomiæ ſtudioſis valdè utilis, qui prima Matheſeos elementa, originesque, & ſignificatus vocum, magni & frequentiſſimi in explicandis *Ptolemæi*, quas *Indi*, *Perſæ*, *Arabeſque* ſequuntur, hypotheſibus, uſus, clarè pandit.

Adduntur

Binæ Tabulæ Geographicæ, *una* Naſſir Eddini Perſæ, *altera* Ulug Bei-

gi Tatari: Viris doctiſſimis *Edwardo Pocockio*, & *Thomæ Gravio*, fratri ſuo, dedicatæ. Hæ nimirum tabulæ civitatum, earum præſertim, quæ in remotiſſimis *Aſiæ* regionibus, ubi *Græci* vix unquam penetraverint, ſitæ ſunt, longitudinem ab *Inſulis Fortunatis*, ſolenni *Arabum Perſarum*que ritu, numeratam, & latitudinem ab Æquatore repræſentant referuntque, ſingulis climate aſſignato.

Cùm pridem *Conſtantinopoli* libellum, à *Roberto Witherſio Anglo* conſcriptum, *de Palatio Imperatoris, iiſque omnibus intra ſeptum iſtud Regium concluſis, & illorum muneribus* accepiſſet, non indignum judicavit, qui communi luce *Londini* 1650. donaretur, utpote in quo, ut ille in nuncupatoria ad V. Cl. *Georgium Tookium* epiſtolâ teſtatur, multa arcana & argumenti perquam curioſi, quæ in libris, qualicunque lingua *Occidentali*, quantùm ſciviſſet, antè editis, fruſtra quæſieris, ubivis occurrunt.

De reliquis *Gravianæ* eruditionis monimentis, quæ aut abſolvit, aut imperfecta reliquit, (ſemper enim quippiam grande, inuſitatum, & ingenio ſuo & ſapientia dignum pertinaci ſtudio molitus eſt) hoc in loco ut paucis agam, non inconcinnum videbitur.

VII. *Lemmata* Archimedis *apud* Græcos & Latinos *jam pridem deſiderata è vetuſto codice manuſcripto* Arabico *à* Joanne Gravio *tradu&ta* (a), *& cum* Arabum *Scholiis publicata.* Hæc edidit, & ſuis animadverſionibus correxit & illuſtravit in *Miſcellaneis* ſuis V. Cl. *Samuel Forſterus*, Aſtronomiæ in Collegio *Greshamenſi* Profeſſor, *Londini* 1659. *folio.*

VIII. *De modo pullos ex ovis in fornacibus lento & moderato igni caleſcentibus apud* Kahirenſes *excludendi.* Schedam hanc in Actis Philoſophicis pro menſibus *Januario* & *Februario* A. 1677. juxta computum *Anglicanum* excuſam, Regiæ Societati, una cum figuris, impertitus eſt Vir doctiſſimus, D. *Georgius Entus.* Fortaſſe ad hoc peculiare *Ægyptiorum* ſive inſtitutum ſive praxin (ſi tantam præ ſe ferre poſſit antiquitatem: neque enim id acriter contendam) alludit *Hadrianus* Imperator in epiſtola prælaudata ad *Servianum* Conſulem, de iis ita loquens: *Nihil illis opto, niſi ut ſuis pullis alantur: quos quemadmodum fœcundant, pu-*

(a) Vide epiſtolam *Gravii* ad *Jacobum Uſſerium Armachanum*, Epiſt. CCXI. in Syllog. pag. 509.

pudet dicere. Hæc autem olim obſervarunt *Ariſtoteles* Hiſtoriæ Animalium lib. VI. capite ſecundo, & *Diodorus Siculus* Antiquit. lib. II. Huc enim certiſſimè alludit. V. *Bellonium* in Obſervationum libro ſecundo, cap. 31.

IX. *Epiſtola de latitudinibus* Conſtantinopoleos & Rhodi, *ad reverendiſſimum* Uſſerium Armachanum *directa:* ubi multa præclara de cœleſtibus cognati argumenti tum *Græcorum* tum *Arabum* obſervationibus habentur. Hanc olim è ſchedis *Uſſerianis* depromptam iiſdem Actis pro menſe Decembri A. 1685. inſerendam curavi.

Libri, quos prælo paravit, hi ſunt:

I. *Tabulæ integræ longitudinis & latitudinis ſtellarum fixarum juxta* Ulug Beigi *obſervationes:* quas cum quinque manuſcriptis codicibus, ut quàm emendatiſſimè (ſic enim planè ſtatuebat) in publicam exirent lucem, diligenter contulerat. Cui operi nemo magis idoneus dignioreve illo erat habitus aut habendus; utpote, qui præter linguarum *Arabicæ* & *Perſicæ*, quam adeptus eſt, cognitionem, in rimandis *Uraniæ* arcanis ſtelliſque obſervandis tum in *Ægypto* tum in *Anglia* aſſiduè verſabatur. Librum hunc, tanquam ſacrum pretioſumque depoſitum, apud D. *Uſſerium Armachanum* reliquit. Eaſdem verò obſervationes univerſas poſtea, D. *Thomas Hydus*, linguarum *Orientalium* callentiſſimus, tanquam opus novum & à nemine attentatum aggreſſus, omnino neſcius, *Gravium* totum id abſolviſſe, verſione ſua *Latina* donatas commentariiſque illuſtratas, D. *Sethi Wardi*, tunc temporis *Exonienſis*, & pòſt *Sarisberienſis* Epiſcopi, qui *Gravio* noſtro, ob fidem erga Sereniſſimum Regem *Carolum* I. beatiſſimæ memoriæ ſervatam, munere iſto publico, ut ſupra dixi, à Parlamentariis Viſitatoribus exuto, ſucceſſiſſet, rogatu & auſpiciis, *Oxonii* A. 1665. edi curavit.

II. Paratam quoque habuit *Gravius* verſionem *Georgii Chryſococcæ* ex manuſcriptis *Perſicis Græcè* factam, prout repererat in codice MS. in archivis *Baroccianis* Bibliothecæ *Bodleianæ:* tum tabellam longitudines & latitudines ſtellarum inſignium XXV. continentem: tum alteram ſive Κανόνιον τῶ μήκως καὶ πλάτως τῶν ἐπισήμων πόλεων. Eaſdem Vir optimus & magnum *Galliæ* lumen, *Iſmael Bullialdus*, (cujus erga me benignitatem dum ante viginti tres annos paucis ſeptimanis *Pariſiis* agerem, grata mente recolo) in appendice ad Aſtronomiam Philolaicam, *Pariſiis*

ſiis 1645. publicavit. Variantes lectiones à *Gravio* in codicis ſui collati cum impreſſo margine adnotatas memini me olim vidiſſe.

III. *Deſcriptio Peninſulæ Arabicæ ex* Abulfeda, *cum deſcriptione maris Perſici & Rubri.* Arabicè & Latinè. *Ejuſdem Deſcriptio ex* Ptolemæo. Græcè & Latinè. Addit *Gravius*, Græca *ſunt è codice MS. clariſſimi doctiſſimique Viri, D.* Seldeni. Latina *à* Gerardo Mercatore *edita ſunt, & nonnullis in locis ope codicis MS.* Palatini *à* P. Bertio *caſtigata. Numeri Græci in editione* Bertiana, *quæ optima cenſetur, depravatiſſimè leguntur.* Hæc edere ſtatuebat A. 1645. ſed inteſtina bella omninò interceſſerunt. Exemplum iſtud propria illius manu deſcriptum, apudque fratrem ſuum doctiſſimum, *Thomam Gravium*, relictum una cum aliis hujus codicibus MSS. pecuniis ſuis redemit Academia *Oxonienſis*, inque Bibliotheca publica reponi curavit.

IV. *Narratio Geographica de montibus terræ juxta* Arabes *ex* Abulfeda; Anglicè: in qua de marmoribus rubri coloris, maculis candidis nigriſque intermiſti, prope montem *Sinam* effoſſis, quædam præclaræ obſervationes. Peregrinantibus aut non ſatis obviæ, aut præ faſtidio & imperitia neglectæ, inſeruntur.

V. *De* Tataris *ſeu* Mogolenſibus, ex *Teixera Hiſpano*, qui plurima ex *Emircondo Persâ* mutuatus eſt; cum ejuſdem compendiaria præcipuarum in *Perſide* regionum deſcriptione: *Anglicè.*

VI. *Commentarii in Epochas* ſupra memoratas, neſcio quo infelici caſu in iſta editione omiſſi. Horum enim mentionem facit in titulo libri, & ad eoſdem poſt tabulas Chronologicas Lectorem remittit de emboliſmo *Perſico* & *Gelalæo* diligentiùs inquiſiturum. An perierint, nec ne, penitus ignoro: neque enim illos in ſchedis *Gravianis* aut *Uſſerianis* reperire hactenus contigit.

VII. *Verſio integra tabularum Geographicarum* Abulfedæ: quæ pariter latet. Hanc autem ab ipſo conſummatam fuiſſe ex præfatione *Choraſmiæ* & *Mawaralnahræ* deſcriptioni præfixa ſatis conſtat. Cùm enim dixiſſet, *Ramuſium* iis fuiſſe uſum, & præcipuè *Caſtaldum*, inſignem Geographum, illarum beneficio errores ab aliis in deſcribendis *Aſiæ* regionibus, & potiſſimùm in ſignandis locorum longitudinibus & latitudi-

dinibus admiſſos ſuſtuliſſe, ac denique Viros doctiſſimos, *Thomam Erpenium* & *Guilielmum Schickardum*, de iis edendis cogitaſſe, mox ſubjungit, *Quod itaque à tantis Viris ſuſceptum, & à doctis hodie ferè omnibus efflagitatum, tandem favente Deo Opt. Max. in hac nunquam ſatis deploranda Patriæ meæ calamitate, in maximo fortunarum naufragio, ſummaque animi inquietudine, conſummatum eſt.* Non poſſum igitur, quin deplorem triſte illud, quod illuſtri huic ac utiliſſimo iſtius *Syri* Principis libro adhuc incubat, fatum, nec facilè, ut videtur, averruncandum, ni Principum Magnatumque hiſce literis patrocinantium munificentia infelix iſtud infauſtumque avertat omen. Poſt enim *Gravium*, Viri clariſſimi & eruditiſſimi, *Samuel Clericus* & *Guilielmus Guiſius*, ambo *Oxonienſes*, &, ut accepi, D. *Thevenotus*, *Gallus*, idem quoque opus ſumma cum induſtria moliti ſunt, quos tamen in medio opere occupatos mors abripuit.

VIII. *Elementa omnium Scientiarum, præſertim Mathematicarum*, in libello, quem ſynopſin & compendium τῆς Ἐγκυκλοπαιδείας jure appellaverim, comprehenſa. Multa quoque, quæ ad Aſtronomiam, Geographiam, & Chronologiam è Scriptoribus *Arabicis Perſicis*que collecta, unà cum præclaris quibuſdam cœleſtibus obſervationibus à ſe aliiſque hoc ſeculo factis, ibi occurrunt: quas tandem aliquando, ſi Deus dederit, publicabo. Libellus enim iſte, propria illius manu deſcriptus, quem Frater ipſius *Nicolaus Gravius* Viro celeberrimo, D. *Loftuſio*, dono dederat, tandem, revolutis multis annis, felici caſu ad me delatus, ſupellectilis meæ librariæ ingens eſt ornamentum.

IX. Ex tabulis *Naſſireddini*, *Abulfedæ*, & *Ulug Beigi* collatis mappas quaſdam chorographicas, ſignatis nimirum ſecundum debitas regulas & proportiones in plano, civitatum, juxta ſitum & à ſe invicem diſtantias, quas iſti deſcribunt, longitudinis & latitudinis gradibus, artifici & perpolita manu delineavit *Gravius*: quas dum continente nec prorſus incurioſo oculo luſtro, frequentique manu verſo, *Arabum* obſervationes minus juſtas & veras eſſe, neque cum iis à noſtris Mathematicis, hiſce ſequioribus ſeculis, ſive diligentiori cura ſive accuratioribus inſtrumentis elucubratis, comparandas, ſatis edoctus, in iis æri incidendis, (quod feciſſem, ſi tanti fuiſſent) operam & nummos prodigere nefas penè duco. Minoris quoque *Aſiæ* mappam chorographicam conſtruxit & concinnavit rogatu D. *Uſſerii Armachani*, qui eruditiſſimam

mam iſtam Diſſertationem, quæ poſtea ſub hoc titulo prodibat; *Geographica & Hiſtorica Diſquiſitio de* Minori Aſia *propriè dictâ*, &c. tum temporis molitus eſt.

X. Statuebat quoque (a) Lexicon linguæ *Perſicæ* edere, collectâ ingenti vocabulorum, uſque ad ſex millia, ex *Arabicis* & *Perſicis* Nomenclatoribus copia: ad quod complendum, iter *Leidam*, in cujus publica Bibliotheca quamplurimi codices MSS. linguarum *Orientalium* erant ex legato *Joſephi Scaligeri* & procuratione D. *Jacobi Golii* repoſiti, inſtituiſſe cupiebat, ſi per maligna tempora licuiſſet.

Multa quoque alia, puta *de Geographis è gente Arabum*, quos diligentiſſimè tractavit, quorumque ſententias de terræ magnitudine ſive de ambitu circuli maximi recenſuit: *de ponderibus & menſuris Arabum*, de *Mumiis* ſive veterum *Ægyptiorum* ſepulchris, de characteribus figuriſque hieroglyphicis, quarum ingentem variamque copiam in ſuis pugillaribus præſens ex ipſis obeliſcis ac columnis adnotaverat, deque reliquis antiquitatibus illic repertis detectiſque, edere propoſuit. Quibus tamen omnibus minus ægrè nobis eſſet carendum, ſi *inferioris Ægypti topographiam* unà cum duorum naturalium *Nili* alveorum, qui *Deltam* ambitu ſuo complectuntur, deſcriptione, (illorum volo curſum, anfractus, oppida inſigniora, quæ illorum ripis inſiſtunt imminentque, & oſtia apud *Peluſium* & *Canopum*, recentioribus, ut videtur, *Damiatam* & *Roſettum*) quod nemo meliùs & accuratiùs quidem potuit, edidiſſet.

Sed tantùm abeſt, ut hoc illi cedat in opprobrium aut famæ diminutionem, ut potius omni laude ſit cumulandus, quod, rerum noſtrarum temporiſque, poſt ejus reditum in *Anglia*, habita ratione, tot illuſtria indefeſſæ induſtriæ monimenta poſt ſe relinquere potuerit. Tunc enim, quod hîc neceſſariò repetendum videtur, ubique ferè erat tumultuatum: mox ingruebat funeſtum illud bellum, quod omnia loca rapinis, cædibus, incendiis implevit: *Oxonium* præcipua arx belli fiebat, quò ſereniſſimus Rex Regiarumque partium ſequaces confugerant, & in quam copiæ militares Parlamentariæ maximè detonuerunt: perpaucæ horæ, aut à militaribus aut ab aulicis negotiis vacuæ, Academicis ſupererant, literarum ſtudiis, niſi quas à ſomno ſubripuiſſent, impendendæ: (inter enim tubarum clangores, bombardarumque ſtrepitus,

(a) V. illius Epiſtolam ad *Uſſerium Armachanum* in *Sylloge*. pag. 509.

tus, quis locus quieti & otio, ſuaviſſimis literarum altricibus, eſſe poterit?) juſtitiumque Prælectionum, Diſputationum, reliquorumque Scholaſticorum Exercitiorum, tum in publicis Scholis, tum in Collegiis, erat invectum. Poſt, à ſuis muneribus abdicati Academici ferè omnes, niſi qui agnita Parlamenti tyrannide à fide, & Deo & Regi ſolenni juramento præſtita, turpiter defeciſſent.

In hac communi *Angliæ* ſtrage triſtem ſortem, ſi quis alius, ſubibat *Gravius*, cujus res privatæ inde erant afflictiſſimæ: utpote *Oxonio* pulſus, omnibus fortunis ſuis exutus, ſola modica hæreditate relictâ, &, quod maximè doluit, libraria ſupellectile ſpoliatus, barbaris militibus arculas ciſtaſque effringentibus. Hinc ſchedæ aut disjectæ aut laceratæ, abreptique codices manuſcripti: quorum partem, D. *Seldeno*, (qui multùm apud Parlamentarios, qui cum perduellibus *Weſtmonaſterii* manſerat, licèt alias ſtrenuus laborantis Academiæ *Oxonienſis*, cujus erat in iſtis Comitiis Burgenſis ſive Deputatus, contra Viſitatorum inſultus Advocatus & Patronus) operam ſuam tempeſtivè interponente, recuperavit: pars verò periêre. Fixis jam in Urbe ſedibus, uxorem duxit in ſolatium vitæ, interim tamen ſtudiis forti vegetoque animo, quantùm humani affectus ſinunt, quàm maximè & indeſinenter intentus: ut libri iſthoc intervallo editi abundè teſtantur. Tandem, ſive immodicis ſtudiis, ſive nimio mœrore, quem ex tenerrimo publicarum Patriæ calamitatum ſenſu contraxerat, confectus, diem ſuum, menſe *Octobri* A. 1652. cùm jam quinquageſimum ætatis annum exegiſſet, non ſine maximo Amicorum luctu, quaſi præmaturè obiit. Sepultus jacet in Eccleſia S. *Benedicti*, vulgo diſtinctionis causâ nuncupata, *Sheerhog*, quæ in fatali incendio *Londinenſi* penitus everſa erat. Vir ſane longè meliori ſeculo digniſſimus, & inter ſumma Academiæ *Oxonienſis*, imò & *Angliæ*, decora merito ſuo annumerandus. Quantus verò Vir futurus eſſet, imo maximis accenſendus, quàm pulcherrimè & optimè de Aſtronomia, de literis *Orientalibus*, imo de univerſa re literaria meriturus, ſi vita longior, ſi fortunatior, ſi denique ab incommodis & ærumnis, quibus vel mentes optimorum dejici ſolent, omninò libera, illi contigiſſet!

Gravius fratrem *Nicolaum*, ſibi ætate proximum, teſtamenti, anno ante mortem ſumma pietate & ſapientiâ conditi, *Executorem*, ut noſtri Juriſconſulti loquuntur, & bonorum omnium, ſive mobilium ſive immobilium, (demptis nimirùm legatis, pecuniiſque numeratis, quas dilectiſſimæ Uxori, præter prædii uſum fructum, illi, dum viveret, do-

tis rependendæ vice prius aſſignatum, duobus aliis Fratribus, Fratris filio, & Amicis donaverat) conſtituit hæredem. Hic verò, ſive *Joannis* conſilio & voluntati, qui, ut videtur, & forte in privatis ante obitum colloquiis, pro amore erga Academiam *Oxonienſem*, erga D. *Savilium* Fundatorem, & erga publicum, quod inſigni cum laude geſſit, munus, poſt inſtaurandas Eccleſiam, Monarchiam, & Academiam, ſi quando violenta fœdaque iſta tempeſtas, quâ omnes tunc proſtratæ jacebant, Deo miſericorditer favente, præterierit, id fieri cupiebat, obſecutus; ſive illius immortali famæ conſulturus, totum machinarum inſtrumentorumque (inter quæ recenſentur Teleſcopia, Quadrantes, Sextantes, Octantes, Aſtrolabium, & ejuſmodi) cœleſtium obſervationum uſibus adaptatorum apparatum, tertio Fratre *Thoma* conſentiente, & ſymbolas apud ſe relictas dante, in Muſeo *Saviliano*, tanquam loco maximè proprio, repoſitum, in perpetuum ſervari ultimis tabellis curavit. Horum index habetur in magno opere Catalogorum *Oxonii* nuper edito: parte I. pag. 302. Utinam in ſervandis ſchedis ſolutis, epiſtoliſque ad D. *Gravium* ſcriptis, illiuſque reſponſoriis, quarum perpaucæ, tanquam ex incendio ereptæ, illic ſuperſunt, ne dicam codicibus MSS. & ſelectis impreſſis, potiſſimùm Auctoribus primæ claſſis, quos paſſim in margine emendavit, eruditiſque illuſtravit annotationibus, parem curam adhibuiſſet *Nicolai* vidua. Hos enim, ut accepi, vili admodum pretio ſibi comparavit verſutus quidam Bibliopola: quorum aliqui in Muſeis curioſorum, qui, pecuniis abundantes, iſtis mercibus pretioſis in auctionibus publicis diſtrahi ſolitis coemendis inhiant, hodiè reperiuntur.

Fratres tres, Viros & dignitate & eruditionis fama inſignes, ſibi diu ſuperſtites, habuit. Illi erant, ſupradictus *Nicolaus*, olim ſplendidiſſimi Collegii Omnium Animarum *Oxonii* Socius, & Academiæ A. 1640. Procurator, & poſtea Eccleſiæ Cathedralis *Dromorenſis* in *Hibernia* Decanus: *Thomas*, Collegii Corporis *Chriſti* ibidem Socius, & Eccleſiæ *Petriburgenſis* Canonicus meritiſſimus: Vir linguarum *Orientalium* peritiſſimus, ut doctiſſimæ in Pentateuchum & Evangelia *Perſica* annotationes, in ſexto Bibliorum Polyglottorum *Londinenſium* tomo editæ, clariſſimè demonſtrant. Ille verò longè antea ediderat Orationem de linguæ *Arabicæ* utilitate & præſtantia *Oxonii* habitam 19. Julii 1637. Et denique *Edwardus*, Collegii etiam Omnium Animarum, & celeberrimi Collegii Medicorum *Londinenſium* Socius, Medicus ſereniſſimi Regis *Caroli* ordinarius, & Baronetti dignitate illuſtris, cujus elegantiſ-

ſi-

ſima exſtat oratio in Collegio *Londinenſi* 25. Julii 1661. die *Harvei* memoriæ dicato habita.

Commercium literarium cum quibuſdam Viris exteris longè celeberrimis habuit, puta *Guilielmo Schickardo*, *Jacobo Golio*, *Claudio Hardy*, *Franciſco Junio*, *Petro Scavenio*, & *Chriſtiano Ravio*: quod tamen flagrante bello identidem exercere vix licebat. Domi, quos impenſiſſimè amavit coluitque, ab iiſdem redamatus, &, quantùm illorum ſumma dignitas ſivit, viciſſim cultus, non ſine maxima animi voluptate recenſere ſolitus eſt reverendiſſimos Præſules, *Laudum* & *Uſſerium*, hunc *Hiberniæ*, illum verò *Angliæ* Primatem, *Joannem Seldenum*, *Guilielmum Harvæum*, *Gerardum Langbainum*, *Joannem Marſhamum*, cui omnia numiſmata, ſive pretioſi ſive ignobilioris metalli, ab ipſo in *Italia* & in *Oriente* collecta, legaverat, *Edwardum Pocockium*, *Georgium Entum*, *Carolum Scarburgum*, alioſque Viros maximè egregios, quorum omnium nomina hic ingerere oſtentabundi eſſe videretur. Omnes ſanè boni, etiam ii, quibus ſola fama innotuit, ipſius mortem quaſi præproperum acerbumque funus veris lachrymis luxerunt: apud quos magnum ſui deſiderium reliquit. Æqua autem poſteritas, & ab omni malo affectu præjudiciiſque libera, dum iſtorum temporum, in quibus malè erat habitus, impietatem, perfidiam, & malignitatem execrabitur, ſimul illius (ſimiliumque Συμπασχόντων) probitatem, invictam animi vim, nullis malis frangendam, ſublime ingenium, & reconditam eruditionem debitis elogiis prædicabit.

ELOGIA & TESTIMONIA
Eruditiſſimorum Virorum
de JOANNE GRAVIO.

EDWARDUS POCOCKIUS in *Specimine Hiſtoriæ Arabum* Oxon. 1650. pag. 128.

Atque hæc eſt Urbis Meccanæ (*prout Auctoris hujus ævo ſe habuit*) *deſcriptio, quam ut Lectori, quam potuimus, emendatam daremus, duo inter ſe exemplaria MSS. conferenda curavimus, quorum primum è* Syria *advexi, alterum ex* Ægypto *doctiſſimus Vir,* Joannes Gravius, *quod meo & antiquius & multò emendatius.*

Pag. 158. *Quod ad characteres à* Moramero *effictos, ac diu apud* Arabes *retentos, ſatis rudes fuiſſe conſtat, quales ſcilicet* Kufienſes *vocant, quos in librorum titulis ac lapidibus inſculptos videri eſt: nec aliis deſcriptum olim Alcoranum teſtantur folia aliquot antiqua, literis ſemiuncialibus in pergameno exarata, quæ doctiſſimus, mihique amiciſſimus,* Joannes Gravius, *quo nemo integro magis affectu ſe ſtudiaque ſua ac impenſas ſuas publicæ rei literariæ utilitati dicavit, ſecum ex* Ægypto *detulit.*

EDWARDUS BERNARDUS in libro *de Menſuris & Ponderibus Antiquorum.* Oxonii 1683.

Pag. 105. Jo. Gravius *V. Cl. & juſtitiæ Romanæ diligentiſſimus indagator.*

Pag. 123. Joanni Gravio, *anteceſſori noſtro ſemper memorando.*

Pag. 133. *Nobis equidem penſitantibus, poſt* Joannem Gravium, *rariſſimæ eruditionis apothecam, uncia Romana ſuſtinet grana monetaria* Angliæ.

Pag. 134. Joannes Gravius, *Cathedræ* Savilianæ *honos, multo experimento exegit.*

Pag. 197. *Ex pede igitur* Anglico Græcoque, *ut decet pedes & menſuras aliorum brevi tabula æſtimabimus, freti multum experimentis* Jo. Gravii, *viri probi & docti.*

Pag. 203. *Semet defendit diligentiſſimus* Gravius *monumento* Coſſutii, *Architecti* Romæ Athenisque, Pollione *judice, laudatiſſimi.*

In Prælectionibus MSS.

In

In ſuperiori prælectione, ut properanti & abiturienti licuit, mentio facta eſt Joannis Gravii, *qui vir hujuſce cathedræ ornamentum, Academiæ delicia, ſolertiſſimus antiquitatis* Romanæ, Græcanicæ, Orientalis, *omnino omnis, explorator, libellum* de Denario & Pede Romulidum *aureum, imò ſupra aurum omne & metallorum lucem, pretioſum, luculentum, ingratum, ingrato ſeculo dedit, atque ut omnibus teſtatum faceret & compertum ſe nullis convitiis, injuriis, vel etiam infortunio affectu illo integerrimo ac amore mero, quo erga hanc Academiam ſemper ferebatur, liberari demum & exui ullatenus potuiſſe, egregiam ſupellectilem, Quadrantes, Octantes, Sextantes, etiam* Tychonicis *grandiores & diſtinctiores, tum Aſtrolabia, Dioptras, Academiæ huic, ut tunc res erant, moribundæ, moriens legavit. Noſmet igitur quod videtur, & tanti memoriæ viri atque unâ juſtitiæ hodie litare decet. Pede enim* Graviano *hunc noſtrum globum, tot imperiis, regnis, rebuſque publicis æquè diviſum, juſtiſſimè metiri datur. Sextante etiam* Graviano *ampliſſimas cœlorum regiones, extremamque terrarum, quam poſt* Arabum *Principes mortalium quiſpiam accuratiùs aut ſolertiùs.*

In alia Prælectione.

Diligenter quidem de Pedibus Romano & Græcanico, *ſcripſere* Agricola, L. Pætus, Villalpandus, Merſennus, *vix alius: at* Joannes Gravius *diligentia atque doctrina in iſto argumento longè antecelluit; imò plures veteres modos contulit; plura monumenta* Romana, *pede* Anglicano *replicato, dimenſus eſt, quam unquam* Italorum *aliquis fecit,* Pætus, Ricciolus, *cæteri.*

THOMAS HYDE in præfatione Tabularum longitudinis ac latitudinis ſtellarum fixarum ex obſervatione *Ulugh Beighi.* Oxon. 1665.

At ne tam celebre nomen neglectum temporumque ruderibus ſepultum jaceret, primò conſuluit Vir undequaque doctiſſimus, Joannes Gravius, *in Academia* Oxonienſi *olim Aſtronomiæ Profeſſor* Savilianus. *Ille enim primam partem noſtri Auctoris de Epochis Orientalium Gentium, & ejus Tabulam Geographicam de ſitu quarundam regionum ac urbium Latinitate donavit, & in lucem publicam emiſit: ipſe idem quoque paulò antè longitudines ac latitudines centum plus minus ſtellarum ex hiſce Tabulis, quas jam edimus, deſumptas, unà cum D.* Bainbrigii *Canicularia* Oxonii *edidit, ubi & omnium inerrantium emendatam editionem promiſit; morte autem, ah nimis præpropera! abreptus, fidem liberare non potuit.*

JACOBUS GOLIUS in additamento *de Cathaia ad Atlantem Sinicum M. Martinii* pag. II. III.

Hinc (i. e. ex Naſiroddino, patria Tuſæo) *ad verbum exſcripta fuerunt: quæ de eadem re ex* Ulug Begi *traditione Cl.* Joannes Gravius Anglus, *auditor quondam meus, immaturâ morte Reip. literariæ nunc ereptus, publicavit abhinc quadriennium, Epocharum celebriorum nomine inſcripto. Quem librum allego propterea, ut cuique liceat, ſi libet, eorum, de quibus acturi ſumus, ibidem teſtimonia videre.*

GEORGIUS HIERONYMUS VELSCHIUS in Commentario *in Tabulas Æquinoctiales novi Perſarum & Turcarum anni.* Auguſtæ Vindelicorum 1676. pag. 18.

De Turcarum *Epochis videre poteris tabulas Aſtronomicas* Mogoricas *ſive* Ulug Beigi *quas V. Cl.* Jacobus Golius *Bibliothecæ* Lugduni Batavorum *intulit ex* Oriente *adlatas*, Abdarachmano Salachienſi *inſcriptas, Præfecto* Damaſci *in* Syria, *quas* Jo. Gravius Londini *in* Anglia *emiſit, eoque ipſo immortalem ſibi nominis gloriam cum Geographicis quibuſdam* Abulfedæ *peperit.*

STEPHANUS LE MOYNE in obſervationibus ad *S. Barnabæ Epiſtolam* pag. 798. 799.

Occurrunt in Epochis Chataiorum *ipſorum*, Choraſmiorum, *gentium magis barbararum & remotiorum, quas maximo labore adornari curaverat* Ulug Begius, *Princeps* Indiæ, *& quas etiam maxima cura vulgavit* Joannes Gravius, Anglus *doctiſſimus, & in omnibus linguis Orientalibus egregiè verſatus. Occurrunt & eædem notæ in libello Ziglarum Aſtronomicarum* Arabum *&* Perſarum, *quem edidit idem* Gravius, *ubi eædem prorſus occurrunt figuræ & notæ numericæ, quas modo ſupra repræſentavimus. Ubi etiam* Gravius *rectè obſervat, characteres iſtos ab* Arabibus *&* Indis *nos tandem habuiſſe.*

A. GALANDUS in præfatione ad *Bibliothecam Orientalem D. Herbelotii.*

Seldenus, Pocockius, Caſtel, *ceux, qui ont travaillé en Angleterre, à l'edition de la Bible Polyglotte, & le Docteur* Hide *Bibliothecaire d'*Oxfort, *qui vit encore aujourd'hui, ſe ſont tous ſignalez par des traductions & par d'autres Ouvrages ſur la Langue Arabique, & ſur la Langue Perſienne, dont l'étude a auſſi reçû de grands ſecours par les Livres de* Gravius.

VI.

VITA

Illuſtris Viri, D.

PETRI JUNII,

Equitis Aurati, Sereniſſimi Regis JACOBI I. Præceptoris, & magni Scotiæ Eleemoſynarii.

Scriptore

THOMA SMITHO,

S. Theologiæ Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.



VITA

V. C. D.

PETRI JUNII,

Equitis Aurati.

PETRUS JUNIUS natus eſt *Taoduni* in *Anguſiâ*, Provinciâ *Scotiæ*, XV. die *Auguſti* anno *Chriſti* incarnati MDXLIV. patre *Joanne Junio*, & matre *Margaritâ Scrimgerâ*, utriſque ex antiqua & nobili familia oriundis: de quorum natalibus, felici connubio, & numeroſa prole nihil hîc dicere attinebit, cùm ea omnia ex Ephemeride *Juniana* in calce hujus breviculæ narrationis reperienda meliùs & faciliùs peti poſſint.

Cùm verò vividum illius ingenium, quod in ipſis puerilibus annis eluxit, ſeduli parentes, pro laudatiſſimo Gentis ſuæ more, liberorum famæ, ac, creſcentibus annis, felicitatis, non imaginibus majorum, tituliſve honorum, aut ampliſſimis latifundiis, ſed prudentiâ, fortitudine, æquitati animi, eruditione, ac pietate metiendæ ſtudioſiſſimi, ſub idoneis Magiſtris liberali & ſeverâ educatione excolendum curaſſent, ex ephebis exceſſurus, jam ſumptâ virili toga MDLXII. exteras regiones petit, non vitæ ſolutioris aut deſidis causâ, quaſi ſemotis arbitris ac juventutis cuſtodibus, quippiam ex priſtinâ, cui aſſueverat, aut virtute aut induſtriâ eſſet remittendum, non inani curioſitate aut deſiderio ſolos oculos magnificis ſpectaculis paſcendi ductus, ſed ritu & exemplo Philoſophorum veteris *Græciæ*, ut, familiari cum viris optimis & eruditiſſimis converſatione habitâ, majorem ingenii cultum caperet, inſpectiſque aliarum Gentium moribus ac inſtitutis, ſatiſque firmo judicio, quicquid præclarum & laudabile occurriſſet, edoctus, quod Patriæ ornandæ & juvandæ conduceret, inde ſuis redditus, tanquam utiliſſimum ſuſcepti itineris fructum, reportaret.

Galliâ tunc temporis inteſtinis motibus agitatâ, nullibi meliùs ſtudiorum causâ, quàm *Genevæ*, omni tumultu bellico procul, ſibi morandum eſſe duxit: quò etiam maximè allexit *Theodori Bezæ*, aliorumque, eruditione ac à corruptelis & ſuperſtitionibus *Romanenſium* purgatæ Religionis zelo inſignium, fama, nec ſtimulo majori urgeri potuiſſet, præſertim ſi V. Cl. & doctiſſimus, (a) *Henricus Scrimgerus*, avunculus ejus, ab *Italia*, cujus inſigniores Bibliothecas, vetuſtis manuſcriptis codicibus diligentiſſima manu collatis, curioſis oculis luſtrarat, cum hac ſupellectile literariâ redux, iſthoc tempore illic ſedes ſuas, indigena futurus, habuiſſet. Interdùm tamen, aut valetudinis aut animi cauſa ad vicinas urbes, præcipuè *Lauſannam*, ubi arctam cum *Guilielmo Stuckio* contraxit amicitiam, divertit, eundem ſtudia literarum proſequendi ardorem, quocunque iverit, præ ſe ferens. Quantam verò ſpem de ſe ex vitâ juxtà normam virtutis exactâ, in iſta labili ætate, & in vitium nimium quantum pronâ, & ex tam præclaris initiis, quando maturioribus annis judicium & experientia indefeſſæ induſtriæ eſſent acceſſura, excitaverit, quàm charus quoque omnibus, qui in iſtis Academiis geſſerint principatum, fuerit, ex *Bezæ* aliorumque epiſtolis inde in *Scotiam* miſſis conſtare poterit. Ille enim morum ſummus candor, non tam ex debita humorum temperie, quàm ex bona indole & ſapientia ortus, quem per totum vitæ tenorem integrum ſervavit, tantam vim, eamque ineluctabilem, in ſe habuit, ut quotquot illum vel leviuſculè noſſent, multòque magis, qui intimæ eſſent admiſſionis Amici, illius amore & admiratione raperentur.

Poſt aliquot annos in *Scotiam* reverſus eſt, an parentum, ut ſenium ſuum aſpectu tam chari filii ſolarentur, juſſu, an negotiorum causâ, incertum, ſed non niſi animo repetendi *Galliam*: nondum enim ſcopum iſtum, quem peregrinatione priùs ſuſceptâ propoſuerat, ſibi viſus eſt attigiſſe. Ex penitiori rerum uſu & longiori in iſto ſeceſſu morâ, ubi Muſis & Gratiis extra importunas domeſticorum diſceptationes, & inutile circumcurſitantium amicorum commercium & ſtrepitum, iterum erat litandum, eruditior & ſapientior fieri cupiebat, antequam totum ſe in

(a) Hic vir doctiſſimus Bibliothecam ſuam ſelectam, & præcipuè ob quamplurimos Codices MSS. *Græcos* magni æſtimandam, huic ſororis perdilecto filio, *Junio* noſtro moriens A. C. MDLXXI. legavit: quæ poſtea, viz. circa annum MDLXXIII. ope *Alexandri* fratris *Genevam* avecta erat in *Scotiam*. Cujus elogia vide apud *Thuanum* ad A. MDLXXI. & *Caſaubon.* Epiſt. 106. in Appendice.

in Patriam dare vellet, ut ſic quoque vel publicis negotiis non protſus impar, ab iis, qui ſub puerulo Rege rerum potiti ſunt, tandem aliquando judicaretur.

Sed eccè! cùm in procinctu itineris eſſet, exſpectato navigandi poſt ſedatas hiemis procellas tempore, neceſſitas, Deo ita providente, ipſi nec opinanti quidem in patriâ manendi imponitur, felicitate peculiari, & quammaximè optanda, cùm ab iſthoc momento fortunarum ſuarum & dignitatis fundamenta jaciendi, & de *Scotiâ*, imò de univerſis *Britanniis*, optimè merendi commodiſſimam opportunitatem nactus ſit. Nam anno MDLXIX. ineunte, ætatis verò ſuæ XXV. mandante *Jacobo* Comite *Moraviæ*, qui poſt Reginam *Mariam* horrendis calumniis oppreſſam, & contra omne jus humanum & divinum vi & rebellibus armis ſub prætextu Religionis reformandæ deturbatam, à confœderatis Proceribus *Scotiæ* Regens conſtituebatur, inter domeſticos Regis adſcitus eſt, qui, (a) unà cum *Georgio Buchanano* pluſquam ſexagenario balbutientem Regis, qui adhuc ſub Nutricum curâ poſitus, nuper tertium ætatis annum expleviſſet, pueritiam, linguam & vocem dirigendo, primis literarum elementis informaret: deinde, prout ſuccreſcens ætas magis magiſque ferebat, bonis artibus & doctrinâ imbueret, & pietatis ac religionis ſenſum animo inſtillaret. Diplomatis, quod in arce *Sterlinenſi* accepit, ad hoc præclariſſimum munus obeundum, auctoramento pro more munitus, Aulæ quaſi affigitur, nunquam illinc, niſi Regis aut regni causâ, deinceps avellendus. *Buchananus* ſanè, cui primæ partes ob famam ingenii & eruditionis delatæ erant, *Junium* noſtrum in erudiendo Rege Collegam ſuum ſemper ingenuè agnovit, nec id laudis ſibi ſoli, hac ex parte invidia & oſtentatione vacuus, arripuit, qui vix fortaſſe tædium iſtud vel per ingraveſcentem ætatem vel per tetricos mores tolerare poterat, & maximi erat momenti, quod ad fidem muneris impoſiti implendam omninò faciebat, ſi pro arte iſta, cui ab ineunte juventute aſſueverat, monitis, conſilio, ac auctoritate ſenili, tanquam inſpector & Ephorus cæteris ſuperpoſitus, educationi Regis iverit proſpectum: ſed labor iſte, ut fas eſt credere, Regem docendi, ſi non unicè, ſaltem maximè, per omnem teneræ ætatis gradum incumbebat *Junio:* à quo tempore titulum hunc: *D. Junio, Scotorum Regi, à literarum*

(a) De utriuſque ingenio, variiſque moribus, hujus tetricis, *Junii* verò leniſſimis in inſtituendo Principe, vide D. *Jacobi Melvilli* memorialia de rebus in *Scotia*, ſub *Maria* Regina *Scotorum* & *Jacobo VI.* geſtis. Pag. 125. *Londini* 1683.

rum ſtudiis, cæteris, quos morum comitas ſuggeſſit, amici in fronte epiſtolarum apponere certatim geſtiebant; nec grandiori elogio illum, quaſi maxima laus, nec unquam ceſſatura, inde derivaretur, multis pòſt annis cohoneſtare noverit doctiſſimus *Camdenus*, non invidus aut parcus Virorum magnorum laudator; non enim quippiam ex hoc nudo elogio ipſi ad æternitatem famæ deſiderandum erat, licèt aliis publicis muneribus geſtis non innotuiſſet; Sereniſſimus verò Rex, cujus id noſſe maximè intererat, per totum vitæ curriculum, non ſine benevoli animi ſenſu & prædicatione palam id quoque teſtatus eſt.

Quali methodo in erudiendo Rege ſibi utendum eſſe duxerint Præceptores, charta ab ipſo *Junio* relicta, clarè indicabit: quæ, ſi non ob ſe, ſaltem ob memoriam tanti Regis, qui omnibus ſui temporis Monarchis eruditionis palmam præripuerit, Lectori curioſo non diſplicebit.

Ordo, quem Regia Majeſtas ſibi in literarum ſtudiis præſcripſit, ac diei partitio.

1. *Mane primò à precibus auſpicabitur, quò Deus Opt. Max. conatus omnes ac ſtudia ſecundet, provehatque. Abſolutis precibus ac placato Numine ad Græca ſe accinget, vel ex* Novo Teſtamento, *vel* Iſocrate, *vel ex* Plutarchi Apophthegmatibus *una cum praxi præceptorum Grammatices.*

2. *A jentaculo Latinè aliquid leget vel ex* Livio, Juſtino, Cicerone, *aut ex* Chronicis *noſtratibus vel externis.*

3. *A merenda ſcriptioni nonnihil temporis impendet; reliquas horas pomeridianas, quum vacabit, vel Arithmeticæ, vel Coſmographiæ, (quæ Geographiam ac doctrinam ſphæræ Aſtronomicæ complectitur) vel Dialecticæ, vel Rhetoricæ tribuet.*

Sed hæc ſingula ſigillatim, non ſimul omnia tractabuntur.

Quantùm Sereniſſimus Rex in bonis literis aliiſque Regiis dotibus ſub tali diſciplinâ profecerit, vidit poſtea Chriſtianus Orbis, & obſtupuit.

Rex jam imperii capax, virilemque habitum ac mentem indutus, rerum adminiſtrandarum cura in ſe ſuſcepta, *Junium*, non tam ex amore erga Præceptorem, quàm ſagacitate mentis, quæ idoneos Miniſtros, quorum opera in regni rebus arduis uti poſſet, eligere norit, inter

ter conſiliarios cooptavit. Id verò meruiſſe videtur *Junii* ingenium, non humi repens, non iniquis Philologiæ ſpatiis includendum, multò minùs minutiis Grammaticorum occupatum, ſed quod rebus intentum, & longâ & ſedulâ meditatione & uſu exercitatum, Philoſophiæ & Politices, quæ ad veros vitæ communis uſus, & populorum ſalutem faciunt, myſteria penetrabat, & quæ quid virum ſapientem æquè ac eruditum reddere poterat, largo ſuo ambitu & neutiquam coercendo complectebatur. Ita univerſi Regis affectum laudantes, & judicio applaudentes, hunc honorem aliis longè majoribus præludere non vani præſagiebant. Mox ergo novo titulo ac munere augendus, magnus ſit regni *Scotiæ* Eleemoſynarius, ne dignitas abſque auctis opibus, à quibus apud plebem omnem ſuum ſplendorem mutuari illa ſolet evileſceret.

Quantùm verò judicio & dexteritati illius in tractandis publicis negotiis detulerit Rex & Conſiliarii, qui ſub Rege juvene *Scotiam* adminiſtrabant, legationes illæ, quibus ſumma cum fide & ingenti tum ſuorum, tum Regum Principumque, ad quos miſſus erat, applauſu & approbatione, functus eſt, clarè oſtendunt.

Legationes hìc ordine recenſebo.

Primò ſub menſem Auguſti A. Ch. MDLXXXVI. Regiis mandatis inſtructus, *Fridericum* II. Regem *Daniæ* adiit, de *Orcadico* negotio acturus, quo feliciter geſto, poſt paucos menſes rediit. Hinc legationum, crebris occaſionibus ſubinde naſcituris, repetendarum omen meritò capiebatur. Rex *Jacobus* jam viginti ætatis annos ferè attigerat, & de hæreditario *Scotiæ* regno ſibi ab antiquiſſima Regum ſerie ad ſe deducto, uti etiam imperio *Angliæ* & *Hiberniæ*, poſt R. R. *Mariam*, matrem ſuam, deplorando prorſus fato in *Anglia* captivam, & *Eliſabetham* innuptam, nuptiaſque, dum florenti ætate tot regalibus procis ambiebatur, averſantem, ad ſeros nepotes in omne ævum tranſmittendo maximè ſolicitus, non alibi, quàm in *Daniâ*, connubium iſtud, quo vitæ ſolatium & regnorum tranquillitas ſtabiliri poſſent, & tantæ ſpes, quas pectore regio non ſine ſumma ratione aluit, feliciùs & auſpicatiùs obtineri poſſe credidit, ubi olim *Jacobus* III. abavus ipſius, *Margaritam*, R. *Chriſtiani* primi filiam primogenitam, in uxorem duxiſſet. Vicinitas quoque regionum, unde ſibi invicem auxilia, ſi fortè occaſio tulerit, ſuppeditari poſſent, & eorundem ſacrorum, ſi non in omnibus, communio, ſaltem in abroganda Pontificis *Romani* poteſtate, rejiciendiſque ſuperſtitioſi cultus fraudibus & offuciis par zelus & cura, id ex veris civilis prudentiæ rationibus potentiſſimè ſuaſerunt.

Nondum tamen hanc animi propenſionem palam facere conſultum videbatur, nec id erat hujus legationis negotium. Res tanti momenti maturiori egebat deliberatione, & omnibus rationis politicæ momentis debebat perpendi. Præterea Regis affectus in Virginem principem, licèt eam lectiſſimam & ornatiſſimam conſentiens fama prædicaſſet, non erat cæco planè impetu abripiendus. Id curæ *Junii* concreditum erat, ut quaſi aliud agens, omnia curioſis oculis rimaretur, & in filiarum Regis, præſertim *Eliſabethæ* natu maximæ, mores, ætatem, formam, ingenium, cæteraſque tum animi, tum corporis dotes ſedulò inquireret, an regio thalamo non tantum digna, ſed par eſſet futura, à cujus conſortio felicitatis, tum privatæ, ut maritus, ex reciproco illius affectu, tum publicæ, ut Rex, ex ſuperveniente novæ affinitatis contrahendæ commodo incrementum iſtud, quod ſibi pollicitus eſt, impetrare jure potuerit Regi, cujus pectus blanditiis amoris accendi jam inceperat, non potuit non eſſe acceptiſſimus diligens iſtarum rerum poſt reditum explorator.

1587. Idcirco proximo anno alia legatio in *Daniam* decernitur, nec dignior, qui illius honorem & pondus ſuſtineat, habetur, quàm *Junius* prænobili Viro, D. *Patricio Vauſſio* Equiti Aurato adjungendus, ut ſociatis conſiliis negotium illud, quod Rex tantopere cupiebat, faciliùs ad felicem exitum perduceretur. Morâ verò interpoſita, quod in nuptiis inter Principes paciſcendis fieri conſuevit, in iſto tractatu lentè admodum procedebatur, & cùm parùm aut nihil profecerint Legati, in *Scotiam* revertuntur: non tamen penitus ab omni commercio hac de re ceſſatum eſt, literis ultro citroque alterutrinque commeantibus. Ita moras longas ex induſtria videntur nexuiſſe *Dani* ſententiâ planè ſuſpensâ, & in neutram partem inclinante, donec tandem anno MDLXXXVIII. reſcribunt, *Eliſabetham* alteri promiſſam & deſponſatam fuiſſe, nec de eâ amplius cogitari poſſe: de ſorore verò ipſius *Anna*, ornatiſſima heroina, & omnibus, quæ Principem decent, virtutibus cumulatiſſimâ obtinendâ meliùs ſperandum eſſe, modò Rex annuerit. Ille miro affectu erga familiam *Danicam*, quam ſanguine attingebat, ductus, ſeſe ab hoc propoſito amplectendo non alienum oſtendit. Mox *Fridericus* rex menſe Aprili extremum clauſit diem. Inde nova remora injecta. Ineunte anno MDLXXXIX. motus ſeditioſorum Procerum, rebus novis Religionis prætextu ſtudentium, primò in Aquilonaribus, & deinceps in Auſtralibus regni provinciis, regium animum paci, quæ periclitari tum maximè videbatur, inſtaurandæ intentum ab iſtiuſmodi cogitationibus

avo-

avocarunt. Quibus ſedatis, Rex non amplius cunctandum ratus, rem hactenus nimis interruptam dilatamque properari urget, & ſplendidam numeroſamque legationem in *Daniam* mittit, (*Junio*, qui viam tum colloquiis antea, tum literis patefecerit, apud ſe retento, ut aliis negotiis domi intendat proſpiciatque) ut pactum iſtud matrimoniale propoſitis articulis & conditionibus æqua lance librandis, quàm maturrimè fieri poſſit, ex integro ſtabiliatur. Omnia ex voto Legatorum benè ſuccedunt, nihilque jam ad complendas nuptias præter Regis præſentiam deſideratur. Ille ergo promptus & alacer, curâ regni Commiſſariis delegata, cùm jam hiems ingruere inceperit, difficillimo navigandi tempore, quo non potuit affectûs ſui aut verius aut grandius indicium dari, 25. Octobris MDLXXXIX. è portu *Lethenſi* ſolvit, cum adverſis ventis inſaniſque fluctibus forti animo conflictaturus. Licèt nobili Procerum coronâ ſtipatus fuerit, maximè tamen conveniebat, ut *Junius* quoque illum in hoc itinere maritimo comitaretur, hiſce conſiliis, cùm primò agitarentur admotus, arcanorum particeps, & cujus opera, dum legatione apud *Danos* iteratâ vice fungeretur, in hiſce nuptiis procurandis maximi fuiſſet momenti. Magnorum Virorum è Gente *Scotica* erit, quibus, poſt *Leſleum* & *Buchananum*, rerum *Scoticarum* hiſtoriam ex tabulariis regni aliiſque Actis ac monimentis authenticis pertexendi ſuppetunt & facultas & voluntas, quod ſanè amor erga Patriam ab iis jure meritiſſimo exigere videtur, harum rerum omnium, quas ipſe hîc carptim delibavi, ſeriem in omnis ævi memoriam diducere, & conſultationes, mandata, diſceptationes, articuloſque fœderis, & quicquid memoratu dignum, dum Rex in *Dania* auſu ſanè præclariſſimo, ſed vix imitando, aberat, occurriſſet, in amplos commentarios referre. Chartas verò, laudabili huic inſtituto aliquali ſaltem modo inſervientes, ne iniquo prorſus fato ſupprimantur aut pereant, ſi commodum videbitur, poſtea in publicam lucem dabo.

Decimo nono Februarii A. C. MDXCIII. R. *Annæ* ex felici puerperio Regem maſcula prole beavit, cui nomen (quod geſſerat avus paternus) *Henrici*, Regina *Eliſabetha* è fonte ſacro ſuſceptrice, indebatur. Inde ſpes lætiſſima, quæ materiem gaudii & triumphorum per univerſam *Scotiam* diffudit, ſucceſſionis ex recèns nato Hærede ad ſeros nepotes derivandæ: inde auſpicatiſſimum omen de futura Reginæ poſt partum validæ fœcunditate meritò arreptum: quo læto nuncio, cùm *Chriſtianus Daniæ* Rex, *Sophia*, Regina vidua, *Udalricus Megalopolitanorum*, & *Henricus Julius Brunſwicenſium* ac *Luneburgenſium*, Duces impertien-

tiendi eſſent, poſt duos menſes A. C. MDXCIV. id muneris honorifici *Junio*, cujus nomen in illorum Principum aulis maximè percrebuit, erat demandatum; nec gratior quiſpiam, quam qui Regis optimi mores compoſuerit, ingeniumque ſapientiſſimâ inſtitutione ad virtutes tam ſublimi faſtigio dignas finxerit, apud Principes, tum ſanguine tum affinitate junctos, eligi poterat.

Anno MDXCVI. *Chriſtiano* IV. *Daniæ* Rege R. *Jacobum* cum ſereniſſima Conſorte, ut ipſius coronationi velint adeſſe, literis invitatoriis rogante, cùm publica rerum adminiſtratio Regem è *Scotia* egredi non pateretur, qui id officium, quod tam arcta neceſſitudo poſtulaverat, pro more ſolenni apud Principes cognatos habito, ipſius nomine & vice præſtarent, virum nobiliſſimum D. Baronem *Ogilvium* & *Junium* noſtrum, quem adultiori ætate amavit impenſiùs, Legatos ſuos conſtituit. Quali autem pompâ & magnificentiâ auguſtus ille R. *Chriſtianum* coronandi ritus fuerit peractus, cùm virorum nobiliorum genii pariter ac proſapiæ, qui cæremonialia Regum ſtudiosè venantur, & legunt, curioſitati hinc aliquali ſaltem modo ſatisfieri poſſit, licèt fortaſſè hujuſmodi formulæ in Annalibus *Danicis* alicubi exſtare, aut ſaltem ex illius inclytæ Gentis Archivis facilè, me planè inſcio, peti poſſint, operæ tamen pretium facturus videbor, ſi illius hiſtoriam, uti videtur, ſatis accuratam à quodam Legatorum domeſtico deſcriptam in futuris collectaneis dedero legendam. Cùm verò nemo ſagaciori mentis ſolertiâ aut ingenio negotiis publicis expediendis aptiori polleret, aut fideliori opera legationum munera obiiſſet, ſi quis hoc vindice nodus occurreret dignus, ſive quid magni momenti negotium cum exteris Principibus eſſet tranſigendum, en, *Junius* ad juris Regii tuendi & utilitatis publicæ promovendæ partes advocatus, neutiquam ſe novis laboribus ſubducit, ſed Regi non tam mancupio & beneficiis, quàm potentiſſimo amoris & benevolentiæ vinculo obſtrictiſſimus, Regiis mandatis, omni excuſatione, quam aliter interponere potuiſſet, amota, lubentiſſimè obſecundatur. Res iſta, quam jam Rex animo agitabat, virum ſapientem & exquiſitis civilis prudentiæ dotibus inſtructum, & quaſi duplicatam fidem & diligentiam poſtulare videbatur, nec unius curæ & fidei committenda: Virum ideò admodum reverendum, ac ſubacti judicii, D. *Davidem Cunninghamium*, Epiſcopum *Aberdonenſem*, Collegam & legationis *Danicæ* & *Germanicæ* A. Ch. MDXCVIII. ſuſceptæ ſocium nactus eſt. De R. *Jacobi* ad *Angliæ* coronam jure, cùm id eſſet, tum *Anglis*, tum exteris, exploratiſſimum, utpote à *Margarita* R. *Henrici* VII.

VII. & *Eliſabethæ* R. *Edwardi* IV. filiæ primogenitæ, filia primogenita recta ſerie prognati, nihil certi ſtatuere voluit *Eliſabetha* R. nec unquam ſe paſſa eſt perſuaderi, licèt toties à *Jacobo*, toties à ſubditis rogata, ut id edicto publico in Comitiis Parlamentariis declararetur, utpote ab omni ſucceſſore nominando averſiſſima; quaſi hinc tum *Scotorum* tum ſubditorum mentes incertâ exſpectatione ſuſpenſas detentura, ne hi aut illi quippiam novi, ſe adhuc ſuperſtite, molirentur. Idcirco R. *Jacobo*, ne jus ſuum, ſi quid vetulæ Reginæ, infirmitatibus, quæ ſenectutem comitari ſolent, ſubinde laboranti, humanitùs accidiſſet, ſedulò erat cavendum, tum contra Pontificios, qui, mortuâ Reginâ, à tali ſucceſſore, cujus zelus adverſum corruptelas & ſuperſtitiones Romani cultûs univerſo Orbi dudum innotuiſſet, maximè meruerent, tum contra Puritanæ factionis Anteſignanos, alioſque, qui commodum privatum ex turbatis rebus quæſiverint. Hinc libelli inter vulgus judicii expers, & ſtudia in contraria Oratorum technis hinc inde abripi ſolitum, de jure aliorum ſparſi: hinc tituli prætextuſque à Leguleiis artificiosè ſub veri ſpecie excogitati. Ut verò Magnatum in *Angliâ* Rex blandis literis & pollicitationibus animos ſibi benevolos clam reddiderat: ita Regem *Daniæ*, & fœderatos *Germaniæ* Principes, quorum intererat, Religionem Reformatam contra *Romani* Pontificis, hoſtis acerrimi, neutiquamque, niſi agnitâ ipſius ſummâ in rebus ſacris, ne dicam, temporalibus, poteſtate, & projecta libertate placándi, machinas, tutam inconcuſſamque ſupereſſe, pro ſapientia ſua aggrediendos eſſe duxit, ut inde noſſet, quot militares copias, quot naves, quantam pecuniarum aut annonæ vim eſſent collaturi, ſi forte, opponentibus aut civibus aut exteris, jus illud ſuum, quod nulli, præter æmulos vicinos Principes, ne duo regna *Angliæ & Scotiæ*, hactenus bellis & feralibus diſcordiis per tot ſecula inter ſe commiſſa, in unum coaleſcerent, aut ſeditioſos ſubditos, in dubium vocaverint, vi & armis petere & tueri cogeretur.

Dum verò *Cunninghamius & Junius* præcipuum legationis negotium ea diligentiâ & fide, quâ par fuit, proſequuntur, de re paulò quidem diſparis argumenti, ſed ex qua familiæ *Stuartidûm* fama & decus alterutrinque non parum dependebat, ſoliciti erant. In *Germaniâ* non ita pridem vir pius & doctus, paciſque Eccleſiaſticæ & veritatis in rebus geſtis illius ac præcedentium ſeculorum fideliter enarrandi, quantùm ex libris editis privatiſque amicorum informationibus eam aſſequi licuit, ſtudioſiſſimus, *David Chytræus* Hiſtoricum quoddam Chronicon edide-

rat, in quo R. *Mariæ* exiſtimationem indigniſſimis modis laceravit. Quibus calumniis, ne auctoramento tanti Viri, cujus libri ob candorem mentiſque integritatem, quam præſe ſemper tuliſſe viſus eſt, per *Germaniam* circumvolitantes, omnium manibus terebantur, munitæ, ut certa meritæ infamiæ indicia legitimæque probationes, admitterentur, occurrere ſui officii eſſe cenſuerunt; honori Regis, quem pro pietate, quam natura & religio ad parentes etiam vita functos extendendam eſſe docent, maternam famam vindicandi zelus & cura tetigere, hac quoque ex parte conſulturi *Roſtochio* aberat *Chytræus*, cùm illam urbem tranſirent Legati, quicum de veritate ab illo læſa coram eſſent expoſtulaturi. Veruntamen cùm illinc diſcedendi citra omnem moram inſtaret neceſſitas, non contenti, colloquio cum ipſius Collegis habito, iſtam injuriam depuliſſe, *Chytræum* in literis ad illuſtres viros D. D. *Bordingum*, & *Baſſevitium Cuſtrini* datis de hoc argumento retractando monuerunt. Facilè ſe ab omni maledicendi ſtudio purgavit *Chytræus*, rejectâ in *Buchananum*, quem nimis oſcitanter ſecutus eſt culpâ, ſanctèque ac ingenuè profitetur, ſe mendacibus illis convitiis, quibus defunctæ Reginæ exiſtimationem, non quidem malitiosè aut conſultò, & ex induſtria, ſed ex nimiâ credulitate & reverentiâ erga *celeberrimi illius Hiſtorici* dignitatem, deformaſſet, expunctis, veriora, cùm ea fuerit edocendus, apponere paratiſſimum. Ad *Scotiam* reverſus *Junius* vitæ R. *Mariæ* compendium, ad *Chytræum* miſit, ut illius Hiſtoriæ pagellæ, quæ pudendis erroribus nimiùm quantùm ſcatebant, juxta normam veritatis oſtenſæ aliqua ex parte reformarentur.

Sed cùm nimis parcè, ne dicam, frigidè & jejunè, aut metûs, ne quorundam Magnatum cenſuram iramque incurreret, aut prudentiæ, ut iſtorum ſcelerum, ſpecie Religionis obductorum, memoria hoc ſilentio ex mentibus hominum eximeretur, aut modeſtiæ, quaſi maximo dedecori haberetur, Reginam illorum criminum vel leviuſculè ſuſpectam fuiſſe, causâ, in illis falſiſſimis & ignominioſis criminationibus depellendis egiſſe videatur *Junius*, remittendus eſt Lector, cui veritatis & juſtitiæ amor, & innocentiam diris calumniis oppreſſam & oppugnatam vindicandi cura & ſtudium cordi ſunt, ad virum optimum & ſapientiſſimum, *Guilielmum Camdenum*, qui in *Annalibus* ſuis hujus Heroinæ contra furores & blaſphemias *G. Buchanani* patrocinium ſuſceperit, donec vera iſtorum temporum hiſtoria ex Actis authenticis, epiſtolis, & confeſſionibus illorum, qui Deo, omnium ſcelerum & præſertim perfidiæ & perjurii, acerrimo vindici, animas reddituri, res, prout

ut revera in ſe erant, coram idoneis teſtibus ſponte, & nulla vi adhibita, cùm nullus jam diſſimulandi locus ſupereſſet, enarrarunt, latiùs, ſi Deus dederit, deducatur.

Ita multis, iiſque honorificis, legationibus perquam laudabiliter & ſummo cum totius Gentis *Scoticæ* applauſu defunctus, in Aula manſit, Regi, Reginæ, Magnatibuſque, tum ob elegantiſſimos politiſſimoſque mores, tum ob conſummatam civilem prudentiam charus; donec nova, eaque diu expetita, adeundi *Angliam* opportunitas ſeſe obtuliſſet.

De jure ſucceſſionis in regnum *Angliæ*, nemo, ne ex plebe quidem, paulò altiùs ſapiens, ambigebat, aut ambigere poterat: idque omnes boni, qui publicæ tranquillitati, Religioniſque Reformatæ commodo conſultum vellent, obnixè & ſummo quidem cum ſtudio cupiebant. Ideo cùm longævam vitam, victoriis & triumphis pariter ac annis cumulatam, expleviſſet feminarum glorioſiſſima, Regina *Eliſabetha*, R. *Jacobus* à Proceribus, Clero, reliquiſque civibus ad illud ſuum jus, quod leges divinæ & humanæ contulerunt, capeſſendum invitatur, ut ſub ejuſdem feliciſſimis auſpiciis, deletis ſopitiſque feralibus iſtis, quibus finitimi populi, ſive ex invidia, ſive ex metu, ſive ex innato amore ſui, ſalutiſque propriæ contra omnes hoſtiles impetus curâ, in ſe invicem ſolent exardeſcere, litibus diſcordiiſque, utraque gens in unam coaleſceret, & *Britannia*, non amplius à ſe, uti à reliquo terrarum Orbe, dividenda, æterna pace redintegraretur. Qui olim R. *Jacobum Daniam* ad complendas, cum ſereniſſima *Anna*, R. *Friderici* filia ſecundogenita, nuptias proficiſcentem comitatus eſt *Junius*, jam in *Angliam*, inter præcipuos, quos tum in pompam dignitatemque Aulæ, tum ob famam ſapientiæ, quorum conſiliis in rebus ad univerſam *Britanniam* ſpectantibus uteretur, ſecum duxerat ſereniſſimus Rex, venit novus inquilinus: qui mox gratia & elegantia ſermonis, morum quaſi ingenita ſuavitate, & ſapientiæ, tam in privatis colloquiis, quàm in publicis negotiis tractandis oſtenſæ, uſu, plurimorum benevolentiam & amorem adeptus eſt. Facilè enim perſpectum habuere, *Junium* gratiam illam, qua apud Regem pollebat, optimis artibus & fideli longoque miniſterio, non turpi adulatione inhoneſtiſque obſequiis meruiſſe. Quocirca illum frequenter adibant, illiuſque amicitiam captabant Viri quidam Eccleſiaſtici, ob eruditionis famam inſignioris notæ, ut ex illius, qui erat intimæ admiſſionis Aulicus, & mollia fandi tempora noverat, commendatione Regi innoteſcerent; neque enim cujuſquam elogium apud Regem

magis valere, quàm *Junii*, erat compertiſſimum. Inter hoſce eminuere *Franciſcus Godwinus Landavenſis*, poſtea *Herefordenſis* Epiſcopus, *Georgius Luydus Ceſtrienſis*, & *Georgius Sodorenſis*, de quibus, cùm ſibi invicem firmiſſimo amicitiæ fœdere conjungerentur, optimè mereri voluit: quod ipſi & ore & literis grati agnovere. Sed quod ad cumulum laudis *Junianæ* facit, illuſtriſſimus Princeps, *Mauritius*, *Haſſiæ Landgravius*, iſtius ſuaviſſimæ conſuetudinis, quam cum *Junio*, dum ultima legatione *Germanica* fungeretur, habuit, memor, Rege *Jacobo* jam totius *Britanniæ* Monarcha facto, illum familiaribus epiſtolis dignatus eſt, utpote quem ob præclariſſimas animi dotes ſtudiumque pietatis & eruditionis, amore, gratia, & benevolentia, quibus illum complexus fuerat, perquam digniſſimum fuiſſe, & quo nemo inter Conſiliarios res ipſius apud Regem aut majori cum ſucceſſu, aut ſinceriori fide procurare potuit, pro ſapientia ſua judicavit.

Inter hæc publica gaudia continuamque triumphorum materiem, illamque effuſiſſimam Regis in *Scotos* ſuos, quibus aureum iſtud ſeculum, quod fingunt Poetæ, de novo illuxiſſe credebatur, liberalitatem, de reviſendis patriis laribus cogitavit *Junius*, in *Angliam* ſubinde, prout officii ratio, debita erga Regem, clementiſſimum ſuum Dominum, reverentia, aut rerum ſuarum cura poſtulaverit, reverſurus. Non enim ſedes ſuas hîc perpetuò figendas eſſe voluit: maximè ſolicitus, ut patrimonium, à Majoribus acceptum, ipſiuſque induſtria novis reditibus auctum, ad ſeros nepotes recta ſerie ſecundum jus primogenituræ derivaretur: relictis interim in *Anglia* quinque aut ſex filiis, maximæ ſpei juvenibus, non fidei (illa enim erat exploratiſſima) obſidibus, ſed ad abſentis vices ſupplendas, Regiæ munificentiæ alumnis. Si quiſpiam ex Aulicis exiſtimari poſſit alienus ab ambitione, luxu, & avaritia, revera ille eſt *Junius*, utpote qui neutiquam affectavit aut titulos, aut delicias, aut opes, ſolo benefaciendi merito & conſcientia contentus. Sed cùm ipſe ſibi familiæque ſuæ deeſſe videretur, Rex, quanti modeſtiam animique illam moderationem æſtimaverit, inſigni Regii favoris indicio palam fecit. Primo enim XIX. die Februarii A. MDCIV. illum in cenſum Equitum Auratorum more ſolenni adſcivit, præſentibus Regina, Principe *Henrico*, *Carolo* Duce *Eboracenſi*, D. *Eliſabetha*, liberis ſuis, *Udalrico* Duce *Holſatiæ*, nobiliſſimaque Procerum coronâ, ut inde major collatæ dignitati ſplendor accederet. Deinde annuam trecentarum librarum ſterlingicarum penſionem, tanquam munus honorarium, per reliquum vitæ tempus aſſignavit, ut lautiùs ſplendidiùſque viveret.

Cùm

Cùm verò Rex ſereniſſimus grata mente recoluerit, quam fidelem, quam laborioſam, quam aſſiduam in illius ingenii culturâ operam impendiſſet *Junius*, relictos, dum ille natale ſolum repetiverit, filios pro indole illorum & inſtituto vitæ ſub illius tutela & auſpiciis educandos pro Regia bonitate & munificentia curavit, bene merentis Famuli fidem & curam pariter repenſurus.

Juſto & acutiſſimo horum beneficiorum ſenſu tactus *Junius*, literas ad Regiam Majeſtatem, obſequii & pietatis pleniſſimas, è *Scotia* tranſmiſit: quas in perpetuam tum Regiæ beneficentiæ, tum *Juniana*e gratitudinis memoriam hìc apponam.

SERENISSIMO R.

JACOBO,

PETRUS JUNIUS.

Invictiſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

Si quiſquam ſubditus aut ſervus Regi aut Domino ſuo unquam devinctus fuit, illum ego me eſſe multis nominibus profiteor. Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me beneficiorum, ut tuæ Majeſtati Regiæ poſt Deum omnia debeam. Quum enim animam & vitam habeam à Deo & parentibus, certè omnia vitæ tum ornamenta, tum præſidia habere me à tuâ Majeſtate ſolâ, ſecundùm Deum, lubens meritò agnoſco & accepta fero. Neque his finibus contenta Majeſtas tua erga me ſolum hac ſuâ munificentiâ uti voluit, quin & liberos quoque meos, ô raram benignitatem! Regiis ſumptibus in Regiâ alendos & tuendos ad ſenectutem meam ſublevandam dignata eſt admittere: & quum jam ameà ex iis quatuor aut quinque in Aulico miniſterio verſarentur, hunc etiam ſextum adjungere placuit, unico domi mihi relicto filio, eoque natu minimo. Quid ego pro tot ac tantis meritis rependam? Accipiam calicem ſalutis, & te, ô ſupreme Jehovah, Deum Jacob, ſupplex invocabo, & votis ardentibus fatigabo, ut JACOBUM *Regem, unctum & vicarium ſuum, delicias humani generis, Dominum, ac patrem meum munificentiſſimum, cum conjuge lectiſſimâ Heroinâ, ac ſobole Regiâ ab omni periculo protegas, atque Eccleſiæ*

tuæ, regnis ſuis, ac ſubditis, mihi præſertim, & meis, perpetuò incolumem & florentem præſtes. Amen, Amen, Amen. Ex Regiâ Sancruciacianâ XI. *Februarii* 1611. *ætatis* 67. *ſervitutis meæ liberrimæ* 42. *inchoato.*

Tuæ Majeſtatis Regiæ humillimus & obſequentiſſimus ſubditus & ſervus

PETRUS JUNIUS.

Non tamen ex hac beneficentia erga liberos officio, quod ſuorum ſtudiorum ab ipſius pueritia moderatori debuit, ſe prorſus defunctum credidit Princeps piiſſimus, cum *Trajano*, *Antoninis*, imò cum præclariſſimis & optimæ famæ Deceſſoribus ſuis meritò comparandus, ſi politioris literaturæ & Theologiæ, quam penitus imbiberat, ſtudio reliquas artes verè imperatorias addidiſſet. Præceptoris ſui curæ, fidei ac diſciplinæ memoria adeo altas in Regia mente radices egit, ut neutiquam inde ex longinquitate temporis aut qualicunque caſu intervenien-te avelli poſſet: quod Rex optimus, ætate maximè maturâ & ad ſenium vergente, præclariſſimo confirmavit teſtimonio. Cùm enim ipſius varia opera in unum volumen, ſtudio & cura *Jacobi*, Epiſcopi *Wintonienſis*, collecta, Latinè in publicam lucem ederentur, A. C. MDCXIX. exemplar *Junio* ſuo jam pluſquam ſeptuagenario dono dat Regius Auctor, cum hac inſcriptione, propria manu ſignatâ, quæ omnium aliorum elogiorum vicem abundè ſupplebit.

JACOBUS, *Dei gratia* Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ *Rex*, *Fidei Defenſor*, *Cl. V.* Petro Junio à Setoun, *Equiti Aurato*, *Conſiliario*, *& Eleemoſynario ſuo pro regno* Scotiæ, *hoc operum ſuorum Syſtema L. M. Q. offert, chariſſimo Præceptori gratus Diſcipulus, memor formatæ ab illo adoleſcentiæ ſuæ ad virtutis & literarum ſtudia, quæ quantoperè ex eo amaverit, librum hunc, ſui profectûs indicem & teſtem, mittit, bonorum, ut ſperat, debitorum more, qui ſerenâ fronte gratoque animo ſortem fœnore multiplicatam creditoribus reſtituunt.*

Greenvici XI. *Cal. Jun.*
MDCXX.

Mu-

Munus ſanè in ſe magnificum, & *Junio* pariter, ut opinari fas eſt, gratum, ac ſi gemmas è Regio cimeliarchio accepiſſet.

Inter *Scotos* ſibi habuit *Junius* maximè charos & familiares, *Georgium Buchananum*, Collegam ſuum, quem loco Parentis reveritus eſt, & cujus vitam compendio deſcripſit, *Joannem Skenæum*, doctiſſimum Juriſconſultum, & D. *Adamum Newtonum*, elegantiſſimi ingenii virum, qui erat ſereniſſimo Principi, *Henrico*, R. *Jacobi* I. filio primogenito, à literarum ſtudiis, & cui politiſſimam *Hiſtoriæ Concilii Tridentini*, à ſapientiſſimo viro, P. *Paulo Sarpio Veneto* adornatæ, Latinam verſionem debemus. Cum Exteris etiam celeberrimæ famæ magnas coluit amicitias, quales erant *Theodorus Beza*, *Iſaacus Caſaubonus*, & maximus ille Aſtronomiæ inſtaurator, *Tycho Brahæus*, quem pluſquam ſemel, primo ſolus, deinde in comitatu ſereniſſimi R. *Jacobi* apud *Vraniburgum*, plurimis cœleſtibus obſervationibus, ope magnorum inſtrumentorum, ſumma ut iſta ferebant tempora, arte elaboratorum, ab ipſo confectis, in omne ævum celebrandum, in inſula *Huena*, penè in aditu maris *Baltici* inviſebat: ut à cæteris, quorum epiſtolas jam edo nominandis prorſus abſtineam.

In ſua devexâ ætate (hoc eſt, poſt annum Chriſti MDCXX.) ſed robuſta vegetaque & ab iſtiuſmodi malis, quæ ſenectutem comitari ſolent, libera, omnibus quoque ſenſibus integris manentibus, jam domi conquieſcere voluit D. *Junius*, nec de *Anglia* laborioſis itineribus repetenda amplius cogitavit: vir, ſi quis unquam mortalium, numerosâ prole, & potitiſſimùm filiis, quos ad amplas dignitates, aut in Aulâ aut in Eccleſiâ, evectos lætus vidit, moderatis opibus latifundiiſque, quæ tamen ad decus & ſplendorem familiæ in poſteros derivandum abundè ſufficerent, omnium bonorum, etiam primariæ nobilitatis, Concivium, imo & exterorum Principum, puta *Frederici* Regis *Daniæ*, qui illum gemma magni valoris, & poculo ex argento deaurato, inſignibus Regiæ familiæ illic inciſis, quod adhuc apud V. Cl. *Robertum Young de Albarra*, in *Anguſia*, Pronepotem ſervatur, honoris & benevolentiæ causâ impertitus eſt, *Mauritii*, quem ſupra memoravi, *Haſſiaci*, aliorumque, maximè verò Regis ſui, optimi & munificentiſſimi Patroni, amore admodum felix. Hoc unicum reſiduo vitæ tempore illius animum graviſſimè afflixit dolore penè inconſolabili, quod clementiſſimo Principi, Diſcipulo quondam ſuo, vixerit ſuperſtes. Tandem vir optimus ſenio planè confectus, pabuloque, quo vita fovetur, penitus abſumpto, ſubſidiis, quæ

quæ religio Chriſtiana, pietas, fideſque in Deum maximè miſericordem & in *Chriſtum* Salvatorem, ad benè beatèque moriendum, conducunt, munitus, ex hoc tempeſtuoſo mari ad portum æternitatis placidè migravit, ſeptimo die Januarii A. *Chriſti* MDCXXVIII. poſtquam vitæ ſuæ annos octoginta tres, ferè cum dimidio, expleviſſet. Sepultus jacet in Eccleſiâ S. *Vigentii*, ab *Aberbrothiâ* in comitatu *Anguſiæ* mille paſſus diſſitâ: ad cujus memoriam in omne ævum tranſmittendam, Hæres monimentum pietatis cauſâ erigi curavit cum hac epigraphe:

PETRUS YOUNG à Seton, *Eques Auratus, ſereniſſimo ac potentiſſimo* Jacobo VI. Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regi à Studiis, Conſiliis, & Eleemoſynis, propter eruditionem, prudentiam, & morum elegantiam eximiam domi Regi ſuo & civibus charus, foris Regibus & Principibus, apud quos variis legationibus functus eſt, celebris.*

Hic beatorum reſurrectionem exſpectat.

Obiit Januarii VII. *A.* MDCXXVIII. *ætatis ſuæ* LXXXIV.

COMPENDIARIA NARRATIO

De Vita & Morte Sereniſſimæ Principis,

M A R I Æ

SCOTORUM REGINÆ:

Per D. PETRUM JUNIUM.

MARIA *Scotiæ* Regina, *Jacobi* V. *Scotorum* Regis filia unica, ac regni hæres, ex *Mariâ Lotharingâ*, Ducis *Guiſiæ* filiâ, (quam, defunctâ abſque liberis priore conjuge *Magdalena*, *Franciſci* primi *Gallorum* Regis primogenitâ, ſecundis nuptiis ſibi copulaverat) anno 1542. menſis Decembris ſeptimo in lucem edita; octo diebus ante Regis parentis, *Falcolandiæ* rebus humanis exempti, obitum: undè ingentes tumultus in *Scotiâ* exorti de Reginæ pupillæ cuſtodiâ ac Regni adminiſtratione inter Proceres potentiſſimos, *Matthæum Stuartum*, *Leviniæ* ſeu *Lennoxiæ*, & *Jacobum Hamiltonum Araniæ*, Comites. Sub id tempus cùm ab *Henrico* VIII. *Angliæ* Rege, *Edwardo* ſexto filio, *Mariæ* Reginæ, non adeò ætate diſparis, affinitas ſtudioſiſſimè ambiretur; deinde aliquot annis pòſt, *Henrico* fato functo, *Somerſettenſis* Dux, *Angliæ* Prorex, à Proceribus *Scoticis* eandem rurſus affinitatem, *Gallicâ* factione intercedente, fruſtra urſiſſet, ex repulsâ graviſſimum bellum, & *Scotiæ* regno calamitoſum, exarſit. *Maria* interim in *Galliam* abducta ſub quintum ætatis annum, ubi ad annos pubertatis educata *Franciſco* ſecundo, *Henrici* primogenito, tum Delphino, mox, mortuo Parente *Galliæ* Regi, deſponſata fuit: quo fatis concedente, Regina vidua in *Scotiam* ſuam, multis Principibus *Gallis* comitantibus, honorificentiſſimè reducta, quadriennium prudentiſſimè ac feliciſſimè ſummâ ſuâ cum laude & civium benevolentiâ regnum avitum adminiſtravit: cui ut meliùs conſuleret, Regiamque ſobolem ex ſe relinqueret, ad nuptias ſecundas animum adjecit, ac *Henricum Stuartum*, amitinum ſuum, *Matthæi* ſupra dicti *Lennoxiæ* Comitis ac Domini de *Darley*, filium natu maximum, ſtaturâ ac ſpecie

eximiâ, ac formæ dignitate præcellentem, Regiâ *Anglorum* ſtirpe oriundum, (nempe *Margaritâ Douglaſſiâ*, quam unicam ac hæredem, ſecundis cum *Archibaldo Douglaſſio*, *Anguſiæ* Comite, nuptiis peperit *Margarita*, *Scotorum* Regina, *Jacobi* quarti conjunx, *Jacobi* quinti mater, *Henrici* ſeptimi filia primogenita) ſibi ſponſum delegit, quibus
1566. ex nuptiis anno Domini 1566. Junii 19. auſpicatiſſimè ac bono publico natus eſt *Jacobus* ſextus, qui jam ſceptris *Scotorum* feliciſſimè potitur, ejuſdem *Henrici* ſeptimi *Anglorum* Regis indubitati abnepos; cujus regnum ut pium, felix, fauſtum, ac diuturnum ſit, faxit Deus Opt. Max. qui pro ſuo divino arbitrio regna ac diademata dat adimitque. *Henricus* Rex in ætatis flore (vix enim ætatis annum viceſimum exceſſerat) ab *Jacobo Hepburno*, Comite *Bothuello*, atque aliis conjuratis nefariè contrucidatus eſt, ſpondente inde ſibi *Bothuelio*, immani auſu, & Reginæ matrimonium, quod raptu tentavit, & ſublato infante Principe, Regium diadema: brevi pòſt conſcientiæ furiis exagitatus Parricida, quò tam atrocium flagitiorum pœnas, quæ ipſi parabantur, evaderet, in *Daniam* profugit; ſed ne ſic quidem ultrices Numinis manus effugere potuit; ibi enim duro ac diuturno carceri mancipatus, teterrimam animam exhalavit. Inſecuta eſt in Reginam ipſam nonnullorum Procerum conſpiratio, quâ circumventa, in arcem, in Lacu *Levino* ſitam, relegata fuit: unde elapſa ac tumultuariis copiis collectis, cùm in perduelles animadvertere, ac prælii aleam experiri ſtatuiſſet, illorum armis profligata, accedens in *Angliam*, tanquam in tutiſſimum ſalutis portum, uti ſperabat, ſe recepit. Ibi poſt octodecim annorum captivitatem, cùm toto hoc tempore de illâ quâvis fraude è medio tollendâ, clandeſtina competitorum fautores inirent conſilia, neque quicquam proficerent; quotidianis tandem calumniis apud Reginam *Eliſabetham* palam premebant, tanquam ipſius vitæ inſidiantem, atque, ipsâ ſublatâ, regnum *Angliæ* affectantem: itaque corruptis antè pecuniâ domeſticis miniſtris aliquot, ac præſertim Secretario quodam *Gallo*, ad conjurationem illuſtrandam productis, inſontem Principem, fictis criminibus oneratam, ream peragunt; neque prius deſtiterunt, quàm damnatam paucos poſt menſes, ſurrepto ad id Reginæ chirographo, *Mariam* Reginam, innocentiam ſuam conſtanter aſſerentem, neque muliebriter mortem expaveſcentem, ſed invicto animi robore Regum atavorum genus teſtantem, obtruncandam curarent; Reginâ inſciâ, atque adeò eorum ſævitiam deteſtante. Quod ipſa & literis crebris ſuâ manu exaratis *Scotorum* Regi ſanctè affirmavit, nec non Legatis miſſis di-

diligenter ſe purgavit. Reginæ *Mariæ* hæc vitæ cataſtrophe fuit, quæ ſanguinis cognatione aut affinitate omnes Chriſtiani orbis Reges, omnes penè liberos Principes attingebat. *Henrici* verò ſeptimi *Angliæ* Regis proneptis, ac proinde Reginæ *Eliſabethæ* agnata proxima, ac, ipsâ decedente, Regni hæres indubitata: *Galliæ* Regina dotaria, *Scotiæ* Regina hæreditaria, utpote *Jacobi* quinti filia unica & hæres, *Jacobi* quarti neptis, *Jacobi* tertii proneptis, *Jacobi* ſecundi abneptis, *Jacobi* primi adneptis, *Roberti* tertii, filii *Roberti* ſecundi, omnium *Scotiæ* Regum, trineptis.

Princeps meliore fortunâ digna, omnibus naturæ dotibus, omnibus regiis virtutibus, clementiâ præſertim, ornatiſſima, formæ venuſtate incomparabili, liberalitate, contenta, præcipuè animis ac prudentiâ ſupra ſexum, vel teſtante olim Poëtâ politiſſimo hoc carmine, ac veriſſimo de ipsâ ad ſeipſam elogio.

Nympha, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ
Miſſa per innumeros ſceptra tueris avos:
Quæ ſortem antevenis meritis, virtutibus annos,
Sexum animis, morum nobilitate genus.

Vide reliqua apud *Buchananum* in Epigrammate, Paraphraſi in librum Pſalmorum præfixo.

EX EPHEMERIDE
Cl. V. D.
PETRI JUNII,

De ſui ipſius proſapia, legationibus, & prole, excerpta: additis quibuſdam breviculis obſervationibus, Italico charactere notatis, quas ex ſchedis manuſcriptis aut aliunde collegi.

XV. *Auguſti.* Hic dies 1544. natalis fuit *Petri Junii de Setoun*, Equeſtris ordinis, pientiſſimo ac potentiſſimo *Jacobo* ſexto *Magnæ Britanniæ*, & Regi à prima infantia, pueritia, & adoleſcentia

à ſtudiis, poſtea à conſiliis, & variis legationibus ad exteros Reges ac Principes, nec non ab Eleemoſynis. Natus eſt *Taoduni* in *Anguſia*: ſervivit Regi ſuo ac Domino clementiſſimo quinquaginta quatuor annos, & menſes undecim, ac dies undecim, ſumma cum cura, fide & integritate, teſte conſcientia, ac teſtibus omnibus probis, qui eum in Aula noverint.

Dei omnipotentis Numine gubernante, famulorum omnium Regiorum qui adhuc ſunt ſuperſtites, facilè primus, utpote qui Regi ſuo inſervivit ab ipſis penè incunabulis, admotus per Proregem ipſius infantiæ ſtatim à trimatu. Hæc eſt & fuit ambitio *Juniana*. Alii aliud pro ſe quiſque jactent. Hæc ſcribebat *Petrus Junius* anno Domini 1624. Decembris undecimo in *Juniano* ſuo, anno ætatis 81. currente, integris, ſit gratia Dei, omnibus ſenſibus; victurus, quamdiu Deo optimo maximo viſum fuerit: hoc tantillum ævi, quod ſupereſt, utinam piè ac ſanctè tranſigat, ac ſarcinas colligere incipiat, vel potius abjicere, brevi expeditior migraturus, depoſita hujus corporis ſarcina. En diem beatæ reſurrectionis exſpectat, perſuaſum habens, mortis diem natalem eſſe æternæ vitæ.

Februarii 19. Hoc die ſereniſſimus Rex ac Dominus clementiſſimus me dignitate equeſtri ornavit, unà cum nobili *Anglo*, D. *Henrico Dimock*, ipſo natali die Principis noſtri *Henrici*, & ipſo præſente, ac Duce *Eboracenſe Carolo*, ac Domina *Eliſabetha*, filia Regis primogenita: aderat & Dux *Holſatiæ Udalricus*, ſereniſſimæ Reginæ noſtræ frater germanus, qui gladium Regi præbuit, atque Conſiliarii Regis ex intimis complures, in penitiori Regis cubiculo, anno 1605. in palatio *Whitehall*.

Joannes Junius, pater mihi longè chariſſimus, in pia Filii Dei invocatione ac confeſſione.... lentâ febri exſtinctus placidè obdormivit pridiè Cal. Septembr. anno ultimi temporis 1583. ætatis verò ſuæ 86. Elatus eſt poſtridie, ac ſepultus *Taoduni* propè conjugem ſuaviſſimam, quæ annis 5. menſ. 2. d. 19. eum præceſſerat, nempe A.D. 1578. 5. Id. Maii, cum qua conjunctiſſimè vixerat annos plus minus 46. ac ex ea ſuſceperat liberos... quorum ſuperſtites reliquerat mares, *Joannem*, præfectum Eccleſiæ *Deſertanæ*, *Petrum*, Regiæ Majeſtati à Studiis & Eleemoſynis, ac *Alexandrum*..... cubiculi Regis Oſtiarium: feminas, *Iſabellam* ac *Joannam*: alii in pueritia mortui ſunt: præter *Henricum*, qui in *Scania* in bello..... *Sueco* militaret.

Margarita Scrimger, ex antiqua & nobili *Scrimgerorum* familia, ma-

mater mea chariſſima, undecimo die Maii A. 1578. vitam hanc mortalem cum æterna commutavit, ætatis ſuæ 68. *Taoduni.*

Alexander Junius, frater meus natu minimus, ſereniſſimo Regi noſtro *Jacobo* VI. interioris cubiculi Oſtiarius: in quo munere triginta annos & amplius fideliter ſe geſſerat, 29. Decembris obiit *Taoduni* in ædibus propriis 1603. & ultimo hujus menſis in Templo novo ſepultus, meipſo curante funus. Vixit annos . . .

Januarii quarto. Admiſſus in clientelam Regis A. 1569. deſinente, Comite de *Murray* tunc temporis Gubernatore, anno ætatis meæ viceſimo quinto: huic muneri admotus detentuſque dum apud me in *Galliam* reverti animo apud me conſtitui, & ad idem præſtandum authentico ſcripto auctoratus.

Viceſimo die Julii. Hoc die 1586. Legatus primùm à ſereniſſimo Domino meo clementiſſimo ad invictiſſimum *Daniæ* Regem, *Fridericum* ſecundum, miſſus, navem *Taoduni* conſcendi, atque ſecundo vento è portu ſolvens, *Helſingoram*, Deo propitio, 26. ejuſdem menſis ſub meridiem appuli: uſus ſecundiſſima tempeſtate. Hæc fuit ſex Legationum prima.

Triceſimo primo Maii. Hodie anno 1587. iterum Legatus miſſus in *Daniam* ad *Fridericum* ſecundum. Navim *Lethæ* conſcendi, unà cum generoſo & optimo Collega *Patricio Vauſio à Barubarraiſe* Equite.

Aprilis 27. 1594. Hoc die è *Lethenſi* portu ſolvi, Legatus in *Daniam* ad *Chriſtianum* IV. Regem, & ad Reginam *Sophiam*, nec non ad illuſtriſſimos Principes Imperii Romani, *Udalricum Megalipolitanorum*, & *Henricum Julium Brunſwicenſium* ac *Luneburgenſium* Duces. A. 1594.

Viceſimo quinto die Novembris 1598. ex *Danica* & *Germanica* Legatione cum Collega Epiſcopo *Aberdonenſi* prope *Inchekeith* in anchoris ſtetimus: & poſtridiè *Letham* appulimus: cùm menſe Julio præcedente è *Scotia* ſolviſſemus.

Uxorem virginem duxi *Eliſabetham Gibb*, 4. Februarii 1577.

Junii primo nata eſt mihi *Maria* filia primogenita ex *Eliſabetha Gibb* conjuge paulò poſt nonam veſpertinam A. 1579. in arce Regia *Sterlini.* Nomen ſereniſſimus Rex ipſe præſens chariſſimæ matris ſuæ Reginæ imponi voluit, ſuſcipiente ipſius Majeſtatis mandato ac nomine infantem, ac ſacro lavacro admovente, illuſtri D. *Joanne Murriæ* Comite, ac *Alexandro Hayo*, Archivis Regiis præfecto: matronis nobilibus quamplurimis præſentibus ac ſolennitatem cohoneſtantibus. 21. Febr. Nup-

tiæ *Mariæ* primogenitæ, ſereniſſimi Regis ſumptibus in Regia *Sancrucianâ* celebratæ, Reginâ famulam ſuam ad thalamum ducente.

Decimo Junii A. 1580. Uxor *Eliſabetha* mihi peperit gemellos *Sterlini* in arce Regia: primogenitum *Jacobum* circa horam tertiam pomeridianam, minorem verò natu *Henricum* hora ferè poſt: quorum ſuſceptores fuerunt, dum ſacro baptiſmate initiarentur, Regis nomine, Abbas de *Dryburgh*, & *Cabuskynneth* die 16. ejuſdem menſis *Sterlini* in eadem arce Regia.

Jacobus & Henricus, *gemelli*; *Ille autem natu maximus, cui, quando è ſacri baptiſmatis lavacro ſuſciperetur, nomen ſuum indi juſſerat R.* Jacobus, *ab eodem ætate virili Equeſtri dignitate inſignitus, in cenſum Nobilium Regiæ privatæ, ut appellatur, Cameræ erat adſcitus, & poſtea latifundiis in Comitatu* Longfordiæ *in* Hibernià, *utpote in Regiam poteſtatem, profligatis rebellibus, unà cum reliquis in Provincia* Ultonienſi, *pridem redacta, mille acras terræ continentibus donatus.*

Margarita filia mihi nata eſt 14. Novembris 1581. circa undecimam noctis *Setoni* in *Juniano* meo, & baptizata 5. Decembris, ſuſceptore *Jacobo Melvino*, Verbi Dei Miniſtro.

Uxor mihi iterum gemellos enixa eſt primo die Julii 1583. paulò ante meridiem 1583. quorum ſuſceptores fuerunt, *Roberti* Comitis *Marutiæ* nomine, *Gulielmus Ouchterlowry*, D. à *Kelly*, & vicinus meus *Gulielmus* item eodem cognomento: atque hi quidem *Roberti* minori natu nomen impoſuerunt; *Petri* verò primogeniti ſuſceptores fuerunt *Davidà Gardin*, Dominus de *Loys* & *Patricius Zuhyteleius de New-Grange* die 16. hujus menſis.

Petrus & Robertus *etiam gemelli.*

Petrus, *præcipuus inter Admiſſionales in Aula ſereniſſimi Regis*, Caroli I. *ab eodem A.* 1628. *unà cum nobiliſſimo Viro, D. Barone* Spenſero, *ad R.* Guſtavum Adolphum, *Regem* Sueciæ, *cum inſignibus nobiliſſimi ordinis Periſcelidis, in quem erat ſolenni pompa admittendus, comitante quoque Heraldo, mittebatur. Hic verò Rex fortiſſimus*, Petri *aulicis moribus & prudentia delectatus, Equitem Auratum conſtituit, & ut favoris ſui perenne ſupereſſe poſſet monimentum, quoddam augmentum gentilitiis inſignibus inſerendum juſſit. Diem ſuum obiit. 6. Febr.* 1631. Robertus, *vir ingenii dotibus ornatiſſimus, poſt* Galliam Italiamque *perluſtratas, itinere in Orientem ſuſcepto*, Hieroſolyma *aliaque loca ſacra inviſebat. A. C.* 1608. *Obiit* Weſtmonaſterii 17. *Martii* 1620.

cu-

cujus prematuram acerbamque mortem agerrimè ferentes Amici illius laudes Latinis elegiis celebrarunt.

Augusti 29. 1584. Circa noctis medium uxor mihi peperit *Patricium*, circa initium novi mensis Lunaris: qui quidem sacro baptismate initiatus est postridie in fano *Vigiano*: susscipientibus *Georgio Balfour de Tarry*, vicino meo *Gul. Ouchterlowry*, præsente Domina de *Bonnyton*, & mariti sui nomen infanti imponi rogante.

Hic Vir eruditissimus erat serenissimis R. R. Jacobo *I.* & Carolo *I. à Bibliothecis: cujus vitam amplo satis commentario illustravi.*

Joannes filius meus natu sextus 25. die Junii 1585. *Setoni* nascitur circa horam septimam vespertinam, ac 7. die Julii sacro baptismate initiatur: susceptoribus *Joanne Carnegy à Kinnaird*, ... *Balfour*, Decano *Glascuensi*, ac *Joanne Ramsay ab Arbeky.*

Hic tum à R. Jacobo, *tum à Parente suo sacris Ecclesiasticis destinatus*, Cantabrigiam *juvenili ætate mittebatur, ubi in Collegio* Eiduliano Sussexiano *sedulam utilemque operam Theologiæ studiis impendit: in qua Facultate & Baccalaureatum & Doctoratum postea annis maturis ingenti cum laude adeptus est.* Galliam & Germaniam *fausto itinere peragravit, nobilissimi juvenis, filii Baronis* Whartoni, *Comes & Ephorus. Tandem ad Ecclesiæ Cathedralis* Wintonensis *Decanatum à serenissimo Rege* Jacobo *evectus erat & quidem ob pietatem, eruditionem, & sapientiam planè dignus idoneusque habitus, qui ad generalem Cleri* Scoticani *apud* Bertham *conventum A.* 161 *de quinque istis articulis, ad cultum sacrum, disciplinam, ac regimen Episcopale istius Ecclesiæ spectantibus, condendis stabiliendisque, Regio nomine delegaretur. Quàm sapienter isto præclaro munere functus sit, istius celeberrimi conventus historia, quam V. C.* Lindlæus *in publicam edidit lucem, clarè docet. A.* 1621. *cùm Archiepiscopus* Spalatensis, *literis ad R.* Jacobum *veniam ex* Anglia *discedendi petiisset, missus erat cum reverendissimis Episcopis* Londinensi & Wintonensi, *à Regia Majestate ad disceptandum cum illo de istarum literarum, quæ ipsi mira videbantur, variis argumentis: cujus colloquii plena relatio ab iisdem edita erat* Londini *A.* 1624. *Ut verò de patria Musisque aliquatenus mereretur, Scholam instituendis pueris, bonarum literarum rudimentis destinatam in Academiâ* Andreopolitanâ *propriis impensis A. C.* 1641. *curavit exstruendam: ut inscriptio supra portam ostendit.*

Die 31. *Januarii* 1587. circa horam .... pomeridianam uxor mihi tertiò gemellos peperit: marem alterum cui 11. Februarii sequentis sacro

cro baptiſmate initiato *Friderici* nomen in gratiam optimi & ſereniſſimi Regis *Daniæ*, *Friderici*, ejus nominis ſecundi, inditum eſt: alteram feminam, *Joannam*. Suſceptores fuerunt D. *Alexander Betoun*, Archidiaconus *Laudonienſis* & ſuo & abſentis Domini de *Ogilvy* nomine, *Henricus Guthrie à Colliſtoun*, *Jacobus Perſoun à Carny*. Interfuerunt & horum conjuges, aliique nonnulli nobiles vicini. Sed memoranda inprimis illuſtris Domina, *Joanna Forbes*, Domina de *Ogilvy*: quæ pro *Sophia Joannam* ex ſuo nomine filiam meam vocari voluit & obtinuit.

Fridericus obiit 16. Auguſti 1609. ſub quintam veſpertinam *Setoni* ex pthiſi: vixit annos 21. menſes 6. & 10. dies.

Michael, filius meus octavus, ac natu minimus, naſcitur circa horam noctis duodecimam 6. Novembris 1589. dum ego unà cum Rege ſereniſſimo in *Norvegiam* profectus eſſem.

Eliſabetha conjux 16. Febr. 1590. filiam enixa eſt circa horam pomeridianam *Annam* nomine, ita jubente Regina *Anna*: atque ita duodena prole me auxit Dominus, undecim reliquis ſuperſtitibus.

Decimo die Maii. Eliſabethæ Gibb, primæ & ſuaviſſimæ conjugis ex hac miſera ac fugaci vitâ in cœlum migratio ſub horam tertiam matutinam *Lethæ* 1593.

Sexto die Maii 1596. Nobilem matronam, D. *Joannam Murray de Torpichen* viduam, ſecundis nuptiis duxi *Edenburgi* in æde *Cuthberto* ſacra.

Conjux mea tertia *Marjoria* 20. die Aprilis 1601. filiam mihi peperit, *Euphemiam* nomine, primogenitam circa horam ſextam matutinam die Lunæ.

Marjoria conjux tertia, filiam mihi peperit *Eliſabetham* 11. die Febr. circa horam undecimam antemeridianam 1603. Suſceptoribus D. *Steuart de Traguaire*, & D. *Thoma Erskin de Dirlton* & Domina de *Elphinſton*, cum filiabus, & *Eliſabetha Schaw* ex Regina virginibus nobilibus.

Marjoria conjux tertiam filiam peperit 5. Julii 1604. *Nicolaam* nomine circa horam ſecundam pomeridianam, commatre Domina de *Bonnyton*; compatres *Sandford*, *Kenneth*, & alii nobiles vicini.

Marjoria conjux mea peperit 18. Decembr. 1608. *Arbellam* ſic nominatam ex D. *Arbellæ Stuartæ*, præſtantiſſimæ heroinæ, nomine circa horam ſecundam matutinam die Dominica.

HI-

HISTORICA QUÆDAM DE R. JACOBO I. & R. ANNA,

Illorumque liberis ex eadem Ephemeride *collecta.*

Novembris decimo nono die 1566. *Jacobus* Rex *Scotiæ* natus eſt paulò ante horam decimam antemeridianam, patre *Henrico Stuardo*, filio *Matthæi Stuardi*, Comitis de *Lenox*, matre *Maria*, filia unica *Jacobi* V. Regis *Scotorum*, & regni hærede, quæ prius nupta fuit *Franciſco* ſecundo, *Galliarum* Regi.

Auguſti viceſimo nono. Jacobus D. G. *Scotorum* Rex coronatur 1567. natus annum unum & decem dies ſupra menſem.

Septembris 29. Le Roy partit de la ville de *Sterling*, où il avoit été nourri, & ſejourna l'eſpace d' . . . ans pour s'acheminer à *Edinburg.* 1579.

Octobris viceſimo tertio 1589. Sereniſſimus Rex, *Jacobus* ſextus, navem clanculum conſcendit *Lethæ* hora undecima noctis, in *Norvegiam* navigaturus; poſtridie, qui fuit dies Veneris, ventis adverſis repulſus, propè S. *Minuens* in anchoris ſtetit. Inde ſolvens ſub noctem 28. *Flecroen*, *Norvegiæ* ſinum, ſubiit, à *Barbario* & me introductus, ubi ſecundum ventum præſtolans dies pluſculos, die Veneris, qui fuit Novembris ſeptimus, poſtquam in navi noſtra pranſus eſſet, vela facere juſſit. Sequenti die ſub meridiem *Langfundum* appulimus: ubi relictis navibus, *Tunsbergum* & *Aſloam*, partim equis, partim trahis, partim ſcaphis vecti, pervenimus *Hafniam* die . . . Novembris.

Ibi Regis & Reginæ congreſſus ac felices nuptiæ.

Maii primo 1590. *Jacobus* VI. Rex *Scotorum* cum *Anna* Regina conjuge ex *Dania* rediens, *Letham* felicitèr appulit.

Auguſti quinto. Hoc die optimi Principis, *Jacobi* VI. P. P. σωτήρια celebrantur, ex parricidarum *Ruthrenorum* fratrum omni ævo teterrimorum manibus, non ſine inſigni numinis, ὡς ἐκ μεχανῆς, providentia, confoſſis ſicariis, erepti ac ſervati, ſummo piorum omnium ac Reip. Chriſtianæ bono atque emolumento anno 1600. *Perthæ.*

Julii viceſimo quinto 1603. *Jacobus* VI. *Scotiæ* Rex ſereniſſimus, Do-

minus meus clementiſſimus, hoc die coronatur *Angliæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Rex, *Weſtmonaſterii* per Archiepiſcopum *Cantuarienſem*.

Decembris undecimo. D. *Anna*, Regina noſtra, ſereniſſimi ac clementiſſimi *Friderici* ſecundi filia ſecundo genita, hoc die nata eſt A. 1574. *Henricus* IV. *Galliæ* R. eodem die natus A. 1553.

Maii decimo ſeptimo. Anna Regina coronatur in æde S. *Crucis* prope *Edinburgum* ſolenni pompa 1590.

Ejuſdem menſis viceſimo. Anna Regina *Edinburgum* ingreditur magno cum applauſu & celebri pompa.

Liberi Regis Jacobi & *R.* Annæ.

Februarii decimo nono 1593. Hora tertia matutina Princeps noſter, ſpes *Magnæ Britanniæ*, *Henricus* naſcitur, primogenitus ſereniſſimi R. *Jacobi* ſexti.

Novembris decimo nono. Carolus Dux *Eboraci* &c. ſereniſſimi R. noſtri *Jacobi* filius natu ſecundus, naſcitur hora decima veſpertina, A. 1600.

Januarii decimo ſeptimo. Robertus Dux *Kintiræ* &c. ſereniſſimi Regis noſtri *Jacobi* filius natu tertius, naſcitur hora undecima veſpertina 1602. Obiit poſt brevem lucis uſuram viceſimo ſeptimo Maii ejuſdem anni.

Auguſti decimo nono 1596. *Eliſabetha*, ſereniſſimi Regis noſtri *Jacobi* hodie nata eſt hora ſecunda matutina.

Decembris vigeſimo quarto. Margarita, filia ſereniſſimi Regis natu ſecunda in lucem edita eſt 1598. inter quartam & quintam matutinam. Obiit Auguſti decimo octavo A. 1600.

Aprilis nono 1605. Hoc die ſereniſſima Regina, D. *Anna*, filiam peperit *Mariam*, tertiam natu ſub horam quartam matutinam *Grenovici*.

Junii viceſimo ſecundo. Sereniſſima Regina, *Anna*, quartam *Grenovici* peperit filiam circa horam quartam matutinam, eodem die ſacro lavacro ablutam, *Sophiam* nomine, quæ ὀχ ἡμερόβιος ἀπέθανε.

Septembris viceſimo ſeptimo 1582. *Georgius Buchananus* hoc die extremum ſuum clauſit *Edinburgi*: ætatis ſuæ anno. . . .

Octobris duodecimo 1605. Venerandus ſenex, D. *Theodorus Beza*, *Genevenſis* Eccleſiæ Paſtor, Præceptor meus obſervandiſſimus, nullo morbo, nec dolore, ſed ſenio tantùm confectus: quippe annum ætatis agens 86. hoc die in cubiculo togatus obambulans, diſertè de Deo diſſerens, integris omnibus ſenſibus, uno momento, in ſpondam lecti ſedens, piè ac placidè in Domino obdormivit *Genevæ*. Vixit annos 86. menſes 3. dies 19.

TE-

TESTIMONIA & ELOGIA

Præſtantiſſimorum Virorum

de D. PETRO JUNIO.

G. Camdenus in deſcriptione *Scotiæ* in *Lothiana*, de *Muſſelborow* loquens. pag. 688.

Hoc in loco nec tacitus præterire debeo, hanc Inſcriptionem, quam I. Napier, *vir eruditus, in ſuis ad* Apocalypſim *commentariolis hic effoſſam prodidit, & clariſſimus* Petrus Junius *Eques Auratus, Regi* Jacobo *VI. à Studiis, ſic verius deſcripſit.*

Jacobus Epiſcopus *Wintonienſis* in præfatione R. *Jacobi* primi operibus præfixa: *Londini* 1619. fol.

— *Rex noſter ſereniſſimus, quem Deus Opt. Max. eximiis adeo naturæ dotibus, incredibilique mentis acie beavit, (ita ut literatiſſimus, mihique longè amiciſſimus,* D. Petrus Junius à Seaton, *Eques, ſereniſſimæ Majeſtati ſuæ olim à Studiis & legationibus, nunc verò à Conſiliis & Eleemoſynis in regno* Scotiæ, *non immeritò* θεοδίδακτον *vocare ſoleat)* —.

Memorata perquam dignum videbitur, *Scotica* Etyma D. *Petri Junii*, ordine Alphabetico, à Græca lingua deducta, inter manuſcriptos codices *Franciſci Junii*, viri celeberrimi, in hypero *Bodleiano* n. 74. hodiè ſupereſſe.

Nullus dubito, quin D. *Junius* importunis D. *Thomæ Randolphi*, qui crebris in *Scotia* legationibus functus fuerat, aliorumque precibus & poſtulationibus obſecutus, *Georgii Buchanani*, ſummi ſui Amici, vitam deſcripſerit. Sed ubi lateat, fruſtra adhuc quæſivi. Alii in hoc cimelio reperiendo erunt fortaſsè, quod opto ſperoque, longè fortunatiores.

DISSERTATIO THOMÆ RHÆDI:

Quod Regibus & licitum & decorum ſit ſcribere.

DAmnabitur fortaſſe arrogantiæ ſtudium meum, quod, dicendi inſolens, novæ cauſæ & prioribus ſeculis inauditæ patrocinium ſuſceperim; quum reus ſit non de plebe aliquis, qui ſalvâ cæterorum dignitate poſſet cadere, ſed qui populi Majeſtatem unus ſuſtinet, & niſi per Reipub. latus, vulnerari non poteſt, JACOBUS *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ* Rex, cujus vita ut præſente Numine non ſemel ab inſidiis aſſerta eſt, ita ſperamus famam, quam vita ſemper chariorem habuit, cœleſti vindici curæ fore, ut depulſa olim livoris nube luceat poſteris ſine labe, tanquam in ſpeculo repræſentatura, quid fugere debeant, quid ſequi. Hujuſmodi reus oratorem poſcit *Demoſthenem*, qui innocentiam ipſo periculo nobilitet, non hominem ſimplicem & inexpertum fori, qui bonam cauſam malè agendo infamet, quod tum magis dices, cùm objecti criminis novitatem cognoveris. Nec enim Rex optimus homicidio aut ſacrilegio ſanctum violavit propoſitum, nec iis præceps actus eſt, quæ ira & avaritia Principibus perſuaſere; ſed inſolitum admiſit facinus quod nec ipſe negare, nec præſens ætas neſcire poſſit, nec futura obliviſci, nempe Librum ſcripſit, hoc eſt illud nefas, cui Majores noſtri nomen non invenerunt, & ab accuſatoribus *Monſtrum* meruit appellari.

Ego naſcens juravi in verba Regis, & ſacramenti adhuc memor, malo hoſtem ferire, quàm vires excuſare, ſi vicero, laudabitur facultas; ſi victus fuero, non improbabitur voluntas: nec flagitio caret ſilere, ubi aut Deum audieris blaſphemari, vel ejus vicarium traduci: & pietatis eſt innocentem quemcunque à calumniâ vindicare, nedum ut Regem deſtituere liceat, pro quo etiam, ut pro patriâ, mori glorioſum habetur. Si natura mihi facundiam non dedit dignam reo, certè indignationem non negavit dignam accuſatoribus, quibus ipſis nec conducit ignoſci tantam petulantiam, ne ſpe impunitatis ſeipſis nequiores evadant. Obſecro enim, quis *Solon* aut *Lycurgus* Reges ſolos à ſcribendo juſſit abſtinere? Quibus

pœ-

pœnis ſancita eſt lex iſta? Quibus exemplis vindicata tranſgreſſio? Audivi ſæpè, Regibus multa licere, quæ cæteris nefas ſunt, & hoc eorum eſſe privilegium: nunc audio, Regibus nefas eſſe, quæ cæteris licent. Inverſa eſt igitur hoc plebiſcito natura rerum, & à Regibus ad ſingulos tranſlata eſt prærogativa, cunctis fruentibus libertate, quam illi amiſerunt, quod eò invidioſius dicitur, quia non conſtat quo ſcelere amiſerint. An natura novercali odio iis negavit, quod aliis maternâ benignitate indulſit? aut Ratio illis obvenit ſterilis, manca & inops prudentiæ, ut interdicto cavendum fuerit ne res bonas ſcribendo vitiarent.

His impulſi accuſatores, cùm impudentiam ſuam juris prætextu non poſſent tueri, quaſi illicitum eſſet Regibus ſcribere, decorum obtendunt, negantes, utut liceat, decere tamen: & hoc eſt quod eruditis nebulonibus MONSTRUM appellatur. At ego MONSTRUM duco, non Regem *Britanniæ* edentem, cùm res poſſit, ſpecimen ingenii, quod à ſapientiſſimis vulgo fieri conſuevit, ſed *Romanam* Papam, puerperii doloribus ejulantem, & parientem in publico ſine obſtetrice: illic opus erat *Hetruſco* Aruſpice, cùm Pontifices, qui gignere ſolebant, nothos parerent, non cùm Reges nihil faciunt niſi ordine naturæ, & more Majorum. O ſi viveres *Orbili*, ſcutica profectò vindicares tam rudem ſolœciſmum, non paſſurus *monſtri* nomen impune ab iis uſurpari, qui, quid *Monſtrum* eſſet, penitus ignorarent.

Nunc in rebus ipſis accuſatorum barbariem cognoſce. Prudentiam oculum eſſe humanæ vitæ, & cæteras virtutes dirigere in confeſſo eſt; ejus uſus in ſtylo & voce geminus apparet: ſed vocis donum tranſitorium eſt, unius ævi locique ſtyli beneficium ad poſteros quoque pertinet, locis & temporibus interminatum: quò meliùs de humano genere mereri videntur, qui omnia ſecula erudiunt ad virtutem, quam quorum omnis labor cum ipſis exſtinguitur. Cùm igitur ex horum ſententia, turpe ſit Regi & indecorum demereri ſibi hoc officio ventura ſecula, qui nobiliſſimus eſt prudentiæ fructus; ipſa prudentia turpis in Rege & indecora judicanda eſt. Quo pacto enim virtus deceat, cujus uſus etiam optimus dedeceat, aut quo modo pulchra erit in Principe prudentiæ poſſeſſio, ſi exercitio ejus longè pulcherrimo infametur? Auſcultate itaque, O Principes terræ, & accuſatores hujuſmodi unico ſanè placate obſequio; prudentiam, & quicquid inde naſcitur, abjicite; merum enim hoc eſt ſceptrorum dedecus & labes: infantiamque & barbariem primas ducite virtutum & ſpecioſiſſima Regii apicis ornamenta; ut nec ſenſa animi idoneis verbis exprimere, nec literarum

monumentis conſignare poſſitis. Nam hæc feciſſe vitio jam vertitur vobis & pudori: tum demum criminationem vitabitis, cùm ab his inſcitiæ magiſtris didiceritis, nihil ſapere.

Ignoſcant mihi hi Regum Cenſores, ſi quod ipſi unicè diſſimulant, detractâ larvâ, produxero in lucem: faciliorem conſiliis aurem præbebunt Reges, ſi, quorſum ea ſpectent, intellexerint. Cur enim Majeſtatem Principis dehoneſtari ajunt literis, in quibus ipſi unicum ponunt ſuæ Reipub. præſidium? quia nempe è re eorum eſt, omnes gentes obbruteſcere inſcitiâ, & Reges nihil noſſe, niſi ipſis obſequi. Seculum illud argenteum vel aureum revocatum cupiunt, quo regalis ſapientiæ apex habebatur cenſum omnem in Apoſtolicos conferre fiſcos, & nihil rectum putare, niſi quod Vaticani tripodis arbitrio gerebatur.

Ego vobis vitio non verto, Amici, quod literas in adverſariis odiſtis, per quas Occidentis imperio excidiſtis. Poſtquam Orbis inſcitiæ jugum excuſſit, veſter eſſe deſiit; & inciſo quaſi nervo tyrannidis, liber & ſuus factus eſt; itaque nunc eum execramini tanquam alienum: nec ſine animi deliquio meminiſſe poteſtis accepti vulneris; quod nunquam, niſi diabolo chirurgo, cicatricem obducet, alienatis ab obſequio omnibus *Tranſalpinis*, avulſis à corpore veſtro *Germania*, *Britannia*, *Dania*, *Suecia*, anhelante libertatem *Italia*, leges dante, non accipiente *Hiſpania*. Quis tam ferrens vobis hîc interdicat ad eruditionis nomen gemere? & honeſtiſſimas dicendi & ſcribendi artes, veras veſtræ calamitatis cauſas verniliter inſectari? Tantum abeſt, ut has impatientiæ voces Rex clementiſſimus ad vivum reſecet, ut venia quoque & riſu proſequatur. Solent victores in ludorum quoque certaminibus abſque ſtomacho leviora ferre convicia: partis victæ dolori indulgetur protervia. Nec meretur ſanè victoriam, qui hoc victis ſolatiolum invidet. At verò tanti non eſt Regi *Jacobo* literas abjicere, ut vobis non diſpliceat; aut virtutem exuere, ut veſtram petulantiam vitet: nimis hoc carum putat iracundiæ veſtræ hoſtimentum. Serum eſt præterea jam dediſcere, quod teneris in annis hauſit, & difficile prorſus mutare, quod perpetuâ conſuetudine illi in naturam jam abiit. Quis neſcit ejus adoleſcentiæ formandæ peritiſſimos *Europæ* artifices adhibitos, quorum alter *Georgius Buchananus* politiſſimo ſuo ſeculo literatior; mille annis proximis neminem invenit, niſi minorem: ô utinam in eo homine cætera reſpondiſſent ingenio, haberet *Scotia* noſtra,

tra, quem antiquis æquaret. Alter ſolis moribus Collegæ diſſimilis, *Petrus Junius* plurimarum literarum vegetam memoriam ab ætatis injuria etiamnum vindicat, dignus ſanè, qui ſenio non ſeneſceret, niſi animi ſui decus in filios propagaſſet. Ab his magiſtris concepit Rex noſter honeſti verique indelebiles imagines, quas accuſatores iſti, ut ridiculas & Principe indignas, fruſtra nunc cupiunt exſtirpatas. Iis quoque Majoribus prognatus eſt, qui regale otium Muſis oblectare, & publicas curas hac literariâ dulcedine diluere conſueverunt. Scitote quod in eo vitium arguitis, jam immedicabile eſſe, quia hæreditarium eſt.

Cætera deſunt.

Cla-

Clarissimi Viri

PATRICII JUNII,

Sereniſſimis R. R. JACOBO I. & CAROLO I. Britanniarum Monarchis à Bibliothecis

VITA.

Scriptore

THOMA SMITHO,

S. Theologiæ Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

VITA.

VITA

Viri Clariſſimi

PATRICII JUNII.

PATRICIUS YOUNG (quem pro ipſius ac Patris more, habita linguæ *Latinæ*, quam uterque ſummo cum ſtudio excoluit, ratione, ac etiam virorum eruditorum ſuperiori præſertim ſeculo poſt bonas literas feliciſſimè renaſcentes, veterum *Romanorum* cognomina, ſi idem verborum ſenſus pateretur, affectantium exemplo & ritu, deinceps *Junium* appellabimus) natus erat XXIX. Auguſti anno reparatæ ſalutis humanæ MDLXXXIV. ut accepi, *Seatoni* in *Lothianâ*, *Scotiæ* Provinciâ, quæ licèt, aliis regionibus benigniore ſole calentibus ubertate frugum cedat, interim ſuis contenta bonis, quæ ad vitæ jucunditatem citra luxuriem abundè ſufficiunt, omni tempore fortes ac ſtrenuos viros produxit, & fertilis ingeniorum parens meritò habetur: hiſce nimirum prærogativis, & civium excelſæ mentis dotibus, à quibus, non ab adſcititiis commodis extra noſtram poteſtatem ſitis, verus honos & laus derivatur, nullis Gentibus, quaquaverſum patet orbis terrarum, poſtponenda.

Patrem habuit virum illuſtrem *Petrum Junium*, qui antiquæ & ſplendidæ ſtirpi, è quâ erat prognatus, non leve ſplendoris & gloriæ incrementum ſuperfundebat, de quo, cætera ad oportuniorem locum magiſque proprium reſervaturus, hoc unicum in præſenti dicam, quod ob acre excelſumque ingenium conſummatamque ſapientiam & eruditionem, qui ſereniſſimi *Jacobi* VI. *Scotorum* Regis, & poſt, decedente gloriosâ ac beatæ memoriæ Regina *Eliſabethâ*, femina incomparabili, & regiis virtutibus ornatiſſimâ, primi *Britanniarum* Monarchæ, ætatem puerilem adoleſcentemque regeret, eumque primis literarum rudimentis, & virtutis pietatiſque præceptis formaret, unà cum *Georgio Buchanano*, Collega & ſocio, dignus haberetur: quod Regem per omnem vitæ ætatem grato ore agnoviſſe, & inſigni elogio edito teſ-

tatum feciſſe alibi oſtendam. Felix ille hoc præclariſſimo munere, quo Patriam ſibi devinxerat, aliiſque dignitatibus, quas virtute ſuâ adeptus eſt, pariter quoque felix numerosâ prole maſculâ, quæ paternam virtutem referebat: ex octo enim filiis, quos genuerat, ſex tanto parente dignos, & quos virtus, quâ ſinguli peculiaritèr eminebant, longè illuſtriores reddiderat, quàm natalium ſplendor, regio favore & omnium bonorum applauſu exceptos lætis oculis grandævus videbat: quod non exiguum divinæ benignitatis indicium fuiſſe omnes cordati facilè crediderunt; potiſſimùm verò (a) illuſtriſſimus Princeps, *Mauritius*, *Haſſiæ* Comes, ita pro pietate ſuâ, ita pro iſtâ, qua erga illum ferebatur, amicitia interpretatus eſt.

Ex hiſce verò natu quintus erat *Patricius* noſter, qui paternâ inſtitutione ac domeſticis exemplis, & honeſtâ, quæ inter fratres oriri ſolet, æmulatione excitatus, docili ingenio, quod inſeverat natura, induſtriam adjiciens, ingentem, eamque non illætabilem, bonæ frugis, cum creſcentibus annis maturuerit judicium, ſpem in ipsâ pueritiâ dedit. Non poſſum hîc non laudare *Scoticæ* Gentis Nobilium tum affectum tum prudentiam, quæ præcipuè eminet in ingenua filiorum educatione, quibus ſi non opimas relinquant hæreditates, hoc ſedulò agunt, ut liberalium artium intelligentiâ & familiari linguæ *Latinæ* uſu ſint præditi; adeò ut quocunque aut militaris gloriæ ardor, aut peregrinandi ſtudium eos vocaverit, in veteri *Latio* nati videantur. Non enim illos aut molli ignobilique otio, quod in vitium facilè trahit, aſſueſcere, aut luxuriâ diffluere, aut turpiculis famulantium, qui incautæ juventuti inſidias ſæpè ſtruunt, obſequiis corrumpi patiuntur, ſeveri morum ac ſtudiorum exactores. Quod laudabile inſtitutum, ſi illi, quibus indulgentior ſors mitiuſque cœlum obtigit, imitari voluiſſent, inter *filios Heroum tot noxas*, *tot ludibria*, *imo tot humani generis propudia* mundus triſti ſuo damno hodiè non ſenſiſſet.

Penè impuber ex paternis ædibus egreſſus, ad Academiam *Andreanam*, ubi diſciplina maximè vigebat, alacri animo conceſſit, diſciplinis Philoſophicis ſub vigilantiſſimis Præceptoribus, quibus id curæ maximè fuerit, ne diſcipuli aut omninò aut impunè otiarentur, inſtruendus: & poſt quadriennium expletum, laureâ magiſtrali non tam pro more ſolenni, quam pro dignitate ac merito ornabatur; anno ſcilicet hujus ſeculi tertio.

Pau-

(a) In literis ad D. *Junium* ſcriptis.

Paulò antè Pater ipſius, à longo tempore inter Regios Conſiliarios adſcitus, Regem *Jacobum*, in quem, utpote certiſſimum hæredem, regnum iſtud ſummo jure, tam divino quàm humano, nuperrimè devolutum erat in *Angliam* comitatus eſt; à cujus amplexibus non diu aberat *Patricius*, tum ut ejus ope & conſilio in eligendo vitæ genere, cui ſe eſſet impendiò addicturus, uteretur, tum ut in hac alterâ *Britanniæ* parte fortunarum ſuarum fundamenta ſub auſpiciis clementiſſimi Regis & paternorum meritorum præſidio meliùs poneret.

At Pater guarus, vel igneum mentis vigorem, quem *Scythicæ* pruinæ expugnare non poterant, Aulæ blanditiis, quæ juvenum mentibus, niſi ſolidiſſimâ virtute obfirmatis, ſenſim obrependo ſeſe inſinuant, tanquam peſtilenti halitu obtundi ſolitum, tandem planè evaneſcere, ipſiuſque bonam indolem, compoſitos mores, verecundiam, animumque à rixis, tumultibus, ſuſurris, & clamoribus, quibus Aula & Urbs omni tempore ſolent circumſtrepere, averſiſſimum, perſpectum habens, ipſum, quantum in illo erat, Deo & Eccleſiæ devovebat: interim maximè ſolicitus, ut cuidam è Theologis magni nominis, ex ordine præſertim Hierarchico, primorum Eccleſiæ Chriſtianæ temporum more, in ſacris literis erudiendus traderetur; cujus pio deſiderio felix exoptatuſque mox reſpondebat exitus.

Regi, poſtquam ardua negotia in ipſis novi imperii initiis ingruentia, quo publica tranquillitas firmaretur, aliquatenus expediiſſet, de pacificâ ad coronam *Angliæ* ſucceſſione gratulatum coràm accedere ſuâ intereſſe crediderunt omnes, quos munerum, ſive Civilium ſive Eccleſiaſticorum, quibus erant admoti, dignitas, & natalium ſplendor extra plebeiorum ſortem paulò altiùs extulere. Advenarum quoque, qui gratiâ apud Regem pollebant, amicitiam ambire non ſibi indecorum eſſe putarunt Indigenæ, non tam commodi inde eruendi causâ, quàm ut ſimultates iſtas, quæ olim in internecinum odium erumpentes, vicinas Gentes fatalitèr commiſiſſent, hac beatiſſimâ unione penitùs exſtingui, perpetuumque fœdus amoris, & concordiæ ab univerſis ſubditis ſub uno Rege ineundum eſſe pro inſitâ Nobilium *Anglorum* humanitate & obſervantiâ teſtarentur. Inter hoſce verò novos hoſpites *Petrus Junius*, de cujus candore, virtutibus, mentis conſtantiâ, prudentiâ, & eruditione quidpiam grande & magnificum, conſentiente famâ, ſpargebatur, Viris literarum amantibus longè erat acceptiſſimus. Illum adire, illius colloquiis de re literariâ gaudere & frui, illius ſapientiam, longâ rerum experientiâ domi foriſque acquiſitam, mirari, illius hu-

manitatem & placidiſſimos candidoſque mores tantoperè celebratos experiri, non infrequentes, non pigri, non inviti geſtiebant. Ex hoc animorum conſenſu mutuus enaſcebatur amor, obſervantia, fides; inde quoque contracta intima quædam neceſſitudo, familiaritas, ac amicitia, vel ipſis naturæ vinculis potentior firmiorque: hinc conſiliorum de publicis, de privatis, de rebus ipſis domeſticis, amotis omni diſſimulatione & metu, communicatio: hinc mutua amoris ſubſidia promiſſa, petita, &, quandocunque occaſio tulerit, cum fide & ſedulitate præſtanda, prout viros probos, virtute & amicitia conjunctiſſimos, decuit.

In ejuſmodi colloquiis inter ipſum & *Georgium Sodorenſem* Epiſcopum ultro citroque habitis ſubindè animo intercurrebat *Patricius*, chari parentis cura, quem ſtudiis Theologicis jam jam addicendum, in ædibus cujuſpiam venerandi Præſulis, quo ſanctum illud propoſitum majori cum fructu proſequeretur, exceptum iri maximè cupiebat. Suggeſſit Epiſcopus, rem iſtam non tanti eſſe, quin levi operâ in effectum dari & procurari poſſet; neminem ferè hanc modeſtiſſimam petitionem, ſi proponeretur, à ſe amoliturum, quin faciles manus eſſet daturus; & ſpeciatim admodum reverendum D. *Georgium Lloidum*, nupertimè ad Eccleſiæ *Ceſtrienſis* cathedram promotum, ipſo rogante pro certo inducendum, ut familia, quæ inde honoratior eſſet evaſura, tam præclaro Juvene augeretur. Nec aliter res cecidit, quàm ex condicto fuiſſet conventum: quod Patri ſexagenario perplacuit, ingentis beneficii loco illud habenti, tranſlatâ quaſi omni paternâ auctoritate in Patronum, ut filium jam inter domeſticos ipſius recenſendum pro Anagnoſtâ habere, aut in curandis libris vel qualicunque in re ipſius operâ & miniſterio uti vellet. Anno 1604. tempore æſtivo, *Ceſtriam* petiit *Patricius*, ad pedes hujus *Gamalielis* educandus, tam ſuo quam Patris & Epiſcopi *Sodorenſis* nomine novo Mæcenati acceptus; nec dubitandum ullatenus videtur, quin, ſicut illius amorem quod ille in literis ad Parentem teſtatur, pauculorum dierum morâ & contubernio, ingenio felici, modeſtiſſimis moribus, & excellenti doctrinâ in iſtâ viridi ætate haud exſpectandâ, ſibi conciliavit ita hujus benevolentiam indies, quamdiu apud ipſum vixerit, magis magiſque adauxerit.

Anno 1605. *Oxonium* alacer contendit, ut in iſtis amœniſſimis receſſibus, ubi Muſæ Gratiæque regnant, ſedeſque perpetuas fixiſſe videntur, ſacrarum literarum ſtudiis ſedulam ſeriamque navaret operam. Neque quicquam ſanè aut menti, quæ tota literarum amore ardebat, jucun-

cundius, & optatius, aut inſtituto vitæ, quod ſibi omni niſu ac contentione ſequendum propoſuit, utilius magiſque accommodum accidere potuit. Præſenſerat enim, deſiderium iſtud, quod cum annis creverat, literarum vix alibi terrarum meliùs aut faciliùs expleri poſſe, quàm *Oxonii*, ubi tot Viri eodem deſiderio accenſi, illuſtri exemplo ad æternitatem famæ præibant, ac ubi tot Bibliothecæ libris omne genus editis & manuſcriptis à nemine defloratis inſtructiſſimæ ſuppetebant. Illorum itaque, quos ab Academicorum vulgo divinior & excelſior mens diſcreverat, amicitias ſedulò & ſtudiosè coluit: nec quiſquam, ut credere fas eſt, à Viris humaniores literas profitentibus humaniùs erat exceptus. Quanti autem illum fecerint Academiæ Primores, hoc non levi indicio liquet, quod illum IX. Julii 1605. ad eundem gradum, quem in *Scotiâ* obtinuerat, admiſſum, inter ſuos adoptaverint. Præcipuè charus fuit *Joanni Williams*, Collegii *Jeſu* Principali & Decano *Bangorenſi*, *Richardo Moketo*, Collegii *omnium Animarum* ſocio, poſtea Cuſtodi, & D. *Henrico Savilio*, Collegii *Mertonenſis* Cuſtodi, qui ſapientiæ & eruditionis faſtigium, ſi quiſquam alius, licèt attigiſſet, peregrinum Juvenem, quem ad ornandas literas naturâ & ingenio compoſitum ſagaci mente præviderat, ſinu ſuo excipere, & benevolentiâ ac conſilio fovere non dedignatus eſt.

Tantis ſubſidiis & quaſi irritamentis ſtudiorum circundatus, noluit tempus, cujus ſolius uſura eſt honeſtiſſima, aliis deliciis impendi aut effluere; noluit ingenium aut ſocordiâ aut laxationibus, niſi quas valetudinis curandæ ratio & amicitiæ decorique leges poſtulaverint, deteri: non alitèr à ſtudiis, quibus perdius pernoxque invigilaverit, eſſet abſtrahendus: cui ex ſapientiæ regulis erat exploratiſſimum, abſque induſtriâ, eâque non mediocri, mentem, utut capaciſſimam, ad ſumma fruſtrà eniti & aſpirare, illoſque, qui per compendia ſapere videntur, & non niſi per vices, cùm ignaviæ ſuæ tædeat, libris tanquam pulvinaribus incumbunt, in unis ſubſelliis, quæ primâ juventâ occuparunt, conſeneſcentes ſtultitiam ſuam tandem deplorare cogi. Quanti autem ſtuporis, ut id citra cujuſquam offenſionem vel leviuſculam obtrectationis umbram obitèr moneam, erit argumentum, quam acri cenſurâ, imo & ſcuticâ dignum, ſaltem qualem mens malè conſcia ſerò pœnitentibus ſolet incutere, iſto nobili otio abuti; illumque munificentiæ penè immenſæ uſum fructum, & iſtas ſtudiorum commoditates, quas exteri avidè arripiunt, negligere; quaſi non nobis, ſed illis tot pretioſa κειμήλια, antiqui temporis reliquias, & *Græciæ* olim florentiſſimæ ſpolium, de

Pa-

Patriâ, de Eccleſiâ pientiſſimi Benefactores, optimè meriti, & ſi per nos licuerit, optimè in perpetuum merituri, in iſtis ſacris conditoriis repoſuiſſent? Non deſunt ſanè, nec deerunt unquam, ita enim benè ominari oportet, qui theſaurum iſtum Codicum manuſcriptorum pro ſublimi ingenio dignè æſtimare, & pro ſedulitate laudabili ſapientèr in commune humani generis emolumentum, pietatis & doctrinæ propagationem & incrementum, & Patriæ gloriam expromere norint: at nemo diffitebitur, longè plures orituros, ſi *Franciſci Pithœi*, *Hottomanni*, *Junii*, *Capellorum* fratrum, *Cluverii*, *Holſtenii*, *Bocharti*, ut penè innumeros alios maximi nominis Viros, qui multo ſudore ac labore penè infinito opibus è gazophylaciis noſtris collectis erutiſque rempublicam literariam ditarunt, taceam, induſtriam noſtrates Alumni æmulari velint.

Hic verò, ut minori impenſa aleretur, pluſculumque ſubſidii ex quotidiana cum Academicis ad menſam & alibi converſatione habendâ ſtudiis accederet, in numerum Sociorum, ſeu potius Capellanorum magnifici Collegii, quod Novum appellatur, & quod ante tria ſecula Vir excelſæ & divinæ mentis, D. *Gulielmus Wiccamus*, Epiſcopus *Wintonienſis*, fundaverat, cooptatus eſt. Poſtea, nimirum A. C. MDCXI. illum in ſocietatem Collegii *Wadhamenſis* adſciſcendum eſſe deſtinavit magnus ille ſtudiorum *Junii* fautor & patronus, D. *Jacobus Montacutus*, Epiſcopus *Bathonienſis* & *Wellenſis*: ſed illius auſpiciis & commendatione, ante abſolutam iſtius Collegii fabricam, longè meliùs, ut poſtea videbimus, illi erat proſpectum.

Amore *Græcarum* literarum captus, animum quidem ad eas excolendas ſeriò applicuit, epiſtolis tum ad Patrem & noſtrates, puta *Andræam Dononæum*, *Græcæ* linguæ in Academia *Cantabrigienſi* Profeſſorem, *Richardum Moketum*, è Collegio omnium Animarum *Oxon.* *Edwardum Sylveſtrum*, alioſque, qui *Græcè* quoque reſcripſerunt, tum ad *Græcos* Antiſtites & ſacerdotes, præſertim *Metrophanem Critopulum*, de quo poſtea plura dicam, iſtâ linguâ facili & eleganti ſtylo ſubinde perſcriptis, quas mollities hujus ſeculi non fert: non neglecto & Antiquitatis & Hiſtoriarum ſtudio.

Licèt autem ſolo Diaconatu fuerit initiatus; tamen quaſi pro inſtituto Theologiæ ſtudioſus, ſacras literas, tanquam peculiare vitæ opus, promovendi, uti non facultas, ita neque voluntas neque ſtudium deſuere: & ſicut illi, qui novam regionem, aut nuper detectam, aut non benè cognitam, deſcripturi, omnes angulos & receſſus non ſine

cu-

curiosâ & exquisitâ indagine perlustrant, ne quippiam inexploratum relinquatur: ita omnes Bibliothecarum forulos excussit *Junius*, librosque manu exaratos oppidò raros industriâ planè admirandâ rimatus est, illos cum editis conferendo, aut, si nondum editi essent, exscribendo, ut eruditæ *Græciæ* opes, quas Scholasticorum barbaries per tot secula occuluerat, in medium productæ, novâque luce donatæ, in publicos orbis Christiani usus explicarentur. Hisce præclaris initiis tam benè ac sapientèr positis, hâc animi solertiâ & pertinaci studio ad solidam eruditionem sibi certam planamque viam præmuniebat.

Relicto *Oxonio*, satis ab ingenio, judicio, subsidiisque, quæ illinc reportaverat, instructus, Urbem repetivit, secundiores illic ex gratiâ & favore Regis & Episcoporum fortunas, sive pro mercede, sive pro stimulo industriæ, tandem aliquando experturus.

Anno MDCVIII. ad finem vergente Pater illum in *Galliam*, studiorum causâ, mittere decrevit, præsertim ut *Isaacum Casaubonum* conveniret. Licèt autem nobilissimus Parens filium ipsius ab illo magno Viro, cum quo non levem ab aliquot annis inierat amicitiam, ut literæ partim editæ, partim etiam edendæ, testantur, hac nudâ commendatione omni cum benignitate excipiendum esse de facili credidisset: tamen quò gratior novi hospitis adventus futurus esset, spondet, se *Strabonem*, ab *Henrico Scrimgero*, illius avunculo, ad codicum MSS. fidem diligenter admodum examinatum, & quem *Casaubonus* de nova illius & emendatiori editione solicitus, tantoperè desideraverit, identidem quoque missurum. Sed nescio quo interveniente casu destinatum illud iter impediebatur: neque enim *Patricium* nostrum *Lutetiam Parisiorum*, nisi novennio post labente, petiisse ex illius schedis aut aliunde expiscari hactenus licuit.

Verùm quantæ spei Juvenis fuerit *Patricius* noster, ne Regem quidem ipsum latere potuit: cui egregiæ animi dotes, non minus quàm Parentis dignitas, non solùm in Aulam, sed etiam ad Magnatum & Præsulum amicitias facilem parabant aditum. Maximè verò gavisus est patrocinio Viri admodum reverendi, D. *Jacobi Montacuti*, tunc temporis *Bathonienſis* & *Wellenſis* Episcopi, cujus ope & commendatione à Rege annuam quinquaginta librarum Sterlingicarum pensionem tandem obtinuit, non sine justâ spe munus aliquod egregium, quod ipsius studiis & instituto maximè competere videretur, quo securiùs iisdem ab omni anxietate & molestiâ procul invigilaret, consequendi. Interim, cùm ab ipsâ juventute styli exercendi gratiâ *Latinis* compositionibus as-

ſuetus, ob ornatum, facilitatem, elegantiamque *Latini* ſermonis quale quale nomen adeptus fuerit, ejus in ſcribendis *Latinis* epiſtolis, & etiam in evolvendis regni archivis, operâ interdum Rex aliquique Magnates uſi ſunt.

Ex iſthoc verò honorario mens non remiſſior, non degener, non pigra, potius novas vires indè hauſit; licèt enim in Aulâ quotidie verſaretur, horas otioſas, muſeo incluſus, ſingulis diebus intentiori diligentiâ redemit, ne liberalitate Regiâ indignus haberetur, aut juſtâ exſpectatione, quam de ſe apud omnes excitaverat, aut otiando aut nihil agendo, excideret. Sed & hoc & illud prohibebant tum propriæ exiſtimationis, quam quiſque probus ſartam tectam ſervari cupit, cura, tum inſitus ille literarum, ad quas ferebatur, amor, indefeſſæ diligentiæ conjunctus. Quibus verò mediis huic propoſito optimè ſatisfieret, animo volvens, ſingulis perſpectis, prudentiſſimè judicavit, nihil ſibi magis deſiderandum aut optabilius fore, quàm ut ipſius curæ celſiſſimi Principis *Henrici* Bibliotheca in ædibus S. *Jacobi* ſita demandaretur: quod munus ſibi ereptum non ſine querelis & indignatione dolebat. Sed novo vigore poſtea animatus, cùm abſque inſtructiſſimæ Bibliothecæ, cui comparandæ non ſuppetebat facultas, ope, ſe in hoc ſtadio, quod adeò felicibus auſpiciis ingreſſus eſt, ſatis laudabilitèr decurrentem, in medio quaſi curſu ſiſti, & quò minus metam attingeret, impediendum eſſe, metueret, ad Regis Bibliothecæ præfecturam ſpem & animam altiùs & ambitioſiùs erexit; quam tandem, ſuperatis difficultatibus, non ſine ingenti prenſatione, & potiſſimùm efficaci & ſæpe ſæpiuſque repetitâ commendatione optimi Patroni, D. *Montacuti*, adſecutus eſt: nec quenquam huic muneri magis aptum aut idoneum eſſe, aut qui melius theſauro iſto literario uti noviſſet, tum amici tum æmuli agnoverunt.

Ut ea, quæ de Bibliothecâ Regiâ dicenda ſuperſunt, meliùs intelligantur, pauca de Palatio S. *Jacobi* in gratiam curioſi Lectoris hîc inſerere penè neceſſarium videbitur.

Superioribus ſeculis, ante vel circa tempora R. *Guilielmi* primi, (neque enim certa quæpiam memoria ſcripto exſtat) Cives *Londinenſes* miſericordiâ erga Leproſas Virgines admodum piè, & prout Chriſtianos decuit, tacti, in earundem ſolamen, ut miſeram vitam ab omni humano conſortio ſeparatæ, æquiori animo tolerarent, Hoſpitale condendum curarunt, in campis extra Urbem ad Occidentem ſitis. Diſcreverat enim *Londinum* à *Weſtmonaſterio* longa agrorum planities, & interjec-

jectum litus, cujus ripæ accliviores, quæ undas *Tameſinas* ab alluvio coercuere, nondum magnificis ædium ordinibus ſuperbiebant. Hoc nimirum ineunte, quod noſtrum anteceſſit, ſeculo fieri inceperat: cùm ambæ Urbes, novis incolis adveniſque tumidæ, jam pomœriis ultrà additis, ampliarentur, tandem Avorum noſtrorum memoriâ, omni vacuo intervallo novis ædificiis oppleto, conjungendæ. Adhuc tamen ſuperſunt vetera nomina, licèt nova rerum inducatur facies. Hinc *the Strand, & campi S. Martini, & S. Jacobi*; illi ab Eccleſiâ, S. *Martino* ſacrâ, hic ab hoc Noſocomio in memoriam S. *Jacobi* Apoſtoli exſtructo, nuncupati. Nullatenus hîc curiosè indagare oportet, undè teterrimus iſte morbus, ſive à malâ aeris temperie, ſive à putridis cibis, ſanguinem & vitales ſpiritus inquinantibus, ſive ab Oriente ab hominibus iſtâ tabe infectis in *Angliam* invectus fuerit, qui tot miſerorum corpora fœdaverat: quorum ſortis maximè deplorandæ, ex inſitâ *Anglorum* pietate maximè quoque miſertum erat. Excipiendis enim elephantiaſi laborantibus ædes publicæ deſtinatæ paſſim ſurgebant: in his autem *Jacobæis* quatuordecim tantum ſimul vixere cælibes fœminæ, quibus poſtea octo Fratres additi: quorum reditus, à quibus alerentur, R. *Edwardus* primus diplomate confirmavit, ut terræ iſtæ, quas pii Benefactores dederant, in illos legum noſtrarum Municipalium vi inde derivandâ tranſcriptæ, ad alios ejuſdem ſortis omni tempore tranſirent: addito hoc, ut in campis prope adjacentibus nundinas ſingulis annis per ſeptem dies, à feſto S. *Jacobi* numerandos, indicendi privilegio, ut nonnihil lucri ab inſtitoribus, qui mercium vendendarum causâ illuc eſſent confluxuri, percipiendum, quò meliùs ſuſtentarentur, accederet. In iſtâ verò univerſâ Monaſteriorum cæterarumque ædium ſacrarum ſtrage ſub R. *Henrico* octavo idem triſte fatum hoc Noſocomium ſubiit, cujus annui reditus valor, prout ex Regiſtris auctoritate publicâ à Regiis Viſitatoribus confectis patet, erat centum librarum. Jure ſuo cedere coactæ Sorores, ædes, terras, & quicquid illarum erat Regi XXIII. regni ſui anno, tradidere, aliò, quo lubebat, amovendæ: ſed ne fame cæteriſque vitæ incommodis perirent, cautum erat, ut ſingulis ad quotidianos ſumptus pet integram vitam pecuniæ aſſignatæ ſuppeterent. R. *Henricus* VIII. qui ad ædes magnificas, à conditore *Thomâ Wolſæo*, Cardinale, & Archiepiſcopo *Eboracenſi*, *Eboracenſes* nuncupatas, ab hoc tempore *candidæ Aulæ* nomine inſigniendas, ſe receperat, hujus loci vicini amœniſſimo ſitu delinitus, domo, quam infelices fœminæ occuparant, funditus eversâ, ſplendidum Palatium de novo exſtrui, viridariumque præjacens

muro è latere cocto, circumambiri juſſit: quod inter regias ædes ex decreto Parlamenti poſtea recenſebatur, utpote magni palatii appendix habitum, iiſdem ſacris juribus ac immunitatibus deinceps muniendum. Hîc Regina *Maria*, filia R. *Henrici* VIII. natu maxima, nimio mœrore, quem ſive ob expugnatum *Caletum*, ſive ob longam R. *Philippi*, mariti ſui, abſentiam, ſive ob prolis defectum contraxerat, pariter ac aquâ intercute confecta, planeque tum ſui tum mundi pertæſa, diem obiit. Hîc ſereniſſimus Princeps *Henricus*, R. *Jacobi* I. filius primogenitus, Aulicis ſuis numeroſam familiam tanto Principe dignam conſtituentibus ſtipatus, ſplendidiſſimè habitavit, ibidemque flore juventæ exſtinctus, efflavit animam. Hanc ſedem quoque, uti quàm maximè aptam & oportunam, elegit optimus Princeps, R. *Carolus* I. in quâ fœcundo partu levaretur ſereniſſima Regina, *Henrica Maria*: hîc enim ſereniſſimi Principes, *Carolus* II. & *Jacobus* II. nati, & ſub nutricum curâ educati. Denique poſt inſtauratam monarchiam anno MDCLX. palatium hoc cedebat in ordinarias ſedes ſereniſſimi Principis, *Jacobi* Ducis *Eboracenſis*.

Inter verò locupletiſſimos utriuſque Aulæ apparatus diu deſiderabatur Bibliotheca: neque ea cura Principes noſtros, aut artibus regendi populos, aut rebus bellicis, aut religioni ſtabiliendæ, aut motibus componendis ſummoperè intentos, tangebat, quaſi theſaurus iſte literarius magis ad privatos ſpectaſſet, & in Academiis potius, quàm in Palatiis eſſet recondendus. Satis nimirum ſibi eſſe gloriæ duxerunt, mentem bonis literis excolere, & literatos Regiâ munificentiâ & patrocinio fovere: de libris congerendis, niſi qui propriæ delectationi & curioſitati, ſuiſque uſibus inſervituri eſſent, parum ſoliciti. Quod de Reginâ *Eliſabethâ* potiſſimùm arbitror dicendum, quæ, licèt ob accuratum linguarum *Græcæ* & *Latinæ*, quibus pro re nata prudentèr, abſque vel leviſſimâ oſtentationis umbrâ, aut affectatâ gloriæ cupidine, uti norat, ſtudium, ſapientiæ civilis diſciplinis feliciſſimè conjunctum, æternis laudibus ſit cumulanda; tamen ſive negotiis majoris momenti, in quibus ſalus populorum vertebatur, impedita, ſive id muliebri ſexui parum conveniſſe judicaverit, hoc decus in partem ſuarum curarum venire haud permiſit; (neque Muſeum iſtud, libris quibuſdam pretioſiſque cimeliis refertum, quod in ædibus *Richmondianis* habuit, glorioſum *Bibliothecæ Regalis* titulum & nomen meretur) quod ſucceſſori Regi *Jacobo*, Regum doctiſſimo, integrum relinquebatur.

Gna-

Gnarus occaſionum captandarum Rex, quo novæ Bibliothecæ fundamenta auſpicatiùs jacerentur, libros tum impreſſos, tum manu exaratos, omnes optimæ notæ, quos nobiliſſimus D. Baro *Lumleyus* magnis ſumptibus & diligentiſſimâ indagine congeſſerat, in peculium ſibi comparavit, à quo, cùm non alibi ſatis commodus pateret locus, obtinuit Vir elegantiſſimi ingenii, D. *Adamus Newtonus*, Equeſtri dignitate ornatus, & qui *Henrico* ab ipſius pueritiâ fuerat à literarum ſtudiis, tum ipſius Principis hoc novo librorum ornatu ad intenſiorem literarum amorem alliciendi, tum Sancti cognominis causâ, ut in palatio S. *Jacobi* reponerentur. Non leve poſtea incrementum acceſſit ex Bibliothecâ viri clariſſimi, D. *Mauritii*, Equitis Aurati, ex *Walliâ* oriundi, qui ſelectiſſimos omne genus libros ex *Italiâ* & *Galliâ* conquiſiverat: ut jam titulo & nomine digna & verè Regia haberetur.

Hanc ſurgentem gloriam, hanc novam felicitatem, & Reipub. literariæ & ſibi quoque impensè gratulatus eſt *Junius*, qui in pervolutandis iſtis libris, quantùm per moroſitatem Cuſtodis, ſive ex invidiâ, ſive ex ignoratione bonarum literarum, erga illum paulò offenſioris redditi, licuit, totus erat & aſſiduus. Huc omnes ingenii & induſtriæ contendebat nervos, ut iſta librorum moles, quæ confuſa jacuit, & penè abſcondita, in catalogos, prout Rex juſſerat, explicaretur, tandem in publicos uſus depromenda. Labor autem iſte tam benè collocatus Regi non parum placuit, qui illum de rebus literariis colloquio ſæpè dignatus eſt, monuitque, ut in iſtâ Provinciâ, cui à naturâ & bonâ indole compoſitus eſſe videbatur, ornandâ, eadem, quam hactenus præ ſe tulerat, mentis conſtantiâ perſeveraret. Inde deſiderium illud, quod diu aluerat, de Bibliothecâ Regiâ benè merendi indies ac fortiùs accendebatur, ac ſi id muneris jamdudum ad ipſum ſpectaſſet, cujus officioſæ curæ inſigne hoc ſpecimen mox dedit.

Cùm multos libros è Regiâ Bibliothecâ reverendiſſimus D. *Richardus Bancroftus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, fortitudine & zelo Eccleſiæ *Anglicanæ* contrà *Puritanorum* inſultus jura tuendi celeberrimus, mutuo accepiſſet, ne, illo jam in cœlis recepto, in hæredes, tanquam privati peculii legitima pars, tranſirent, unicè interceſſit *Junius*, frequenti interpellatione adhibitâ, eâque neutiquam ceſſaturâ, donec literas Regias ad D. Epiſcopum *Londinenſem*, cui cura illa demandata fuerat, datas, de iis in integrum jure poſtliminii reſtituendis, ſibique tradendis poſtulaſſet.

Deinde, ut res diverſorum annorum ob ſimilitudinem & cognatio-

nem materiæ connectam, viro maximo, *Iſaaco Caſaubono*, *Londini* ex hâc vitâ decedente, menſe Junio A. MDCXIV. ſagax vidua, cùm ab amicis intellexiſſet, tale genus mercimonii in *Galliâ* pluris æſtimari, chariuſque vendi poſſe lucro, quod unicè ſpectabat, inhians, de ſupellectile librariâ, præſertim codicibus MSS. ipſius, quam in *Angliam* maritus advexerat, convaſanda ſeriò cogitavit: cujus propoſiti gnarus *Junius*, toties in ſinum, toties in Muſeum *Caſauboni*, qui *Juvenem optimum & doctiſſimum*, uti appellavit, paterno amore complexus eſt, admiſſus receptuſque, & cui ejuſmodi gazæ erant cognitiſſimæ, non tam ſui quàm totius Gentis causâ ſibi laborandum eſſe ex officio ratus, ne tantum dedecus ex nobiliſſimæ Bibliothecæ jacturâ *Anglicano* nomini inureretur, urget, monet, obſecrat, quaſi de fortunis ſuis & capite eſſet contendendum, importuniſque efflagitationibus apud Epiſcopum *Bathonienſem* & *Wellenſem*, favore Regio præpollentem, ne tot libros aut ſcriptos, aut ad manuſcriptorum codicum fidem diligenter recognitos, & additis in margine eruditiſſimis obſervationibus illuſtratos, ex *Angliâ* exportari pateretur, ſed potius Bibliothecam Regiam hoc inſigniſſimo auctario locupletandam curaret. Nulla enim res dignior aut Regiâ munificentiâ, aut Epiſcopali, ſecundum religionem, dignitate, aut privati hominis literarum amantiſſimi curâ & ſtudio, unquam viſa eſt: nec in minimâ parte *Juniana* tum laudis, quod huic negotio tantâ cum ſolicitudine ſeſe immiſcuerit, tum felicitatis, quod hi conatus, hæc pia vota tam benè in commune literarum commodum ceſſerint, ponendum eſt.

Ex hujus verò ſupellectilis librariæ cenſu eximuntur Adverſariorum Collectaneorumque libri, quos in filii ſui *Merici*, iiſdem ſtudiis addicendi, uſum reſervavit mater. Ille autem, prout gratum Academiæ *Oxonienſis* alumnum decuit, ea omnia in publicum literarum commodum, ab harum literarum ſtudioſis poſtea depromenda, moriens anno Ch. MDCLXXI. Bibliothecæ *Bodleianæ* legavit.

Poſt collatam Bibliothecæ Regiæ præfecturam, quâ omnium judicio erat digniſſimus, ut eam aliquâ cum laude, eâque non modicâ ac levi, ſuſtineret, omnibus viribus anniſus eſt: officii ratio & de ipſo ſparſa fama diligentiam acuebant, nihilque jam prius & antiquius habuit, quàm ut omnes Bibliothecarii partes & numeros impleret, omnia recto ordine diſponendo, abditiſſimoſque receſſus rimando, ut nemini ſua domus & curta ſupellex notiores eſſe potuerint, quàm ipſi ampliſſimæ librorum ſtruices, jam in loculis ſuis diſpoſitæ. Dum verò olim *Oxonien-*

nienſem, dum alias juſſu regio Eccleſiarum Cathedralium Bibliothecas, (a) dum Regiam hanc luſtraret, multa inedita exſcripſit, quæ in lucem producere apud ſe firmiſſimè conſtituebat, Hiſtoriæ nimirum *Anglicanæ*, tum civilis, tum Eccleſiaſticæ. Scriptores, antiquos Auctores, *Græcos* & *Latinos*, ni huic præclaro incœpto avaritia Bibliopolarum, & iſtorum temporum infelicitas heic in *Anglia*, pleriſque in ſtudiis Polemicæ Theologiæ excolendis ſeſe occupantibus, obſtitiſſent. Alibi literæ humaniores majori in pretio erant habitæ, magiſque cultæ: eorum cura paucos admodum, præter illuſtrem *Savilium*, *Montacutium*, *Boiſſium* &c. tangebat. Cùm ergo ejuſmodi merces domi non eſſent extrudendæ anno MDCXII. *Francofurtum* hâc de causâ petere in animo habuit, ut voti potiretur: quod ipſis in medullis hæſerat, nec facilè erat admovendum: quinimo his obſtaculis interjectis, & hâc morâ creſcebat magis. Quadriennio enim pòſt, (cùm fruſtrà id ipſius nomine tentaſſet *Cluverius*) iter in *Hollandiam* animo molitus eſt, ſecum *Græcos* ineditos aſportaturus, quorum edendi tanto deſiderio flagrabat, ut nullæ difficultates, incommoda nulla, vix illum deterrere potuerint. Interim amici monent, hunc æſtum animi intra debitos fines contineri oportere; auſpicatiora tempora aliquando adfutura; domeſticam laudem viro probo & induſtrio abundè ſufficere; judicium diutino ſtudio maturius reddi, & quò quis tardior in palæſtram, prodeat, eum viribus collectis firmiùs & majori cum ſolertiâ uti ſolitum; denique non famam, cui magis magiſque inſtabat, cum privatæ rei incommodo conjunctam aliunde captandam eſſe. Voluit tamen, cum id è re literariâ fore judicaverit, *Lutetiam Pariſiorum*, ubi bonæ literæ regnabant, anno MDCXVII. æſtivis menſibus, quo tempore Rex valetudinis ſub ſereniori in Provinciis cœlo curandæ causâ, aut venandi ſtudio pro more *Londino* abeſſet ſeſe conferre, non ut ſplendidiſſimam ædium porticuumque ubivis, poſt diutina civilis belli mala feliciter ſopita, in ſingulis vicis ſurgentium, ſpectaculo oculos paſceret, ſed ut clariſſimos Viros, & virtute & doctrinâ illuſtres, de augendâ *Gallia* gloriâ laudabili & honeſtiſſimâ æmulatione inter ſe contendentes, coràm alloqueretur, nobileſque Bibliothecas, quas Urbs iſta meritò oſtentabat, avidiſſimis & penè emiſſitiis oculis luſtraret, tum animi, cui iſtæ deliciæ optimè ſapiebant, tum pu-

(a) Illius diligentiæ ſpecimen hac ex parte habetur in excerptis ex chartulario *Wigornienſis* Eccleſiæ, & ejuſdem compendio: quæ illius propria manu deſcripta exſtant in Bibliothecâ *Cottoniana*. ſub *Vitellio* C. IX.

publici boni ac usûs causâ, quò, collatis deinceps & conſpirantibus operis, & mutuâ amicâque induſtriâ, ſanctis Patribus, aliiſque veteris Eccleſiæ Scriptoribus, qui rem Chriſtianam purâ & integrâ mente feliciſſimè procurabant, procul omni partium ſtudio, & abſque omni labe & corruptelâ edendis meliùs proſpiceretur. Quale inſtitutum ſanctum, & maximè Chriſtianum, æterniſque laudibus proſequendum, optimè quidem proceſſurum licebat ominari; cùm vicinæ Gentes, anguſto freto à ſe invicem interemptæ, haſce merces literarias è *Græciâ* aut aliundè advectas, quæ, poſt ſpoliatum ab immaniſſimis *Turcis* Orientem, inductamque ſuperioribus ſeculis apud nos, æquè ſuperſtitione & neglecto linguarum & elegantiarum ſtudio enatam, barbariem, ſalvæ, licèt ſitu obſitæ & tenebris, quaſi retrimenta, damnatæ, evaſerint, eſſent commutaturæ. Quantum autem opis & commodi ex hoc commercio in Remp. literariam redundaverit, quivis ſano judicio præditus ex optimis & accuratiſſimis librorum vetuſtioris ævi editionibus, quas hoc ſeculum produxit, æſtimare novit, & æmula poſteritas fatebitur, tot tantiſque illuſtribus exemplis ad ejuſdem induſtriæ gloriam exſtimulanda, præſertim cùm harum aurifodinarum venæ nondum penitus exhauſtæ fuerint, & novæ felici indagatorum auſu detegi poſſint.

Vir optimus & doctiſſimus, *Guilielmus Camdenus*, illum Viris magnis, amicis ſuis, *Petro Puteano*, *Joanni Hottomanno*, & *Theodoro Gothofredo*, literis commendavit, à quibus erat omni cum humanitate & obſervantiâ exceptus. Id enim mereri *Junii* modeſtiam & eruditionem, ex congreſſibus & de re literatiâ colloquiis perſpectum habuere. His autem proxenetis, aut potius virtutum ſuarum famâ, ad Virorum, tum exquiſitâ eruditione tum ſummis in Eccleſiâ dignitatibus præfulgentium, amicitiam facilis parabatur aditus: inter quos eminuêre Cardinalis *Perronius* & *Nicolaus Coeffeteau*, *Dardaniæ* Epiſcopus, qui illum paterno quaſi amore complexi ſunt. Neutiquam enim diſſenſus iſte in pauculis articulis controverſis, quos veterum Chriſtianorum fidei tanquam lacinias & dehoneſtamenta ſuperaddi querimur, obſtabat, quo minus illi, licèt dogmatum ſuorum tenaciſſimi, & immodico zelo aliâs abrepti, *Junium* eximiæ humanitatis & tenerrimi affectus officiis auxerint: nec aliter ſanè fieri potuit; cùm de communi Chriſtianæ religionis causâ, de producendis in lucem primævæ Eccleſiæ, in quibus fœdæ hæreſes, quas utraque pars damnat feritque anathemate, jacent profligatæ, monimentis; & denique de ſacris & humanioribus literis, in quibus nullæ lites interniſcentur, propagandis ageretur; in cæteris cuilibet ſentien-

tiendi, prout lubet, relicto arbitrio. Juvabat verò maximè cum Viris clariſſimis & eruditiſſimis, *Frontone Ducæo*, & *Jacobo Sirmondo*, præcipuis Societatis Jeſu luminibus, qui in Collegio *Claromontano*, licèt illic ſcholam aperire non niſi anno ſequente permiſſum ſuerit, degebant, amicitiam colere ob ſimilitudinem ſtudiorum: potiſſimùm cum *Ducæo*, ipſi ab hoc tempore uſque ad obitum conjunctiſſimo, cujus laudatiſſima ſtudia omni cum animi promptitudine adjuvit & in literis amantiſſimis faſſo, ſe *Junii* conſilio & hortatu magis magiſque ad edendos *Græcos* Patres excitatum fuiſſe. Tam erudito & curioſo exploratori, qui ſola adipiſcendæ penitioris rerum Sacrarum & Eccleſiaſticarum cognitionis causâ, uti olim *Pythagoras*, *Plato*, aliique è veteribus *Græcis* *Ægyptum* & *Orientis* plagas, *Galliam* adiiſſet, nihil erat inacceſſum aut inexploratum. Bibliothecarum, tum Regiæ tum illuſtris *Thuani*, qui magno *Galliæ*, imò & totius *Europæ* damno, ab omnibus veri amantibus ob nimis immaturam mortem deflendo, ante paucos menſes fatis conceſſerat, *Puteanorum* fratrum gratiâ & favore, adyta quaſi domeſtico patebant; cui etiam quicquid in cæteris Bibliothecis erat, ſive ob antiquitatem, ſive ob materiam & argumentum venerabile & in pretio habendum, eâdem facilitate per harum gazarum Cuſtodes licuit evolvere, qui haſce pretioſiſſimas membranas ſacraſque aurei ſeculi reliquias, ab edaciſſimi temporis rictu ereptas, Viro, illas pro acri judicio & aſſiduo rerum uſu ſatis dignè æſtimanti, & hanc humanitatem pari operâ & ſtudio, quod ex ipſius nitidiſſimo ingenio & moribus verè augurari poſſent, repenſuro, recludere certatim geſtiebant. Tanti erat *Lutetiam* vidiſſe: majori enim literas promovendi ardore animatus, ab iſto brevi itinere, quod tam auſpicatò, jam annis & judicio maturior, ſuſcepiſſet, reverſus eſt ut ne quidem memoriam ejus ex animo unquam excidere paſſus ſit.

Ex hoc tempore, licèt nondum ob penuriam, ſive potius, quod dixi ſuprà, ob avaritiam Typographorum, qui neglectis nobiliſſimi argumenti libris, ſi *Græcè* ſcriberentur, extruſiſque triobolaribus ad vulgi captum chartis, ſuo tantum privato non Reip. literariæ commodo inhiarint, quippiam in lucem emiſiſſet, apud exteros paritèr ac noſtrates inclareſcere cœperat: quorum plerique, præſertim ſi iiſdem ſtudiis addicti, quos literarum amor & cura, & ingenii cultus, & Bibliothecas noſtras luſtrandi deſiderium in *Angliam* adduxerant, ejus amicitiam petiere. Tam verò ſuavibus, niveiſque moribus erat compoſitus, ut procul omnis faſtus, φιλαυτία, ſuique oſtentatio abeſſent: nemoque pro-

niore ad excipiendos peregrinos, ſive amicorum literis commendati, ſive virtute propriâ & ingenio commendabiles, acceſſerint, animo, nemo propenſiore ad illorum ſtudia juvandum voluntate præditus: quem cum, licèt nonniſi tremulo greſſu, ſaltem, ex modeſtiâ, parum firmo adiiſſent, illius pectori ipſam humanitatem, non fictam, non adulatoriis artibus, quaſi ad captandam laudem, ſed gravitate & ſapientiâ temperatam, & ab excelsâ mente, Diis proximâ, quæ ſeſe quaquaverſùm pro viribus explicandi avidiſſima, benefaciendo triumphat, proventem inſediſſe læti ſenſerunt, & poſtea gratâ memoriâ, nullis aut locorum aut temporis intervallis delendâ, debitiſque elogiis proſecuti ſunt.

Græci Virum *Græcè* doctiſſimum Genti, cujus linguam adeò efflictim deperiſſet, benè quoque velle non vanâ ſpe afflati, illum frequentes adibant, ſummam humanitatem, ad quam non ſponte tantum, ſed naturæ impulſu ferebatur, tantoperè prædicatam coràm experturi: per quos nullius nomen ſonantiore plauſu in *Oriente* percrebuit, quaſi *Græcorum*, ſi non unicus, ſaltem maximus fuiſſet Patronus. Licèt enim quorundam ex illis inſtabilem fidem, ingenium verſatile, ad oblectandum plerumque effictum, ingenitam mentiendi libidinem, inaneſque, quos comminiſci ad corradendam faciliori, uti opinantur, operâ à nimiùm credulis, molliori animo præditis pecuniam & ad ejuſmodi narrationes tragicas, quas ſupra verum exaggerant, inhorreſcentibus, prætextus, (nec ab iiſdem moribus adhuc diem abhorrent nepotes) ſatis comperiſſet: ſi tamen fortè Præſules & Sacerdotes vel priſtinæ virtutis ſpecie aut eruditione in hâc vaſtitate & barbarie, quâ univerſam *Græciam* hodiè obvolutam jacentemque ingemiciſcimus, venerabiles, ſi juvenes præſertim, ſacris aut addicti aut addicendi, in quibus bonæ indolis & ingenii igniculi exarſerint, laborantis Patriæ ſpes & fulcrum, adveniſſent, hos omnes benignè admodùm fovere, colloquio & mensâ excipere, pecuniis pro facultatum modulo & ope ſuffulcire, & cùm non aliter ipſis eſſet ſuccurrendum, Regi, Proceribus, Epiſcopis, Academicis, & honeſtioris notæ Civibus, tum ſermone, tum ſcripto commendare, & viatico, literiſque ſalvi conductûs, quas ipſe compoſuit, procuratis, illorum ex *Angliâ* in alienas regiones exeuntium incolumitati conſulere, ſibi curæ oportere eſſe duxit, & volupe habuit: ita ut illum *Græcorum Patriarcham* inde facetè appellaverit D. *Montacutus*. Inter hos inſignioris notæ erant *Anaſtaſius Joſephus Cappadox.* *Arſenius* Archimandrita, *Charitон* Metropolita *Dyrrachienſis*, *Abrahamus* Archiepiſcopus *Achridarum*, *Chriſtophorus Angelus*, *Metrophanes Critopulus Berrhæenſis*, Ec-

Eccleſiæ *Alexandrinæ* Protoſyncellus, *Gregorius Argyropulus Theſſalonicenſis*, & *Nathaniel Conopius*, Eccleſiæ *Conſtantinopolitanæ* Protoſyncellus, poſtea Epiſcopus *Smyrnenſis*, ut cæteros omittam. De *Metrophane*, quem præ aliis dilexiſſe, & de quo optimè merendi, tum literis *Græcè* frequentèr ſcriptis, tum familiari, dum *Londini* ageret, converſatione peculiare ſtudium adhibuiſſe videbatur facilè animo præſagiens, tantis ingenii, induſtriæ, & eruditionis dotibus, ſummos in *Græcâ* Eccleſiâ honores meritò deberi, pauca heic cum veniâ Lectoris inſerere libet.

Poſtquam *Cyrillus Lucaris*, tunc temporis Patriarcha *Alexandrinus*, religionem Eccleſiæ *Orientalis*, ſuperſtitionibus & corruptelis mirè fœdatam, repurgari, & res *Græcorum* Eccleſiaſticas in iſtâ triſti rerum cataſtrophe miſerrimè collapſas inſtaurari non poſſe, niſi ex pietate, zelo, & doctrinâ Præſulum, aliorumque, qui Eccleſiæ præficiendi eſſent, longâ experientiâ comperiſſet, iiſdem artibus ad illam conſervandam, quibus à *Romanenſibus* erat oppugnata, uti oportere pro prudentiâ ſuâ ſtatuit: neque ſolidiori fundamento opus illud ſanctiſſimum & verè Chriſtianum, quod ſagaciſſimâ mente dudum complexus eſt, potuit ſuperſtrui. Quapropter juvenes bonæ indolis domeſticiſque inſtitutionibus ac diſciplinis ſatis exercitatos, & de quorum in bonis literis profectu ex certis tyrocinii tam benè collocati indiciis juſtas ſpes aluerat, in *Angliâ & Germaniâ*, ubi veritatis Catholicæ ſtudium maximè viguit, educari juſſit, ut accuratâ linguæ *Latinæ* & purioris Theologiæ cognitione inſtructi, poſt reditum laboranti Patriæ ſuccurrerent, menteſque, contribulium ignorantiâ obductas, ſuo lumine illuſtrarent. Ex horum numero (a) *Metrophanes Londinum* circa viceſimum hujus ſeculi annum appulit, favori & patrocinio D. *Georgii Abbotti*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, commendatus, qui benè gnarus, nuſquam, quàm in Academiis noſtris, aut meliùs aut fructuoſiùs ſtudiis literarum quenquam vacare poſſe, illum (b) ad Collegium *Balliolenſe Oxonii* illicò tranſmiſit, ipſius impendiis alendum. Dum verò *Oxonii* & poſtea in Urbe vixerit, (moram enim quinquennii in *Angliâ* fecit) neminem aut benigniorem amicum, aut fideliorem monitorem, aut ſui magis amantem, *Junio*

(a) Vide epiſtolam *Cyrilli* anno 1616. ſcriptam in *Ægypto*, ad D. *Georgium Abbottum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, in ſylloge epiſtolarum à *P. Colomeſio* editarum: *Londini* 1687. pag. 346.

(b) V. pag. 353.

noſtro expertus eſt; quod epiſtolis ſæpenumerò agnovit & ſemper agnoturum, fide interpoſitâ profeſſus eſt hiſce verborum formulis, *ὁ σὸς περὶ πολλῶν ὀφειλέτης, ὁ τῆς εὐνοίας καὶ φιλίας, ἐξηρτημένος, ὁ μηδέποτε τὴν ἀγαπᾷν σε παυσάμενος μηδὲ παυσόμενος.* Nec fidem hâc in re fefellit: poſtquam enim Patriarcha *Alexandrinus* fuiſſet conſtitutus, non iſtâ eminentiſſimâ dignitate elatus, neutiquamque præ faſtu priſtinæ conditionis, dum in Chriſtiano orbe peregrinaretur, oblitus, ad iſta tempora ſummo animi gaudio & pio divinæ benignitatis ſenſu retroſpiciens, *Junium* literis, quas obſervantia, quas gratitudo, quas generoſæ mentis ſublimitas ſuggeſſerat, ſalutare dignatus eſt.

Circa A. Ch. MDCXXV. *Angliâ* relictâ *Hamburgum* adnavigavit, celebriores *Germaniæ* Academias inviſurus. Dum in *Juliacenſi* Academiâ moraretur, cùm nemo Eccleſiæ *Græcæ* dogmata meliùs & accuratiùs intellexerit, rogatus, compendiariam *Confeſſionem Eccleſiæ Orientalis Græcè* ſcripſit, quam V. Cl. *Joannes Hornejus* ferè poſt XL. annos edidit *Helmeſtadii*; viz. A. MDCLXI. in quâ ſe genuinum verumque *Cyrilli* diſcipulum, ac dogmatum rituumque, qui in iſtâ Eccleſiâ per multa ſecula obtinuerant, nondum introductis *Romanenſium καινοδοξίαις*, ſtrenuum defenſorem oſtendit. Hoc τοῖς ἐκ τῆς ἐναντίας Zelotis etiamnum dolet diſplicetque, qui illum fautoremque ſuum ſpurciſſimis convitiis proſcindunt, & tanquam *Calvinianos* & *ἑτεροδόξους* criminantur, quaſi penes ſolos Monachos, qui *Italiam* adeunt, dediſcere & ejurare, quod antiqua *Græcia* docuerat, ſæpè ſæpiùs aut perſuaſi aut coacti, Catholicæ doctrinæ ſtudium fuiſſet, ipſiſque fides unicè conſtitiſſet. Sed utriuſque confeſſionis, tum *Cyrilliana* tum *Metrophaniana*, auctoritas illæſa manebit apud omnes, qui meminiſſe volunt, quantæ labes, quâ violentiâ, quibus verſutiis techniſque inhoneſtis parumque ingenuis, ab iſthoc tempore *Græcæ* Eccleſiæ adhæſerint: neque ſuæ *Confeſſioni* fidem poſtea derogaſſe putandus eſt *Metrophanes*, cujus in cenſurâ *Cyrillo*, (modò vera ſit) à *Cyrillo Berrhæenſi*, ſacrilego ſedis *Conſtantinopolitanæ* invaſore & *ἐπιβάτῃ*, aliiſque ipſius ſymmiſtis intentatâ, nomen reperitur, quaſi mutaſſet ſententiam tantâ cum deliberatione ac ſtudio perſcriptam; cùm id potius ex vitio humanæ fragilitatis, affectibus, quibus, furentibus in *Græciâ* tumultibus, à potenti *λατινοζόντων* factione invectis, abreptus fuerat, imputandum jure videatur. Sed ad *Junium* noſtrum revertamur.

Cùm Sereniſſimus Rex *Jacobus* I. ſubceſivas horas ab ineunte adoleſcentiâ literarum ſtudiis, animo pacifico & ab armorum & belli ſtrepitu, niſi ſumma neceſſitate id exigente, averſiſſimo continentèr impen-

pendiſſet, & ſibi & aliis, quos arcanorum illius conſcios familiari ſermone dignatus eſt, facilè conſtabat, nihil magis honori regiæ Majeſtatis, aut ipſo vivente, aut apud univerſam poſteritatem, quæ omni malo affectu, invidia, injuſtiſque præjudiciis vacua, bonos Principes, quos pietas, quos amor juſtitiæ & æquitatis, quos cura populorum ſibi commiſſorum, ne ex illorum delirio & inani ambitione, plecterentur, magis ornavere, quàm diademata, trabeæ, aliaque ſummæ dignitatis inſignia, æterno maximèque debito proſequetur plauſu, conducere potuiſſe, quàm ſi omnia ea opera, quæ aut ſeriò elucubraverat, aut ingeniosè luſerat, ſeveriori lima ultimiſque curis denuò adhibitis, iteratâ editione ſimul, linguâ quidem *Latinâ*, ab omnibus cultioris literaturæ amantibus legenda, imprimerentur. Compertiſſimum erat, Regem ipſum *Latinè* & elegantèr ſcribere, & expeditè loqui noviſſe: in opuſculis autem *Anglicano* ſermone conſcriptis *Latinè* vertendis, ope & opera V. V. Cl. *Thomæ Rhædi*, & *Patricii Junii* utendum cenſuit, illius præcipuè, cujus partes in hoc labore ſubeundo longè potiores erant, qui *Junii* conſilio & auxilio fretus, admirabili facundia, & ſtyli facilitate Regis mentem & ſenſum fideliter reddidit, & explicavit.

Rhædo verò ultimum naturæ debitum ſolvente, *Joannes Gulielmides*, Epiſcopus *Lincolnienſis*, & magni ſigilli *Angliæ* tunc temporis Cuſtos in (a) literis, Maii 24. A. MDCXXIV. ad Ducem *Buckinghamiæ*, maxima apud Regem & Principem gratia pollentem, & qui omnia in Aula potuit, ſcriptis, *Junium* noſtrum uti maximè idoneum per univerſam *Angliam*, qui iſti muneri, nempe ut eſſet Principi à *Latinis* Epiſtolis, ſuccederet, enixè commendavit.

Opus illud præſtantiſſimum & verè regium, quod in omnem æternitatem doctiſſimi regum famam propagabit, tandem prodit A. Ch. MDCXIX. cum elegantiſſima epiſtola ad Sereniſſimum *Carolum* Principem *Walliæ*, & præfatione *Jacobi Montacuti*, Epiſcopi *Wintonienſis*. Ut verò auguſtiſſimus Auctor benevolentiam ipſius, affectum, & amorem ad Academicos ſuos, pulvere ſcholaſtico & umbra innutritos, pariter ac ad bonas literas, quas impendio magis, quam quiſquam hominum privatorum, colebat, & religionem, quàm adeò potenti calamo tueri geſtiebat, monſtraret, utramque Academiam hoc munere pretioſiſſimo, menſe Maio, A. MDCXX. placuit impertiri, ut in Archivis literariis tanquam in ſede propriâ, &, Muſis ita ſpondentibus, æternâ re-

(a) Scrinia ſacra *Londini* 1663. folio. pag. 203.

reponeretur. Non aptior quiſquam videbatur, qui hac quaſi ſplendidâ ad *Cantabrigienſes* legatione fungeretur, quàm *Junius* noſter, Bibliothecarius Regius, qui illum in frequenti Senatu Academico, præmiſſâ brevi oratione, cum literis Regiis obtulit, quas additis quoque orationibus *Oxonii* habitis, & iſtius celeberrimæ Academiæ literis gratulatoriis, in teſtimonium obſequii, gaudii, & admirationis, quâ ex contemplatione tantæ ac tam divinæ benignitatis erat abrepta, ad Regem tranſmiſſis, (libentiſſimè illas alterius celeberrimæ Academiæ evulgaturus, ſi modo nanciſci licuiſſet) in appendice apponam.

Hoc anno Virginem lectiſſimam *Eliſabetham* ſibi in Uxorem duxit *Junius*, hâc conſorte ſuaviſſimis moribus & placidiſſimo ingenio præditâ felix. Illam verò unius luſtri circuitu, poſtquam quatuor liberos peperiſſet, ſtatim ab ultimo puerperio in flore juventæ XXV. ætatis anno mors eripuit. Quanto verò luctu & qualibus elogiis defunctam proſecutus fuerit mœſtiſſimus conjux, è monumento, quod in perpetuam ipſius memoriam curavit erigendum, ſatis innoteſcere poteſt.

Penſionem iſtam, amplam licèt, quam ob Regiæ Bibliothecæ cuſtodiam ſingulis annis perceperat, tantis meritis ac induſtriæ non ſatis reſpondere Amici crediderunt. Ideò cùm pro iſtorum temporum ſtatu, & jure, quod tunc obtinuit, nuper ob dignitatem Ordinis Sacerdotalis poſt reſtitutam ſub R. *Carolo* II. Eccleſiam juſtiſſimis de cauſis abrogato, dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum capaces fuerint Diaconi, illius Sacri patrimonii non mediocrem portionem, ipſis intercedentibus, facilè obtinuit: duarum Eccleſiarum, tum de *Heighes*, tum de *Llaninnye* in Comitatu *Denbighenſi* Rectoratu, & opimâ Præbendâ, ad Theſaurarium peculiariter ſpectante, in Eccleſiâ Cathedrali S. *Pauli Londini* donatus. Quâ cum *Ludovicus Bailius*, ad ſedem Epiſcopalem *Bangorienſem* promotus, ceſſiſſet, diſponendi poteſtas, jure Regiæ prærogativæ, ad Regem devolvitur, qui literis patentibus, *Weſtmonaſterii* ultimo Auguſti die, anno regni ſui *Angliæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* decimo nono, & *Scotiæ* quinquageſimo quinto datis, *Junium* noſtrum Eccleſiæ *Paulinæ* Theſaurarium conſtituebat: ad quam dignitatem à Decano & Capitulo proximo menſe admittebatur. Sed ad ſtudia literarum, quod in illius vitâ pertexendâ, cæteris leviuſculè tactis, maximè propoſui, quibus magis magiſque intentus vacavit, redeundum eſt.

A. Ch. MDCXXI.

Nondum quicquam publicavit *Junius*, aliorum culpâ, uti ſupra dixi, impeditus: nemo enim id aut ardentiùs deſideravit, aut laborioſiùs conatus eſt, merito ſuo, tum apud noſtrates, tum apud exteros, eru-

di-

ditionis famâ celeberrimus: nihil tamen inde de ſtudio & lectione veterum librorum remiſit; non animum, quaſi literarum pertæſus, deſpondit; conſcientiâ induſtriæ & temporis benè impenſi ſatis contentus, nomen ſuum circulis eruditorum plauſu excipi & circumferri vix ſibi curæ habuit; interim aliorum famæ parum invidens: cùm enim nihil ſuo nomine hactenus in lucem exiiſſet, aliis idem ſtudiorum genus, pari induſtriâ, at longè felicioribus auſpiciis excolentibus, ſuppetias ferre, ipſorum gratiâ, aut editos cum manuſcriptis codicibus conferendo, aut ineditos exſcribendo, ſibi magis adlaborandum eſſe, quaſi ex officio & ex publici commodi intuitu, credebat. Audactèr dico, nec temerè tamen, neminem ejuſdem gradûs & inſtituti, iſthoc tempore per univerſam *Europam* reperiendum fuiſſe, qui majorem hâc in re laudem fuerit meritus. Hinc à Viris eruditiſſimis toties conſultus operam lubens præſtabat: quod ſequentes epiſtolæ, quod elogia in illorum ſcriptis ubivis exſtantia, ſatis teſtabuntur. Ex his paucorum nuda tantum nomina in anteceſſum recenſebo; cætera Lectoris in his ſtudiis aliquantulum verſati, & haſce Epiſtolas vel ſtringente oculo aut leviuſculè inſpecturi, induſtriæ relicturus. Erant autem *Fronto Ducæus*, *Jacobus Sirmondus*, *Dionyſius Petavius*, *Lucas Holſtenius*, *Joannes Seldenus*, *Joannes Meurſius*, *Daniel Heinſius*, *Joannes Albertus*, *Jacobus Gothofredus*, *Hugo Grotius*, *Henricus Valeſius*, *Claudius Salmaſius*, *Jacobus Uſſerius Armachanus*, *Iſaacus Voſſius*, *Joannes Fridericus Gronovius*, *Joannes de Laet*, *Mericus Caſaubonus*, *Nicolaus Heinſius*, ut alios taceam, qui Scriptis immortalibus de omnigenâ re literaria præclariſſimè meriti ſunt. Rogantibus opem operamque non denegavit *Junius*, neque ſe difficilem præbuit: id enim per totum vitæ curriculum vetuêre aut illorum merita, aut innata ipſius comitas, aut publici commodi ſtudium, cui magis quàm privatis ſuis rebus, vacavit.

Cùm Vir illuſtriſſimus, *Thomas* Comes *Arundelliæ*, ingens familiæ *Howardianæ* decus, & majoribus ſuis, nobilitate animi, vitæ ſplendore & magnificentiâ, erga bonas literas arteſque amore, heroiciſque mentis excelſæ dotibus par, ne dicam præferendus, ex *Oriente* magnis ſumptibus, præter codices manuſcriptos, ſtatuas, gemmas, aliaque quantivis pretii cimelia, ex barbarorum manibus feliciſſimo V. Cl. *Gulielmi Pettæi* auſu & curâ erepta, in *Angliam* advehi curaſſet, ex hiſce admirandæ antiquitatis monimentis novam lucem rebus obſcuris, & vetuſtate temporum obductis, affuſum iri, id quidem omnes, qui ejuſmodi *Inſcriptionum* uſum & valorem in vetuſtiſſimorum ſeculorum hiſto-

toriis illuſtrandis noviſſent, primo aſpectu facilè credidêre. Haſce verò antiquitates eruendi laborem importuno Viri nobiliſſimi, Hiſtoriæ patriæ ſtudioſiſſimi, & bonis literis promovendis nati, D. *Roberti Cottoni* rogatu ſuſcepit V. Cl. *Joannes Seldenus*, eâ tamen conditione, ut V.V.C.C. *Patricium Junium* & *Richardum Jameſium Oxonienſem*, (quem lauto ſtipendio ſuis ædibus excepit, cujuſque ſagaci induſtriâ in codicum ſuorum manuſcriptorum catalogo pertexendo tunc temporis uſus eſt idem D. *Cottonus*) adjutores & ſocios in apicibus characterum detritis exeſiſque, & oculorum aciem penè fugientibus revocandis, lacuniſque fragminum ſupplendis, haberet, quorum mutuas collataſque operas ingenuè agnovit: non ita tamen ſe officio, quod amicitia, quod gratitudo, quod fas juſque exigere videbantur, benè defungi potuiſſe ſentiebat *Seldenus*; quin imò neglecto Magnatum patrocinio, in ſinceri affectûs, quem longa amicitia eorundemque ſtudiorum communicatio conciliaverat, perpetuæque obſervantiæ teſtimonium, librum *Junio* nuncupare geſtiebat, quaſi vix aliud nomen occurriſſet, cui aut aptiùs, aut juſtiùs, aut majori cum decore eſſet inſcribendus. Quouſque igitur marmora iſta, quæ immortali iſtoc opere *Seldeniano* extra poteſtatem fati ponuntur, utpote non niſi pereunte mundo peritura, vigebunt, vigebit quoque *Junianum* nomen, ſi propriis ſcriptis ipſe non inclaruiſſet. Veruntamen non diu poſt felix obtingebat occaſio, hactenus toties incaſſum expetita, quâ ſe eruditionemque ſuam, quam *Seldenus* tantoperè deprædicaverat, mundo palam oſtendere liceret.

* Circa A. MDCXXVIII.

Reverſus à legatione *Conſtantinopolitanâ**, quam ſummâ cum laude obierat, Vir præſtantiſſimus, D. *Thomas Rowæus*, codicem venerandæ antiquitatis, *Græcam* ſacrorum Bibliorum verſionem à Septuaginta Interpretibus, ex recenſione *Heſychii*, & quâ Chriſtiani per univerſam *Ægyptum* uſi ſunt, adornatam, & integrum N. Teſtamentum continentem, à Viro maximo, D. *Cyrillo Lucari*, Patriarchâ *Conſtantinopolitano*, qui iſtud pretioſiſſimum cimelium ex *Ægypto*, relictâ ſede *Alexandrinâ*, aſportaverat, acceptum, illius nomine Sereniſſimo Regi *Carolo* primo, beatiſſimæ memoriæ Martyri, obtulit; munus ſanè religioſiſſimo Principi longè acceptiſſimum, quod ille in Bibliothecâ ſuâ, ſi non tanquam unicum, ſaltem maximum decus & ornamentum reponi curavit. Quantæ verò futurus eſſet auctoritatis, quantique in rebus ſacris diviniſque elucidandis momenti, id *Junio*, qui illo optimè uti norat, accuratiùs & cum otio ſingulas periodos perpendenti, mox facilè innoteſcebat; dum verò diligenti manu ſacras tractaret membranas, avi-

avidiſque oculis, ſingulos apices, ingenti gaudio perfuſus, rimaretur, ex inſperato theſaurus, quaſi theſauro ſuperadditus, ad calcem libri *Epiſtola prima S. Clementis ad Corinthios* penè integra (deficit enim folium unum & alterum) cum alterius fragmento, quæ per tot ſecula latuerat, iiſdem characteribus uncialibus, eâdemque manu exarata, ſeſe prodit. Ad hanc edendam non tam juſſu Regio ac Præſulum hortatibus & conſiliis, licèt vim ponduſque maximum, cui neutiquam erat refragandum, in ſe habuerint, quàm flagrantiſſimo de univerſo orbe Chriſtiano benè merendi deſiderio animatus, ſeſe accingens *Junius*, totam literis quadratis, prout in Authentico erat, accuratiſſimè exſcribendam eſſe pro prudentiâ ſuâ judicavit, relictis nimirùm lacunis & dimidiatis vocibus, quarum reliquæ partes evaneſcente atramento aut uvido aere adeò ſunt detritæ, ut vix apiculi reſtent conſpiciendi, aut earum loco ſaltem foraminula ſive cavitates, quas corrodens gummi fecerat, alicubi interſperſæ; deinde formâ, quâ hodiè exſtat, ut veram lectionem meliùs expiſcaretur, lacunaſque, omnibus ritè perpenſis, exquiſitiori judicio expleret. Additamenta verò, non tantùm, quæ ſolâ conjecturâ nituntur, ſed quæ erant certiſſimæ & exploratiſſimæ veritatis, ne quicquam temerè mutaſſe videretur, & ad amoliendam cujuſpiam invidi Cenſoris obtrectationem, quaſi ſanctiſſimi Auctoris verba pervertiſſet, ingenioſo planè artificio, ut res ipſa omnibus, vel maximè incurioſis, fieret teſtatior, minio ſignari voluit. Longâ tamen deliberatione opus erat; nec præcipiti feſtinatione, (quâ judicium præpeditum, nec ſibi ſatis conſtans, ſæpenumerò ſolet impingere) liber ille, Editoris cujuſcunque, licèt eruditiſſimi, ſummâ curâ vigiliiſque digniſſimus, in publicam lucem erat extrudendus. Interea, licèt operi huic, quod pro munere Bibliothecarii incumbebat præſtandum, omnium judicio par habitus, aliorum opem, quam ſtudiosè non captavit, ſuis viribus, ingenio, & exquiſitiſſimâ linguæ *Græcæ* cognitione, & ſubſidiis ex aſſiduâ veterum Patrum lectione pro ratione ac methodo ſtudiorum antea congeſtis fretus, pro ſapientiâ tamen & modeſtiâ duxit non ſibi eſſe, ſi benevolâ mente offerretur, recuſandam. Exemplar manuſcriptum ad Virum doctiſſimum, *Joannem Boiſium*, *Elienſis* Eccleſiæ Canonicum, tranſmiſit ſupra memoratus *Joannes Gulielmiades*, Epiſcopus *Lincolnienſis*, qui multas conjecturas & emendationes pro criticâ ſuâ, quâ pollebat, facultate, rogatus adjecit. Quanti verò hanc venerandi ſenis amicam operam fecerit *Junius*, non parcus illius judicii & εὐστοχίας in aliquibus vocibus reſtituendis laudator, in ſcholiis ſuis ſæpe ſæpiùs oſtendit. Tandem ne

longiori morâ virorum harum rerum ſtudioſorum, ubi per *Europam* ſparſi erant, quorum aures tam ſacri theſauri, nuperrimè è laceris membranis *Ægyptiacis* eruti, fama penetraverat, flagrantiſſimis votis eum efflagitantium, exſpectationem fraudare cenſeretur, *Oxonium* ſe contulit, typis à Viro ſummo, D. *Henrico Savilio*, Academiæ dono datis illic uſurus. Prodiit denique exoptatiſſimus liber ex typographico illius Academiæ celeberrimæ anno *Chriſti* MDCXXXIII. pientiſſimi Regis *Caroli* nomine ornatus munituſque. Omnes genuinum hoc S. *Clementis*, *Romæ* Epiſcopi, ſcriptum, antiquitate, & auctoritate Apoſtolorum Epiſtolis proximum, (neque enim iſthoc tempore aut S. *Barnabæ* Epiſtola, aut ſeptem illæ S. *Ignatii Antiocheni* epiſtolæ à fœdis Interpolatorum corruptelis puræ comparuerant) debito plauſu, admiratione, honore, ac gaudio certatim amplexi ſunt, ejuſque *αὐθεντίαν* non tam ex ſermonis, qui totus pietatem ſpirat, charactere, omni affectatione vacuo, ex piiſſimo Auctoris affectu, & zelo ob Chriſtianorum Urbis *Corinthi*, quorum ſaluti iverit conſultum, pacem & concordiam, (quod præcipuum eſt Epiſtolæ argumentum ut lites iſtæ, quæ nuper eruperant, ſopirentur) qui ubivis elucet, aut ex dogmatum religionis Chriſtianæ, juxta mentem Apoſtolorum illic traditorum, ſimplicitate & puritate, (licet hæc omnia fidem aliquatenus inducere poſſint) quàm ex Patrum, multa, quæ illic *αὐτολεξεὶ* reperiuntur, citantium teſtimoniis uno ore prædicaverunt. Gratulati ſunt omnes *Junio* hanc penè invidendam felicitatem, cujus diligentiæ & eruditioni novam debuit vitam & nitorem aureum hoc ſcriptum, quod hactenus pro deperdito & deplorato habebatur.

Hoc præclariſſimo opere optimè defunctus *Junius*, de aliis vetuſtis Scriptoribus in lucem producendis, prout ſui muneris & ſtudiorum ratio poſtulaverit, ſeriò cogitavit, juſtâque venerandæ antiquitatis reverentiâ abreptus, maluit Scriptorum, quos priſca ætas celebravit, felicem piamque induſtriam, ſanctoſque labores in memoriam & uſum hujus ac ſequentium ſeculorum ex pulvere & ſitu revocare, quàm ingentibus compilationibus aliundè corraſis congeſtiſque ſub nomine ſuo edendis inclareſcere. Quo ſtudio, omni malâ ambitione & inanis gloriæ cupidine amotâ, nihil prius & antiquius habuit, quod licèt minorem pompam & laudem poſt ſe apud quoſdam inſulſos homines, quibus *Interpretis*, *Editoris*, aut *Annotatoris* nomen quippiam mediocre ſonat, trahere videatur; omnes tamen qui norunt, quàm ſpiſſa ignorantiæ caligo ac barbaries ante redaccenſum *Græcæ* linguæ, politioris literaturæ,

ac

ac Eccleſiaſticæ antiquitatis lumen, hiſce terris incubuerit, illud Eccleſiæ Chriſtianæ longè utiliſſimum eſſe, nec de religione & veritate Evangelicâ diviniſque literis meliùs conſuli poſſe, ultro fatebuntur.

Neminem perpetuò jucundæ ac proſperæ fortunæ tenore accurſu gaudere, ex quotidianis vitæ humanæ, malis ineluctabilibus non rarò undeque circumſeptæ, viciſſitudinibus, & ex mutabili rerum ſublunarium conditique, quaſi fatalitèr indictâ, cuivis ſatis conſtat. Hoc quoque non ſine ſummâ mentis ægritudine expertus eſt *Junius*, cujus ædes, igni ex ædibus vicini ſui erumpente, 7. die Decembris A. MDCXXXVI. dum ille fortè ab Urbe aberat totæ deflagrarunt. Eò tamen minus infelicitèr accidebat, quod abſumptâ pleraque ex parte reliquâ ſupellectile, ſchedæ codiceſque rariores, tanquam tot titiones ex flammis eriperentur. Sed ut ad lætiora, quorum narrationem infelix iſte caſus paulò interrupit, revertamur.

Circa id temporis, quod commodùm accidebat, reverendiſſimus in *Chriſto* Pater, D. *Guilielmus Laudus*, cujus ingentia merita erga Academiam *Oxonienſem* & Eccleſiam *Anglicanam*, (quicquid hodiè calumniantur filii Presbyteranorum, qui fanaticâ rabie efferati illum, cruentâ morte impiiſſimè multarunt, quorumque ſeditioſas ſacrilegaſque molitiones in Rege optimo peſſundando, inque evertendâ Hierarchiâ, nulla tacebit ætas nullumque obliterabit tempus) propenſiſſimâ promovendi & ornandi bonas literas voluntate & ſtudio, poſtquam ingentem Codicum omne genus manu exaratorum molem pecuniis largiſſimè effuſis, ubi ubi merx iſta literaria erat reperienda, conquiſiviſſet, elegantiſſimos typos, omnium ferè linguarum, quæ hodiè obtinent, efformari procuravit; hoc conſilio, ut optimâ fide & curâ recogniti Patres Scriptoreſque antiqui, præſertim è *Græcis*, nitidiùs ederentur. Hujus auſpiciis mox prodiere, tanquam amplæ ſecuturæ meſſis, niſi infanda & in æternum lugenda mala univerſas *Britannias* occupaſſent, primitiæ, *Theophylacti*, Archiepiſcopi *Bulgariæ*, *Commentarius in Epiſtolas*, diligentiâ & ſtudio *Auguſtini Lyndſelli* Epiſcopi *Herefordenſis*, publici juris factus, A. C. MDCXXXVI. & *Catena Græcorum Patrum in Jobum*, *collectore Nicetâ*, *Heracleæ Metropolitâ*, quam ex duobus MSS. Bibliothecæ *Bodleianæ* codicibus *Græcè* primum *Junius* edidit, cum *Latinâ* verſione, ex Typographeio Regio A. C. MDCXXXVII. ac *Laudo*, virtutibus ac magnitudine animi, quam Archiepiſcopali pallio, longè eminentiori, qui illum cæteroſque de literis benè merentes omni cum humanitate amplecti, illorumque ſtudia aut munificentiâ

propriâ aut procuratis à benigniſſimo Rege, apud quem omnia, quæ exſpectari par & fas erat, potuit, annuis penſionibus, aut dignitatibus beneficiiſque Eccleſiaſticis, fovere ſolitus eſt, non tam ad ambiendam gratiam, quâ antea gaviſus eſt, quàm ex debito grati animi ſenſu inſcripſit. Quàm multùm tum illorum tum noſtrâ interſit, ut *Græcorum* Patrum ſcripta & commentarii ſuâ linguâ legantur, non opus eſt, ut hîc oſtendam; cùm illud ſit cuivis compertiſſimum: præterquam quod exemplar illud, quo in *Latinâ* ſuâ verſione uſus eſt *Paulus Comitolus*, *Peruſinus*, S. J. neutiquam induſtriæ & ingenii laude fraudandus, in aliquibus locis mancum fuerit, multique errores & παρερμηνεῖαι, ſenſum *Tractatorum* iſtius diviniſſimi libri ſæpenumerò intervertentes, ex feſtinatione & oſcitantiâ irrepſerunt, ut novæ quoque verſionis labor neceſſàriò eſſet ſubeundus.

Ad calcem hujus *Catenæ* textum *Jobi*, ut continuâ ſerie ſine aliquâ oculi interruptione legeretur, στιχηρῶς, eodem prorſus modo, quo, uti ac cæteri libri, qui dicuntur *Poëtici*, in codice manuſcripto *Alexandrino* exſtat, propriâ manu deſcriptum apponi curavit *Junius*, cum hoc quidem magnifico elogio, *juxta veram & germanam Septuaginta Seniorum Interpretationem.* Sed hanc non eſſe puram putam τῶν ὁ verſionem, ſed mutationes quaſdam, ſive ab *Heſychio* Presbytero, ſive ab alio, collatis, inter ſe mirè iſthoc tempore interpolatorum ſive exſcriptorum vitio diſſentientibus, codicibus, factas paſſàm fuiſſe, & κοινὴν ſive *communem* eſſe, ab *Origene* obelis & aſteriſcis diſtinctam, epiſtolâ ſuâ ad *Junium*, Vir maximus, & hiſce ſtudiis accuratiſſimè verſatus, *Jacobus Uſſerius Armachanus* certiſſimis argumentis demonſtravit: quod paritèr quoque in ſuis oſtendit Vir eruditiſſimus *Henricus Valeſius.*

Anno ſequente, nempe MDCXXXVIII. cùm id levioris tum operæ tum impenſæ fuerit, *Gilberti Folioti*, Epiſcopi *Londinenſis*, *Expoſitionem in Canticum Canticorum unâ cum Alcuini in idem Canticum compendio*, è Bibliothecâ Regiâ ex eodem typographeio Regio edidit. Cùm multa verò loca Librarii aut imperitiâ aut feſtinatione mendis inquinarentur, quas ille pro judicio ac ſagacitate ſuâ conjecturis juſtis, ſaltem probabilibus, ſuſtuliſſet, dum liber iſte feriis autumnalibus, quibus animi relaxandi & ſanitatis firmandæ causâ pro more procul ab Urbe aberat, imprimeretur, emendationes illæ, quarum ope reſtitui poterat vera lectio, ab operis Typographicis omittuntur; ſed ne harum beneficio Lector curioſus omninò fraudaretur, omnes ſimul ad finem quaſi per ſaturam ingerere cogebatur, quæ ſi ſuis locis ad oram libri fuiſſent appoſi-

tæ,

tæ, longè ornatior commodiorque prodiiſſet. Hoc autem pium nec inelegans, ſi iſtius ſeculi, quo vixit, quod erat ſub temporibus R. *Henrici* II. ferè ante quingentos annos, mores contemplemur, ſcriptum unius ex Anteceſſoribus ejus reverendiſſimo Patri, D. *Guilielmo Juxono*, Epiſcopo *Londinenſi*, & ſummo *Angliæ* Theſaurario; (qui ferali pegmate R. *Carolo* I. adſtabat, quando ex impiiſſimâ ſceleſtiſſimorum Parricidarum ſententiâ capite plecteretur, & poſt tot tantaſque cædes feliciſſimè ſuperſtes, inſtauratâ Monarchiâ & Eccleſiâ, ad thronum *Cantuarienſem* evectus, ſacro illo ungendi & coronandi R. *Carolum* II. 23. Aprilis MDCLXI. in Baſilicâ *Weſtmonaſterienſi* munere functus eſt) tum gratitudinis tum obſervantiæ ergo dedicavit.

Poſtquam verò *Catenam Græcam in Jobum* pulchrè & accuratè editam ſacrarum literarum amantibus placuiſſe, & labores hoſce Eccleſiæ Chriſtianæ commodo, ſacræ Scripturæ, (cujus ſtudium cæteris omnibus præſtabilius haberi debet, quanto divina humanis, æterna caducis, ſancta profanis, & ſolida maximèque neceſſaria frivolis & merè curioſis antecellunt) omni partium ſtudio poſthabito, ſanæ explicationi, & veræ religionis pietatiſque profectui, quod optimum ſanè tum probi, tum eruditi hominis officium eſt, non parum conducere, ex benevolâ Virorum cordatorum approbatione & applauſu intellexerit, eâdem formâ iiſdemque characteribus *Euthymii Zigabeni* (uti olim *Theodoreti*) *in Pſalmos Commentarium*, qui ex *Philippi Sauli*, Epiſcopi *Brugnatenſis*, verſione *Lugduni* MDLXXIII. *Latinè* tantum exſtabat, *Græcè*, manuſcriptis codicibus inſpectis collatiſque, cum novâ interpretatione edere apud ſe conſtituit. Sed motibus *Scoticanis*, quibus internecinum iſtud bellum quo *Anglia* paulò poſt ardebat, & dein trium florentiſſimorum regnorum everſio, horrendaque innumerorum civium ſtrages ſuam in ſolidum debent originem, mox erumpentibus, & reverendiſſimo D. *Laudo*, hujus ſimiliumque operum ſtrenuo promotore, calumniis, odiis, & machinationibus Schiſmaticorum, jam in ſacram Eccleſiæ *Anglicanæ* Hierarchiam apertâ armatâque vi graſſari incipientium exagitato, propoſitum iſtud mœrens abjecit, illo codice manuſcripto ad prelum deſtinato inter reliquam ſupellectilem relicto, quem Vir præſtantiſſimus, D. *Iſaacus Voſſius*, harum mercium optimus æſtimator, unâ cum multis aliis *Junii* codicibus manu exaratis, ad augendam incomparabilem Bibliothecam heu! nobis malo prorſus fato, (ut nil gravius, ne aliquibus convitiari videar, dicam) pecuniis ſuis comparavit. Nec à quoquam in dubium vocari poſſit, quin *Catena* quoque *Græca in Pſal-*

mos, *Nicetâ* collectore, quam in peculio habuit *Junius*, multique alii *Græci* Scriptores tunc temporis inediti, Archiepiſcopi *Laudi* auſpiciis, & illius labore & curâ è tenebris, quibus erant ſepulti, in publicam lucem emerſiſſent, ſi per iſtorum temporum infelicitatem licuiſſet. Nemo enim, quam ille, has literas aut benigniori patrocinio aut effuſiori munificentiâ adjuvit: nemo, quam hic, aut feliciori induſtriâ aut impenſiore ſtudio elaboravit. Vix tanti erit referre illius conjecturas in quædam dubia epiſtolarum S. *Ignatii* loca, & notas criticas in epiſtolam S. *Polycarpi* ad *Philippenſes*, quas in ſua editione protulit D. *Jacobus Uſſerius Armachanus*: uti & *Photii* libellum de Epiſcopis, Metropolitis, &c. cum ſuâ ipſius verſione in Bibliothecâ *Voſſianâ* reperiendum, cod. 192. & *Epiſtolam Origenis ad Africanum de Hiſtoriâ Suſannæ*, Exemplari *Hæſcheliano* longè auctiorem in Archivis ſplendidiſſimi Collegii S. & individuæ Trinitatis *Cantabrigiæ*, cui ſuas conjecturas addidere idem *Junius*, & Vir doctiſſimus *Herbertus Thorndicius*, & D. *Gale*: ut hîc quoque nonniſi ὡς ἐν παρόδῳ recenſeam, illum *Anſelmi Roberti* Epiſcopi *Londinenſis*, aliorumque epiſtolas, uti & *Philoſtorgii* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſynopſin, *Nicephori* Chronologiam auctiorem & emendatiorem, & *Libanii* Rhetoris τὰ παραλειπόμενα, & *Stratonis* epigrammata edere ſibi propoſuiſſe.

At non publica mala, non res domeſticæ, non difficultates, quibus erat ingruente bello colluctandum, non ætas ingraveſcens illum à propoſito editionem *Græcorum* Bibliorum è codice *Alexandrino* publicandi amovere poterant. Hoc enim à longo tempore animo inſederat, ne ſolus ille theſauri incomparabilis aſpectu oculos mentemque paſcere cenſeretur, ac ſi orbi Chriſtiano, cujus intererat, ut omnium manibus verſaretur, ipſius uſum ac commune illud beneficium invidiſſet. Quippe hoc erat quorumcunque eruditorum votum & deſiderium: quod ipſe ante multos annos in ſtricturis ad S. *Clementis* epiſtolam excitaverat. Interim Vir maximus, *Hugo Grotius*, ſagaci mente prævidens, variantes lectiones hujus antiquiſſimi codicis ſibi, commentarios in ſacros N. T. libros molienti, utiliſſimas fore, moræ impatiens, amicis ſuis in *Angliâ* importunis literis inſtabat, ut ad ipſum mitterentur. Tanto viro in re tanti momenti, pro literarum ſacrarum ac nominis *Grotiani* amore, prompto animo obſecutus *Junius*, eas benevolè admodum communicavit, publici commodi, quàm propriæ famæ, longè ſtudioſior: uti ante plures annos miſerat variantes lectiones ex antiquiſſimo codice Evangeliorum, quem ſuperiore ſeculo Biblio-

the-

thecæ Academiæ *Cantabrigienſis Theodorus Beza*, collectas, ad *Petrum Puteanum*, qui illas (a) *J. Morino* communicavit. Has quanti fecerit *Grotius*, quantumque lumen ad eruendum verum quamplurimorum locorum ſenſum ex his ſcintillis accenderetur, cuivis commentarios iſtos leviuſculè inſpicienti facilè patebit. V. V. Cl. *Claudium Salmaſium* & *Danielem Heinſium*, quibus erat compertiſſimum, ingens ſubſidium ad S. Scripturarum intelligentiam ex vetuſtiſſimis iſtis membranis ſuppeditari poſſe, idem quoque inceſſebat deſiderium, quod ſi non in totum impleverit, ſaltem aliquantiſper ſedare, miſſis excerptis, annisus eſt. Decennium ferè effluxerat, ex quo hic labor priùs in mentem veniſſet, qui uſque & uſque interpoſitâ *Catenæ in Jobum* editione, aliiſque, quæ ſe objecerant impedimentis erat differendus; his autem defunctus, hoc ſanctum opus, quod plurium annorum induſtriam deſiderabat, quantum per publica mala licuit, ſeriò aggreſſus eſt, omnes tum induſtriæ, tum ingenii nervos contendens, ut, favente Deo, faventibus bonis eruditiſque Viris, ipſo vivente, ad felicem exitum perduceretur. Collectâ undique ex antiquis Patribus, prioribus editionibus, aliiſque libris impreſſis ad hanc rem quoquomodo ſpectantibus, variarum lectionum, quibus ſacer textus aut firmari aut illuſtrari queat, mole, de membranis ac chartis, ſcripturarum ſive integros libros ſive fragmenta complectentibus, quas edax tempus, aut Chriſtianorum inſcitia, aut *Turcarum* barbaries intactas reliquerat, hactenus ineditis, maximè erat ſolicitus, ut cum hoc exemplari, quod commentariorum ſuorum ἔδαφος fore ſtatuebat, diligentiſſimè collatæ, mutuam ſibi invicem lucem aſpergerent. Quicquid alicubi in Bibliothecis per *Angliam* & præcipuè in Academiâ *Oxonienſi*, latebat, ipſi erat recluſum: nec huic redintegrato labori malè reſpondebatur. En novum prorſus & inuſitatum induſtriæ hac ex parte ſpecimen & exemplum. Exſtat in Bibliothecâ *Bodleianâ* ex dono D. *Gulielmi Laudi* Exemplar *Pentateuchi Arabicum* Lemniſcis, aſteriſcis, obelis, cæteriſque notis ab *Origene* excogitatis, ornatum, quod (b) D. *Pocockius* cum *Junio* noſtro percurrit, ut ille quæ ad *Græcam* τῶν LXX. editionem adornandam facerent, excerperet. Tam benè uſuro quiſque

è

(a) Vide *Morini exercitationes Eccleſiaſticas & biblicas de Græci Hebraique textûs ſinceritate.* lib. I. exercit. II. cap. 3. pag. 47. Fol. *Pariſ.* 1669. & Epiſtolam *Puteani* ad *Camdenum:* pag. 202. 2011.

(b) V. præfat. D. *Pocockii* ad variantes lectiones *Pentateuchi Arabici* in ſexto tomo Bibliorum Polyglottorum.

è Noſtratibus ejuſmodi gazas concredere geſtiebat. Inter alia verò κειμήλια integras *Iſaiæ* & *Jeremiæ* prophetias aſteriſcis notatas auſpicatò nactus eſt. De aliis aliunde conquirendis par quoque erat ſolicitudo. *Holſtenium*, imprimis ſibi longo amicitiæ uſu conjunctiſſimum, cui Bibliothecæ *Vaticanæ* & *Barberinæ* adyta reſerata fuerant, crebris literis rogat, ut quicquid inibi elici poſſit, quod editioni ſuæ ornandæ conducat, ac præſertim lectiones admodum vetuſti codicis in Bibliothecâ *Barberinâ*, XII. *Prophetas*, unà cum veterum Interpretum verſionibus ad oram appoſitis, continentis, illico tranſmittantur, quod itidem ex alio codice *Prophetarum*, qui olim erat Cardinalis *Rupifucaldii*, in ſui gratiam fieri à *Joanne Auberto*, Collegii *Laudunenſis* Præfecto, obnixè obteſtatur. Potuit ſanè ex (a) *Frontonis Ducæi*, S. J. qui idem opus magno animo olim molitus eſt, ſchedis multum profeciſſe; ſed illæ poſt ipſius mortem, juſſu Pontificis & Cardinalium malè metuentium, ne ſcrupulis Chriſtianorum mentibus ex tanto variantium lectionum, quas congeſſerat, cumulo forſan injectis, auctoritati vulgatæ *Latinæ* editionis quicquam decederet, *Romam*, ne Jeſuitis quidem invitis, tranſmittebantur, flammis, neque enim mitius fatum à tam ſeveris Cenſoribus exſpectare poterant, abſumendæ. Utcunque futuri operis ſpecimen, quod jam præ oculis meis habeo, primum nimirum caput libri *Geneſeos*, unà cum doctiſſimis Scholiis, edere placuit. Omnes illud certatim arripiunt, avidiſque oculis legunt perleguntque, ac optimâ ſpe de promiſsâ editione, quam cum maximo & vix continendo affectu exſpectant efflagitantque, conceptâ, quaſi moram pertæſi, Orbem Chriſtianum hoc eximio theſauro, quod dudum fuiſſet locupletandus, nimium diu hactenus caruiſſe amicè queruntur. Aliquanto ante hoc ſpecimen editum tempore, conventus iſte (partim è Miniſtris, partim è Laicis conflatus) *Presbyteranorum Weſtmonaſterii* de rebus religionis poſt everſam Eccleſiam *Anglicanam* ad fœderis *Scoticani* normam componendis conſultantium, procurante D. *Seldeno*, *Junium* ad ſuſceptum hoc opus perficiendum ſtimularat: ne qui ſanctimoniæ prætextu Hierarchiam ſacrique cultûs officia & ritus everteret, ſacrarum literarum ac piæ anti-

(a) Vide epiſtolam ipſius ad nobiliſſimum Virum D. *Robertum Cottonum*, in appendice ad Syllogen epiſtol. *Camdeni* p. 374. & *Sarravii* epiſtolam ad *Jacobum Uſſerium Armachanum* in Sylloge epiſtolarum *Araufioni* 1654. p. 245. & etiam epiſtolam reſponſoriam D. *Uſſerii* in Sylloge epiſtolarum *Uſſerianarum Londini* 1686. p. 527. & ejuſdem aliam ad *Arnoldum Bootium* p. 621.

tiquitatis oſores quoque haberentur. Sed deerat Vir ſummus, D. *Laudus*, ante biennio martyrio coronatus; deerant auſpicatiora tempora: omnia quippe erant ſeditionum ac tumultum plena.

Independentes cæterarumque Sectarum colluvies, enthuſiaſtico furore perciti, ac excuſſo Presbyteranorum jugo, rerum potiti, in ſacras literas, tanquam religioni maximè inimicas, debacchantur, ut in tantâ rerum confuſione grande illud opus, quod tantis ſumptibus conſtaret, edendum in ſe ſuſcipere vix quiſpiam Typographus auſus ſit. Tandem anno MDCLII. ſuperatis difficultatibus, pactiſque inter D. *Junium* & *Cornelium Bæum*, inſignioris notæ apud *Londinenſes* Bibliopolam, conditionibus, exortæ ſunt lites, quæ hos conatus, jamjam quàm maturrimè fieri licuit, ad umbilicum perducendos, retardarunt. Nam intellecto, quod *Junius* à codice *Alexandrino* in multis, ubi Librarius, ipſo judice, errâſſet, aut ſenſus minus integer aut dictio dubia videretur, ſibi diſcedendum eſſe ſtatuerit, puram putam verſionem Septuagintaviralem, ex (a) editionibus *Complutenſi*, *Venetâ*, *Romanâ*, intermiſſis ſuis quoque, ſi fas ſit credere, conjecturis, conflatam, quaſi exhibiturus, interceſsêre Viri eruditi, qui textum Codicis *Alexandrini* ab omni ſive mutatione ſive mutilatione integrum, retentis vel ipſis nævis, (ſi qui fuerint qualicunque modo admiſſi) manifeſtis licèt, dari cupiebant, præſertim D. *Seldenus*, qui, uti olim à Viro reverendo & eruditiſſimo, D. *Thomâ Mareshallo*, amico meo integerrimo, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, accepi, *Bæum* ipſum in illius ædibus pro more adeuntem verbis irarum plenis perſtringens, ita profatus eſt, *Si hâc in re D.* Junio *morem geſſeris, ſpero me eouſque victurum, donec te cum libro tuo* (ſic peſſimè habito) *in flammas apud* (b) Smithfield *conjectum videro.*

Nullus autem dubito, quin *Junius* tantorum Virorum judicio & auctoritate motus, novam editionis fideliſſimè, juxta ſeriem venerandi codicis, ne erroribus quidem, ſive in verbis, ſive in peculiari ſcribendi modo, qui, cùm conſtans ferè & perpetuus ſit, non caſu contigiſſe videri poteſt, omiſſis, rationem, abjectâ alterâ, quæ tantoperè diſplicuerat, ſi vixiſſet, eſſet initurus. Nam paulò poſt immodicis ſtudiis, ſenio, aliiſque vitæ incommodis fractus, magno literarum damno morti ſuccubuit, relictis Scholiis doctiſſimis uſque ad XV. caput libri *Nume-*

(a) V. D. *Waltoni* Prolegom. IX. Sect. 33.

(b) Area vicina eſt, qua olim ſub temporibus Reginæ *Mariæ* Proteſtantes erant uſtulati.

rorum, non enim ultrâ inconditam notarum ſtruem digeſſerat, (textu nimirum codicis *Alexandrini* in illis Scholiis cum codice *Ebræo*, cum *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis* fragmentis, cum editionibus hactenus impreſſis, cum Patribus, præſertim vetuſtioris ævi, in Commentariis, Homiliis, aliiſque ſcriptis verſionem *Græcam* citantibus, cum denique vetuſtiſſimis MSS. heic apud nos & alibi repertis, diligentiſſimè collato) quæ Vir præſtantiſſimus, *Brianus Waltonus*, in ſexto tomo Bibliorum Polyglottorum in immortale nominis *Juniani* decus edenda curavit. Ab illo tempore codex ille venerandæ antiquitatis jacet neglectus, cujus licèt variantes lectiones aliquomodo collectæ in Bibliis *Waltonianis* exſtent, digniſſimus tamen eſt, qui per ſe integer & dignitate ſuâ conſpicuus in lucem publicam exeat: & forſan dudum exiiſſet, favente, imo jubente, Sereniſſimo Rege *Carolo* II. ni iſtud conſilium diriſſimæ quorundam hominum, ſub quæſitiſſimo legum & religionis tuendæ prætextu, novis rebus ſtudentium, molitiones intervertiſſent.

Exercitu Rebellium jam victoriarum, poſt copias Regias profligatas, ſucceſſu elato, inque Urbem ſocordiâ ac perfidiâ Civium admiſſo, *Cromwellus* aliique Anteſignani, earundem partium ſequaces, perpetratâ immani R. *Caroli* cæde, excluſiſque, non ſine irriſione, ſuis Dominis, *falſi Senatûs* Adſeſſoribus, omnia vi planè tyrannicâ occuparunt. Ædes Regiæ ſceleſtis his latronibus, ut ſplendidiori apparatu viverent, in præmium quaſi bellicæ virtutis aſſignatæ. Eò uſque Bibliotheca Regia raptorum manus evaſerat, pene indemnis; ſed mox amoto *Junio* A. MDCXLIX. libri, numiſmata, annuli, & gemmæ ſculptiles, quas olim cum integrâ *Gorlæi* dactyliotheca, pecuniis ſuis acquiſivit *Henricus*, Princeps *Walliæ*, facilè in prædam cedebant: quod maximè ipſi doluit, qui de hoc commiſſo ſacrilegio infamem iſtum Nebulonem, & communis incendii facem, *Hugonem Petrum*, cui Bibliothecæ claves à Barone *Greio*, quo nemo in Regem capitalius odium exercuit, concreditæ erant, ſuſpectum habuit. Suſpiciones haſce veras juſtaſque fuiſſe, caſu quodam inopinato, qui rem extra omnem dubitationem poſuit, poſtea compertum habuit *Junius*. Dum enim à *Thoma Boweſio* Equite, quem D. *Simondſius Deweſius*, in hiſce gazis literariis ſatis gnarus, amanſque, ultimarum tabellarum Curatorem moriens conſtituerat, ut iiſdem debitum pretium, pro peritia ſua, quâ maximè inclaruit, ſtatuere vellet, invitaretur, ſtatim ſine laboriosâ indagine, multa ex iſtis numiſmatibus, tum aureis, tum argenteis, ſibi notiſſima, ut-

utpote è cimeliarchio Regio ſurrepta, reperit. Cùm verò jam liqueret, *Deweſium* illa furto ſublata, à ſceleſto illo *Hugone* pecuniis numeratis emiſſe, Arbiter ille teſtamentarius pudore ſuffuſus, & quaſi attonitus, annulos gemmaſque mirabili arte inciſas, in reliquis loculamentis diſpoſitas coram viro oculatiſſimo in medium producere nolebat. Non minor mitiorve codicum erat peculatus & expilatio, cujus quoque manifeſtus à *Junio* idem *Hugo* poſtulatur: qui aliquanto poſt tempore chartis declaratoriis & literis ad *Junium* datis, hoc crimen ſibi malè intentari queſtus, quaſi eſſet omnium mortalium hac in re innocentiſſimus, fidem, quam toties ejuraverat, interponit, nullos libros, ſe conſcio, inde fuiſſe ablatos, exceptis duobus aut tribus, quos *Pavio Amſteloda-menſi*, Ordinum *Belgii* confœderati Legato, tradendos juſſerint Commiſſarii, clavibus poſt aliquot ſeptimanas *Iretono*, *Cromwelli* ſocero, redditis. Hoc tamen reſponſo *Junius* ſibi, cui homuncionis nequitiæ & fraudes erant cognitiſſimæ, parum ſatisfieri palam profeſſus eſt.

Ne verò iſti peculatui favere, aut omnem ſupellectilis librariæ curam penitùs abjeciſſe viderentur, *Conſiliarii Statûs*, in iſtâ *novâ Republicâ* ita nuncupati, *Joannem Duræum*, non incelebris nominis, ob ſuum unionis inter Eccleſias Reformatas tranſmarinas inducendæ ſtudium, Bibliothecæ *Jacobææ* Cuſtodem conſtituebant, ordinatione de libris & nu- 28. Octob.
miſmatibus recenſendis additâ, quo tempore duodecim ferè numiſma- MDCL.
tum millia, ut charta recenſionis, quam vidi, indicat, in pixidibus re- 7. April.
periebantur. Sed de his gazis conſervandis, quas avari homines, publi- MDCLII.
cum commodum ſuo poſtponentes, poſtea ſurripuerunt, non ſatis cautum erat, vix quater mille relictis, quæ Sereniſſimus Rex *Carolus* II. ab exilio redux, in Cimeliarchio ſuo repoſuit. Idem quoque triſte fatum codicibus, præſertim manu exaratis, quos auguſtiſſimi Reges, *Jacobus* I. & *Carolus* I. pari curâ & munificentiâ congeſſerant, incubabat; ita tamen, ut omnes ex fanaticorum militum laſciviente ingenio & improbitate non ſimul periiſſent, prodigio non abſimile videatur, pariterque de tantarum ruinarum reliquiis patriæ & Reip. literariæ gratulari debeamus. Non celabo Lectorem id, apud multos dudum percrebuiſſe, quod *Junius* ſagaci mente præſentiens, huic opimæ prædæ homines ſacrilegos ac literarum oſores inhiare, antequam à munere abdicaretur, plurimos inde codices, cum animo reſtituendi, in ſuas privatas ædes tranſtuliſſet, qui poſt ipſius mortem publicè quaſi ſub haſtâ venderentur. Sed in re incertâ quicquam pronunciare mihi nec libet nec licet. Conſtat ſanè *Junium* à *Græcis* Epiſcopis & Presbyteris, quos omni officiorum

genere ſibi devinxiſſet, & aliunde, ſuo ære grandem librorum MSS. quorum Catalogum ipſius manu deſcriptum vidi, cumulum comparaviſſe; quibus ſi Regios quoſque immiſcuiſſet, malo prorſus fato accidebat, ſi, quod aliqui criminantur, illi quoque, qui ſeponi debuiſſent, tanquam *Juniana* hæreditatis pars, alienarentur. Sed quod fortaſſe hanc impactam criminationem eluere videbitur, vix hoc candidis & ſanctis *Junii* moribus competere poſſe credo, ut niſi rem habuiſſet compertiſſimam, in aliorum peculatum, adhibitis querelis, iiſque palam intentatis, adeò tragicè inveheretur. Interea verò *Junii*, fama manente integra, mecum ſanè lugebunt omnes, qui Patriæ honori conſulunt, hoc triſte damnum Bibliothecam Regiam paſſam fuiſſe, quod vix ſeculum reparabit.

Ex noſtratibus ſibi maximè familiares, & in rebus ſuis ſtrenuos adjutores, habuit *Junius*, D. *Robertum Cottonum* Equitem Auratum & Baronettum, *Jacobum Uſſerium*, Archiepiſcopum *Armachanum*, *Joannem Seldenum*, *Joannem Rouſæum*, Bibliothecæ *Bodleianæ* Præfectum, *Gerardum Langbainium*, Collegii *Reginenſis* Præpoſitum, & Archivorum Academiæ *Oxonienſis* Cuſtodem, D. *Franciſcum Kinaſtonum* Equitum Auratum, & unum è Regii corporis Satellitibus, ſive *Armigeris*, ut loquuntur, qui illi elegantiſſimum *Chauceri*, vatum noſtrorum veteris ævi principis, duorum primorum librorum poematis de *Troïli* & *Creſcidæ* amoribus verſionem, verſibus rhythmicis, in quibus *Latini* ſermonis puritas ſervatur, contextam, inſcripſit, præter plures alios non infimæ ſortis, quos comitate ſuâ (hanc enim artem ipſe per tot annorum luſtra in Aulâ Regia verſatus optimè calluit) ſibi æterno benevolentiæ mutuique amoris nexu devinxit. De exteris verò maximi ob eruditionis famam nominis, quibuſcum arcta neceſſitudo & familiaritas interceſſerat, omninò ſuperfluum erit hîc diſſerere. Id ſequentes epiſtolæ & elogia ſatis teſtabuntur. Non invitus dixerim, nimiam iſtam comitatem, qua illos cumulavit, penè in crimen degeneraſſe, utpote Bibliothecæ Regiæ damnoſam: dum ex effuſiſſimo de aliorum ſtudiis bene merendi deſiderio codices MSS. quantivis pretii ab *Anglia*, aliquando per decennium exulare pateretur.

In illo fatali diſſidio inter Sereniſſimum Regem *Carolum* I. beatæ memoriæ & ſubditos, qui rebellionem maximè infamem imperitiſſimo Eccleſiæ reformandæ zelo & auctoritatis Parlamentariæ, quod planè nullum erat, jure & titulo prætexebant, conſtat, *Junium*, ab ipſa pueritiâ quietis & umbræ amantiſſimum, militaribuſque ſtudiis omninò inaſſuetum, ſummiſque be-

ne-

neficiis acceptis, optimis Regibus, *Jacobo* I. & *Carolo* I. obſtrictiſſimum ex innata pietate & indole, ſi fidei & conſcientiæ rationes non impediiſſent, quod tamen maximè impediebant, ne quiſquam ſubditus contra legitimum Regem inſurgeret, non procaciter, non perfidè, non impiè ſe geſſiſſe, ſed domi in muſeo manentem, illorum temporum calamitates lachrymis non fictis, gemitibus, ac vero luctu deploraſſe. Quod verò Rhapſodus quidam, (cujus tamen, ut id obiter addam, cenſuræ vel potius convitia, quæ non à judicio aut amore Veritatis, ſed ab innatâ feritate, & animo ad maledicendum nimiùm proclivi pleraque ex parte proficiſcuntur, parvi ſunt æſtimanda) criminetur *Junium* Presbyteranorum partibus faviſſe, utinam maculam hanc pari facilitate eluere liceret. Excuſationis, ſi non juſtæ, ſaltem cujuſpiam vel leviuſculi ad iſtam cenſuram minuendam momenti, loco obtendi poteſt, illum non niſi poſt eliminatam Eccleſiæ *Anglicanæ* Hierarchiam cum factioſis iſtis & ſchiſmaticis hominibus in gratiam rediiſſe; ab iiſdem captatâ quavis occaſione novis beneficiis auctum, & dum rerum potirentur, Bibliothecarii munere adhuc fungentem: novam Independentium factionem protervè graſſari cœpiſſe; hæreſeſque fœdiſſimas, quæ Religionis Chriſtianæ fundamenta convulſum ivere, plebis incautæ animis ſubdolè inſperſas, jam palam ſeſe oſtentantes, ſcriptis, diſputationibus, concionibuſque propugnari: (abruptis enim ſacri regiminis Epiſcopalis diſciplinæque Eccleſiaſticæ repagulis, mala hæc, *novæ Reformationis genuini fructus*, tanquam tetra eluvies, impetu quodam ineluctabili obvia quæque proſternens, univerſam *Angliam* inundaverant) in hiſce denique turbulentiſſimis temporibus *Junium* operam ſuam non in defenſionem illorum à Rege legitimo aut ab Eccleſiâ apoſtaſiæ, ſed bonarum literarum propagandarum ſtudio Presbyteranis Proceribus & Miniſtellis addixiſſe: ſed arctam cum D. *Uſſerio*, *Waltono*, *Thorndicio*, *Hammondo*, *Pearſono*, qui omnes erant ſtrenui Hierarchiæ Eccleſiaſticæ pugiles, & Presbyteranæ paritatis, quæ eſt mera ἀταξία & confuſio, oſores, aliiſque ὁμοψήφοις, amicitiam coluiſſe, quoſque omni debita cum veneratione, ſummoque honore, quem illorum pietas, dignitas, eruditio, & perpeſſiones pro causâ Dei, Eccleſiæ, & Regis vendicaverint, proſecutus eſt. Quicquid fuerit, (neque enim illum ἀναμάρτητον præfractè contendero) quilibet veri amans, aut in hiſce literis paulò exercitatus, nullo partium ſtudio & amore abreptus, niſi omnem candorem & humanitatem, niſi vim mentis, quæ de rebus ſapienter judicare novit, penitus exuat, mihi ſponte & facilè dabit, *Junium* ob ſummam eruditionem, & flagrantiſ-

ſimum illud, quod per integrum vitæ curriculum præ ſe tulerat, & re ipſa mille modis præſtiterat, ſacras bonaſque literas promovendi ſtudium inter præcipua *Britanniæ* decora recenſeri debere.

Sed ad exitum hujus breviculæ narrationis cum vita *Junii* finiendæ propero.

Cùm jam vis militaris, conculcatis legibus, ubique per univerſam *Angliam* graſſaretur, omnemque tranquillitati publicæ fruſtrà expetitæ aditum intercluſiſſet; *Junius* ad ædes generi ſui *J. Atwoodi* I. C. qui *Eliſabetham* filiam natu maximam duxerat, *Bromfeldam* in provinciâ *Eſſexienſi*, ineunte autumno repetit, illic familiari apud ſuos convictu menti malorum publicorum ſenſu gravitèr ſauciæ & afflictæ, dulce remedium quæſiturus, ſpe ſaltem paulò longiùs producendæ vitæ: quod ab hiſce domeſticis ſubſidiis potuit exſpectari. Sed divinam voluntatem de illo aliter ſtatuiſſe, triſtis eventus docuit. Nam mox præcipiti, eoque graviſſimo, morbo correptus, ademptâ ultimas teſtamenti tabellas condendi opportunitate, ſeptimo die Septembris A. C. MDCLII. piè in *Chriſto* obdormivit, poſtquam ante octiduum ſexageſimum octavum ætatis ſuæ annum expleviſſet. Corpus elatum ſine funebri pompâ (neque enim ea tempora ferebant) in ſuperiori vicinæ Eccleſiæ intra cancellos parte, mœrentibus amicis, reconditur, largâ nigri marmoris laminâ ſepulchro ſuperimpoſitâ, cum hâc inſcriptione, ab omni faſtu alieniſſimâ, Anglicè conceptâ, quam hîc ad verbum *Latinè* dabo.

Subtùs jacet reconditum corpus Patricii Junii, *Armigeri, filii Domini* Petri Junii, *Equitis, qui reliquit duas filias & cohæredes*, Eliſabetham, Joanni Atwoodo, *Armigero*, & Saram, *D.* Samueli Boſæ *Equiti nuptam. Obiit 7. die Septembris* 1652.

Fruſtra quis auguſtius monimentum, elegantioremve Epigraphen defuncti laudibus turgentem deſideraverit. Iſtis quaſi inſtabilis & citò perituræ famæ ſubſidiis non eget *Junius*, cujus memoriam libri, quos edidit longè perenniori elogio, quàm quodvis Mauſoleum, ad ſeram poſteritatem prorogabunt.

ELO-

ELOGIA & TESTIMONIA

Clariſſimorum & doctiſſimorum Virorum

de D. PATRICIO JUNIO.

ISAACUS CASAUBONUS in epiſtolâ ad D. *Petrum Junium* XV. Kal. Septembr. 1613. p. 985.

Quæſivi ſæpè à filio tuo Patricio, *optimo & doctiſſimo juvene, quid didiciſſet de tuo itinere. Is mihi paucis diebus, antequam iret* Oxonium, *confirmavit, & te & uxorem tuam ἀνόσους καὶ ἀπημάντους in patriam rediiſſe.*

PETRUS PUTEANUS in epiſtolâ ad *G. Camdenum*, *Pariſ.* 3. Kal. Septembr. 1617. pag. 193. 194.

Patricius Junius, *Vir eruditus, utriuſque noſtrûm amiciſſimus, has tibi tradit: poſtea,* Patricium Junium *vidi libentiſſimè, & quantùm in me fuit, illi favi: patuit illi Bibliotheca Ill.* Thuani, *ut & talibus Philologis eruditis & doctis.*

Idem ad eundem 5. Id. Novembr. 1617. pag. 202.

Velle aurem, quæſo, Patricio Junio, *eruditiſſimo Viro, de collatione antiquiſſimi Codicis MS. Evangeliorum, &, ut ſtet promiſſis, urge. Nam conjicio ex Epiſtolis D.* Pauli *planè antiquis, quæ penes me ſunt,* Theodorum Bezam *negligenter librum venerandæ antiquitatis vidiſſe; non vanus erit ejus labor, nec induſtria noſtra.*

THEODORUS GOTHOFREDUS ad *G. Camdenum*, *Pariſ.* 30. Auguſti 1617. pag. 194.

Les vôtres m'ont été rendues par Mr. Patricius Junius, *homme de merite, & pour tel reconnu par ceux, qui l'ont vû de deça, & comme vous l'avez décrit.*

JOANNES HOTMANNUS ad *G. Camdenum*, *Pariſ.* 2. Septemb. 1617. pag. 196.

J'ai été très-aiſe, que par cette occaſion j'ai pris connoiſſance avec Mr. Junius, *Gentilhomme d'une rare vertu & erudition. C'eſt une obligation, que je vous ai avec toutes les précedentes.*

FRONTO DUCÆUS in notis ad Orationem *Gregorii Nyſſeni* contra Fornicarios.

Græ-

Græcus textus nuper editus eſt, ex Apographo Cæſareæ Bibliothecæ cum altero Patricii Junii, *oblato, nunc & emendato.*

DIONYSIUS PETAVIUS in notis ad *Themiſtii* XIX. orat. p. 728. *Pariſ.* 1618. loquens de oratione *Juliani* Imp. nondum editâ, quam S. P. Q. *Athenienſium* ſcripſit.

Eam nos orationem, cum aliquot aliis, accepimus ab humaniſſimo eruditiſſimoque Viro, Patricio Junio Londinenſi, *Regiæ Bibliothecæ Præfecto, quas propediem favente Deo, cum reliquis* Juliani *operibus, publicare decrevimus.*

Et in præfatione ad editionem operum *Juliani τῦ παραβάτυ Pariſiis* 1630. 4°. loquens de iiſdem orationibus & epiſtolis antea ineditis:

Hæc omnia Londinenſi *ex Bibliotheca miſit ad nos* Patricius Junius.

Ita nomen illius, quaſi prioris humanitatis & grati officii illum pœnituiſſet, nudè abſque omni elogio & præfatione laudis profertur, pro abſurdiſſimo more, qui apud plures, ſeſe pro ſolis Catholicis venditantes (excluſis aliis diverſæ communionis, iſthoc titulo longè meliori jure ornandis) obtinuit, ac ſi morum urbanitas ac ejuſmodi commendationes famæ zeli, quem præ ſe ferunt, & veritati religionis Catholicæ, quam falsò ſibi arrogant, quippiam eſſent detracturæ. Imò *Petavius* ingrati animi poſtulandus eſt, qui tractatum *Petri Alexandrini* de noviſſimo *Chriſti* Paſchate in *Uranalogio* ſuo editum ſe à *Junio* noſtro accepiſſe reticet.

JOANNES AUBERTUS in præfatione ad I. tomum Operum S. *Cyrilli*, Archiepiſcopi *Alexandriæ: Pariſ.* 1638.

Certè prætermitti non debet eximium V. V. Cl. Junii *& D.* Rouſe *in editione noſtrâ paranda adornandaque ſtudium, qui Homilias aliquot & variantes in eas lectiones ex inſtructiſſimâ* Oxon. *Academiæ Bibliothecâ, tanta mihi cum celeritate miſerunt, ut prævertiſſe quodam modo viderentur petitionem meam.*

HUGO GROTIUS in epiſtolâ ad *Franciſcum Junium: Pariſiis* 31. Maii 1638. pag. 434.

Quod ſi pateris & hoc adjici, meo ut nomine comiter ſalutes Viros egregios, Seldenum, Patricium *ὁμώνυμον tuum*, Pettæum, *& ſi qui his ſimiles ſunt alii, ad multa merita tua, quibus obſtrictum me habes, novum hoc adjeceris.*

Idem ad eundem 23. Septembr. 1638. pag. 465.

Beaſti me, quod D. Seldeno, *& D.* Patricio Junio *memoriam mei renovaſti. Plurimùm ipſis debeo, & publico nomine, ob labores iſtorum, qui-*

quibus humanum genus ſunt demeriti, & privato, quod multis argumentis comperi eos mihi optimè velle. Beneficium, quod ultrò offert D. Patricius Junius, *faciendi mihi copiam lectionum variantium, quas è* Græcis *codicibus miſit* Cyrillus, *maximi facio, ut debeo; neque tantùm gratiſſimum erit id munus, ſed & operam dabo, ut id quamplurimis proſit.*

Idem ad eundem $\frac{12}{22}$ Januarii 1639. p. 498.

D. Patricius Junius *ita eſt de literis meritus, ut ab amantibus literas omnibus amari debeat. Accedet ad communem cauſam privata, ex qua me debitorem habeat, ſi ipſius beneficio, quod & ipſius nomine D.* Goſſius *obtulit, nanciſci poſſim codicis* Cyrilliani *novi Fœderis excerpta.*

Idem ad *Samſonum Johnſon: Lutetiæ* Septembr. 1638. pag. 466.

Patricium Junium *amavi ſemper, amo nunc etiam, quod poſt catenam in* Jobum, *&* Theophylacti *quædam, etiam* Euthymium, *boni judicii ſerâ ætate Scriptorem, publici juris facit.*

Idem ad eundem 9. Febr. 1639. p. 508.

Plurimùm Juniis *duobus* Patricio Franciſcoque, *debeo pro datis liberalitèr, tranſmiſſiſque diligentèr lectionum diſcrepantiis. Sunt in illis obſervationibus digna non pauca, quibus ſuus erit uſus. Sed nunc maximè Evangelia me occupant: quare ſi cumulare beneficium beneficio velitis, & me earum lectionum, quæ ad* Marcum, Lucam, *&* Joannem *pertinent, compotem facere, felicem me tanto munere judicabo. Rogo autem, ut tua comitate & gratiâ agantur D.* Patricio, *quod hæc mihi præſtiterit, & D.* Seldeno, *quod Vir meo judicio maximus mei vivat memor.*

CLAUDIUS SALMASIUS in præfatione ad *Achillem Tatium: Lugduni Batav.* 1640.

— ubi intellexi exemplar manuſcriptum ejuſdem Auctoris exſtare in Londinenſi *Regiâ Bibliotheca, à Viro clariſſimo præſtantiſſimoque, Bibliothecæ iſtius Curatore, pro ea, quâ eſt humanitate & comitate, & prono ad literas juvandas affectu, facilè uſum ejus mihi impetravi. Hoc exemplar* Caſauboni *olim fuiſſe, manus ejus ad oram paſſim adſcripta mihi ſignificavit. Agnovi in eo paſſim &* Henrici Stephani, *ejus Soceri, manum, ut ab eo habuiſſe manifeſta ſit fides.*

Poſtea; *Vir etiam doctiſſimus & clariſſimus* Lucas Holſtenius — *Româ ſuum codicem tranſmiſit, quem ipſe contulerat cum Anglicano illo ex Bibliotheca Regia, cui* Patricius Junius *V. Cl. præeſt.*

Idem in præf. ad libr. de primatu Papæ: *Lugd. Bat.* 1645.

Clariſſimus vir & celeberrimus, Patricius Junius, *nuper mihi ſignificavit* Βαρλαὰμ Μοναχοῦ πρὸς Νικόλαον Ἀρχιεπίσκοπον περὶ ἀρχῆς Πάπα *in Bibliotheca Regia* Londinenſi *exſtare, qui non poteſt eſſe alius ab eo, quem hîc edidimus.*

CLAUDIUS SARRAVIUS ad *Jac. Uſſerium Armachanum: Pariſ.* 9. Novembr. 1648. in Sylloge epiſtolarum *Arauſioni* 1654. pag. 245.

Εὐφράνθη ἡ καρδία μοῦ καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσα, *viſo ſpecimine* Alexandrini *exemplaris, quod iſthic excudi cœptum eſt. Sed quare trahitur nobiliſſimi operis editio? feſtinato ſanè opus eſſet, & qualemcunque moram omnes docti & probi impatienter ferunt. Magna quippe in Eccleſiam utilitas inde redundabit, uti & in ſummum Virum*, Patricium Junium, *gloria non vulgaris. Cujus tu quoque particeps eris, pro ea, quam impendis, opera, cùm in prolegomenis adornandis, tum in urgendo laudabili hoc propoſito.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS, de origine & progreſſu idololatriæ, lib. III. c. XCIX.

Sed verè hujus avis (Phœnicis) *meminit Apoſtolorum σύγχρονος*, Clemens Romanus, *epiſtola ad* Corinthios *priori: quæ pauculos ante annos prodiit in lucem egregiâ V. Cl.* Patricii Junii *curâ.*

ISAACUS VOSSIUS in notis ad epiſtolam S. *Barnabæ* pag. 308.

Nunquid in epiſtola Clementis, *quam nobis dedit Vir maximus*, Patricius Junius *Bibliothecarius Regius*, (*cui ego tantum debeo, ut plura ei debere non poſſim*) *ſimilia occurrunt?*

Idem in literis ad *Jacobum Uſſerium Armachanum* v. Octobr. 1650. *Holmiæ* ſcriptis: in collectione literarum *Uſſerianarum. Londini* 1688. pag. 556.

Diu eſt, quod de Seldeno & Patricio Junio *nulli omninò huc perlati ſunt nuntii. Eorum Virorum ſtudiis ex animo favet Regina. In* Patricium *verò, ſi quid Reginæ noſtræ eſſet juris, non tam diu textus ille Bibliorum* Græcus *in tenebris delitesceret. Sed non cuique contingit doctis parere Dominis.*

ANDREAS RIVETUS, Critici Sacri lib. I. c. 8.

In eâ (S. Clementis epiſtolâ) *reperiuntur, quæ à nonnullis Veteribus citantur, ut in ſuis notis ex collatione oſtendit eruditiſſimus Editor, qui veram ac genuinam eſſe* Clementis *epiſtolam exiſtimat, non obſtante fabulâ de* Phœnice, *quam ad illuſtrationem doctrinæ de reſurrectione adducit.*

Quod

Quod poſtea fecerunt alii plures ex Veteribus. Argumenta Viri doctiſſimi expendere poterit Lector eruditus.

DANIEL HEINSIUS in Exercitat. Sacris ad S. *Matthæi* cap. VII. lib. I. cap. 5. p. 33. editionis *Cantabrigienſis*, locum ex epiſtola S. *Clementis* citans, addit,

Quam ſtylo ſcriptam Apoſtolico, aut qui ad eum proximè accedit, Patricio Junio, *ſummæ eruditionis Viro, debemus.*

Idem in *Ariſtarcho* ſacro ad calcem ſacrarum exercitationum ad N. T. *Lugd. Bat.* 1639. c. 13. p. 819.

— Ut & de iis, in quos Septuaginta Interpretes Poëticos diſtinxerant Scriptores: cujus luculentum nobis nuper ſpecimen à clariſſimo & eximio Patricio Junio *editus exhibuit* Jobus.

Idem in parte alterâ cap. 2. pag. 857.

Ad quem locum Olympiodorus, *quem in præclarâ illâ in* Jobum *Catenâ Viro eximio ſummoque amico noſtro*, Patricio Junio, *Sereniſſimi* Magnæ Britanniæ *Regis Bibliothecario, debemus.*

JOACHIMUS JOANNES MADERUS in præfatione ante editionem epiſtolæ S. *Clementis* ad *Corinthios*, *Helmeſtadii* 1654.

Luci illam non ita pridem donavit rurſum Vir clariſſimus Patricius Junius, *Sereniſſimi, heu quondam!* Britanniarum *Regis Bibliothecarius, cui propterea maximas certè gratias debemus.* Mox — *Non erat, quo te amplius morarer; quandoquidem nunquam ſatis laudatus* Patricius, *ſua ad Lectorem præfatione, Veterum teſtimonia ſupra ſubnexa, in reliquis tibi poterat ſatisfacere.*

CHRISTIANUS RAVIUS in epiſtolâ ad *Reyherum* ante libros Conicarum Sectionum *Apollonii Pergæi* in *Græciâ* deperditos. *Kilonii* 1669. 8°.

Scriptum ejus codicis Goliani *erat* Mauritanicæ *ſcripturæ; quod non credo Cl. Virum inde attuliſſe; cum ejus jam olim in* Belgio & Anglia *fuiſſe indicia, renunciatum ſæpè ſit à nobiliſſimo illo Bibliothecæ Regiæ Præfecto*, Patricio Junio, *qui addebat, mirari ſe, quomodo jam Cl.* Snellii, *Mathematici inſignis, tempore exſtiterit, quod certo ſciat*, Leidæ Apollonius *integer, & tamen nil ejus tam longo ſpatio ævi prodierit.*

CORNELIUS TOLLIUS in epiſtola ad *Chriſtianum Ravium Rhemis.* Auguſto 1647.

Mitto literas celeberrimo Viro, Patricio Junio, *quod & tu monueras, atque illum facio plurimi. Non dubito, quin per te conſequar varias il-*

las lectiones Palæphatiorum *codicum*, *quas impetratas multùm cupio. Jam quippe feſtino editionem illius libri*; *neque ſubſidium illud habeo*, *niſi quod nuper ſuppeditavit magnus* Salmaſius *MS.* Londinenſis ἀπόγραφον. *Tibi autem acceptum feram*, *quicquid ulterius hac in re gratificatum mihi fuerit à Cl.* Junio.

Auctor vitæ *Joannis Morini*, *Londini* 1682. pag. 71.

In Anglia Comberi *præſertim & Junii*, *Virorum doctiſſimorum*, *amicitiam coluit*, *& ad utrumque liberè ſcripſit*, *quid de vetuſto illo codice* Græco Lxx. *Interpretum Verſionis ſentiret*, *qui ab* Ægypto *in* Angliam *deportatus fuerat*: *maximè in epiſtola* ad Patricium Junium, *cujus operâ liber* Jobi Londini *editus fuerat*, *de codicis illius*, *quo uſus fuerat* Junius, *vetuſtate & bonitate fuſiùs diſſerit.*

Jacobus Usserius *Armachanus* in Syntagmate de *Græca* Lxx. Interpretum verſione *Londini* 1655. p. 105.

Geneſeos *quoque*, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Joſuæ, & Judicum *fragmenta quædam* Græca *vetuſtiſſima*, *obelis & aſteriſcis ſignata*, Claudius Sarravius *in Parlamento* Pariſienſi *Conſiliarius Regius*: *integram verò* Eſaiæ & Jeremiæ *Prophetiam*, *aſteriſcis inſignitam*, *communicavit* Patricius Junius, *Regius apud nos Bibliothecarius*: *quorum alterum per literas tantum nobis notum*, *alterum amicum intimum & integerrimum*, *morte nobis ereptum*, *luctu ſerio proſequuti ſumus.*

Idem in præfatione ad Epiſtolam S. *Barnabæ.*

Quæ quidem in Barnabâ *fruſtra quæſita*, *in priore* Clementis *epiſtola*, (*à doctiſſimo* Patricio Junio *non ita pridem editâ*) *totidem verbis expreſſa invenimus.*

Idem in Diſſertatione de Symbolis: *Oxonii* 1660. p. 25.

Quò ſpectat Photii Conſtantinopolitani *Patriarchæ locus*, *in Diſſertatione de Spiritus ſancti proceſſione contra* Latinos: *quam XII. Panopliæ ſuæ dogmaticæ* Euthymius Zygabenus *inſeruit*, *ſed à* Franciſco Lino *in* Latinâ *verſione conſultò omiſſam*, *ex codice nuper è* Græcia *allato communicavit mihi amiciſſimus* Patricius Junius.

Pag. 26. Dicit, ſe *Symbolum* Athanaſianum *à* Græcis *interpolatum* dare ex apographo V. Cl. *Patricii Junii.*

Pag. 38. *Ex veteribus membranis* Cottonianis (*à quibus Auctoris nomen aberat* (*Rythmos iſtos elegantiſſimos* (nempe Hildeberti Cenomanenſis) *deſcripſimus*; *& ex altero Bibliothecæ Regiæ codice*, *ab amiciſſimo* Junio *accepto*, *alicubi emendavimus.*

Idem in notis in S. *Polycarpi* epiſtolam ad *Philippenſes* pag. 1.

Cum

Cum θυσιαςηρίῳ *à* Clemente, *in epiſtola ad* Corinthios, (*quam in hac alias etiam non ſemel* Polycarpus *eſt ſecutus*) μωμοσκοποθὲν τὸ προσφερόμενον *conjunctum cernimus, ubi* μωμοσκόπων *officium fuiſſe pluribus nos docuit doctiſſimus* Junius, *ne quid vitii aut labis ſacrificio, priuſquam altari imponeretur, ſubeſſet, diligentèr diſpicere.*

Idem in literis ad Cl. *Sarravium Pariſienſis* Curiæ Senatorem $\frac{13}{23}$ Febr. $164\frac{7}{8}$. *Londini* ſcriptis in Sylloge epiſtolarum *Londini* 1686. pag. 527.

Alexandrini *verò exemplaris* (*quod poſt* Baſilii *M. tempora deſcriptum fuiſſe, præfatio illius, quæ ibi habetur, in Pſalmos ſatis indicat*) *editionem*) *quæ à te tantoperè poſtulatur, vel flagitatur potius*) *urgere non ceſſo. Id oneris in ſe ſuſcepit Vir doctiſſimus*, Patricius Junius, *cujus primum ſpecimen ſimul cum hiſce mitto. Mihi enim præter* ἐργοδιώκτου *officium, aliud nihil hîc incumbit, niſi, ut de ipſa* LXX. *Interpretibus adſcripta verſione, quid ſit ſentiendum, quædam adnectam prolegomena.*

Idem in literis ad *Ludovicum Capellum* 27. Octobr. 1653. *Londini* ſcriptis p. 596.

Codicem τῶν ὁ Alexandria *à* Cyrillo *Patriarcha in* Angliam *tranſmiſſum* (*quem* Theclæ *vocant*) *edere cœpit eruditiſſimus* Junius. *Sed eo ad meliorem vitam tranſlato, nulla illius editionis ſpes nobis eſt relicta. Cuduntur tamen apud nos Biblia Polyglotta, in quibus veteres ſacri contextus editiones uno conſpectu repræſentatæ exhibentur. In his* Alexandrini *illius codicis cum editione Græcâ Vaticanâ collatio inſtituitur.*

Vide quoque epiſtolam illius *Anglicè* ſcriptam ad *Arnoldum Bootium.* pag. 621.

JACOBUS MONTACUTUS, Epiſcopus *Wintonienſis*, in præfatione ad opera R. *Jacobi* I. *Latinè, Londini* 1619.

Edwardus *ſextus, in tanta vitæ brevitate, quâ eximias animi dotes mundo explicare non potuit, hiſtoriam tamen ſui temporis ſcripſit, & tres linguâ* Gallicâ, *de fide, de idololatria, ſeu imaginum cultu, & de Papæ primatu, quos Duci* Sommerſettenſi, *avunculo ſuo, inſcripſit. Epiſtolas etiam & Orationes* Græcas Latinaſque *varias conſcripſit in Bibliotheca Regiâ ſuperſtites, quas eruditus fiduſque Bibliothecæ Regiæ Curator*, Patricius Junius, *regia Auctoris manu conſcriptas, mihi monſtravit.*

JOANNES SELDENUS ad Auctariolum Marmorum *Arundellianorum* p. 182. *Londini* 1628.

Orationem Juliani, *unde hoc deſcripſimus, MS. mecum pridem communicavit, uti ſolet id genus alia, pro ſua humanitate Vir doctrina, &*

morum ſuavitate inſignis, Patricius Junius, *Bibliothecarius Regius, & de hoc loco me monuit. Integram orationem cum duabus aliis Apoſtat, nondum in lucem editis, ante ſexennium tranſmiſit ad V. Cl. doctiſſimumque*, Dionyſium Petavium, *qui eas publici juris facere pollicitus eſt.*

Idem in libro de dominio maris lib. 2. c. 6.

— *Uti etiam binis in Bibliothecâ ad D.* Jacobi *Regiâ, quod adnotavit mihi vir doctiſſimus amiciſſimuſque*, Patricius Junius.

Idem de Synedriis lib. I. p. 220.

Locum deſcripſit Vir eximius, Patricius Junius.

Vir optimus & doctiſſimus HENRICUS HAMMONDUS in Diſſertationibus de juribus Epiſcopatus. Diſſertat. V. c. 3. p. 264. ubi malam cujuſdam periochæ in epiſtola S. *Clementis* ad *Corinthios* interpunctionem & interpretationem rectiſſimè emendat:

Quod doctiſſimo Clementis *Interpreti, quomodocunque excideŕit, certè non placet.*

Editor epiſtolarum *Photii* (quas Vir admodum reverendus & doctiſſimus, D. *Richardus Montacutus*, Epiſcopus *Norwicenſis Latinè* vertit, & prelo paravit) ſub nomine Typographi:

— *Quibus acceſſerunt epiſtolæ aliæ quinque de rebus in jure canonico* Orientalium *dubiis: has inter alia plurima ex* Oriente *ſecum in* Angliam *advexit* Chriſtianus Ravius, *eaſque cum Cl. Viro*, Patricio Junio, *communicavit, qui pro ſummo ſuo in Remp. literariam ſtudio earum mihi liberam fecit poteſtatem, eo nimirum animo, ut publici juris fierent.*

Vir eruditiſſimus, GERARDUS LANGBAINUS, in notis ad *Longinum* περὶ ὕψους pag. 115.

Robortelli *alteram* (editionem Longini) *benignè nobis communicavit in Reip. literariæ bonum natus, clariſſimus Vir*, Patricius Junius, *Bibliothecæ Regiæ Curator digniſſimus: tranſmiſit item & codicem manuſcriptum, ipſiſſimâ* πολυμαθεςάτῳ Stephani *manu exaratum.*

MERICUS CASAUBONUS in Prolegomenis ad *Marcum Antoninum: Londini* 1643.

Magna tum memini ſpes animum pertentabat, ſi fortè exemplar Antonini, *quo B. M. parens uſus fuerat, adipiſcerer, haud pauca in eo reperturum me ad oras (quæ in pleriſque veteribus legendis ejus ſedulitas & diligentia) notata, quæ magno futura eſſent auxilio. Sed eum, cùm humaniſſimi juxta ac eruditiſſimi Viri*, Patricii Junii, *Bibliothecæ Regiæ Præfecti digniſſimi, operâ conſequutus eſſem, quàm ſpe meâ fruſtratus ſim,*

ip-

ipſum illum teſtor, optimæ fidei, nec minoris in his judicii, teſtem omni exceptione majorem.

Idem in notis pag. 8.

Id eò veriſimilius mihi ſit, quod ante menſem unum aut alterum, quàm hæc ſcriberem, indicio V. Cl. de literis & literarum amantibus omnibus indefeſſâ induſtriâ meritiſſimi, Patricii Junii &c.

JOANNES PRICÆUS in notis ad Apologiam *Apuleii.* pag. 147. *Pariſ.* 1635.

Imaginem delineationemque ejus (i.e. marmoris in ædibus D. *Mauroceni* Venetiis) (*ut & aliorum quoque*) *debemus nunquam laudato ſatis* Pettæo *noſtro*; *applicationem ad Hiſtorici narrationem* Patricio Junio, *Sereniſſimi Regis noſtri Bibliothecario, homini ad literaturæ omnis, duntaxat* Græcæ, *beneficium nato.*

Idem in præfatione ad *Apuleii* Metamorphoſeos libros. 1650.

Sequentes libros contulimus cum uno tantum MS. codice, quem à nobis acceptum Gulielmus, *nuperus* Cantuariæ *Archiepiſcopus* (*Vir literis ornandis attentiſſimus*) *donavit* Oxonienſi *Bibliothecæ. Ex eo penu inſtructiſſimo, interventu Cl. longèque doctiſſimi Viri,* Patricii Junii, *illius ad nos fluxit temporaria uſura. Ejuſdem Amici beneficio inſpeximus* Colvinianam *editionem.*

ABRAHAMUS WHELOCUS in præfat. ad *Bedæ* Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis *Anglorum. Cantabr.* 1644.

D. Patricius Junius *Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati fidelis Bibliothecarius, Vir inclytus, alter inter nos* Caſaubonus, *ut* Latinas, *ſic & patrias literas cum* Græcis *conjunxiſſet.*

JOANNES FELLUS Epiſcopus *Oxonienſis* in præfat. ad epiſtolam S. *Clementis. Oxoniæ* 1677. loquens de codice *Alexandrino in* Bibliotheca Regiâ.

Bibliæ ſacra ad exemplaris iſtius venerandi fidem ſe luci daturum ſpondebat Vir eruditiſſimus, Patricius Junius, *Regiæ Majeſtatis Bibliothecarius*; Clementis *autem editionem re ipſa præſtitit, quam nos hîc denuò repræſentamus.*

— *Siquidem ea habetur de eruditione, induſtria, & fide D.* Junii *apud omnes exiſtimatio, ut eandem ſuſpicione aliquâ labefactare, non incivile modo, ſed iniquum prorſus videatur.*

— *Demum in editione iſta verſionem* Latinam *recenſuimus, parcè tamen, & cum debita erga doctiſſimum* Junium *ejuſque manes reverentiâ.*

D. FRANCISCUS KINASTONUS, in epiſtola dedicatoria ad

Ju-

Junium, præfixâ ſuæ verſioni primi libri lepidiſſimi poematis *Galfredi Chauceri* de amoribus *Troili* & *Creſſeidæ*. *Oxoniæ* 1635.

Quare cùm ita ſe res habeat, eroticum hoc poema, cujus frontem tuo amiciſſimo nomine decoramus, ævi injuria obliteratum ferè, & inter deperdita recenſendum, ad te & tuum patrocinium inter alia priſcorum opera & pegmata non immeritò confugere videtur: cujus duo nomina ſunt totidem bona omina, quæ Auctori Chaucero *& mihi aliquid fauſti portendunt. Nam cùm tu ob ſtirpis & ſtemmatis tui claritatem ex verè nobili & Patricio ordine ſis ortus, cùm tu ipſe propter morum tuorum ſuavitatem, geſtus modeſtiam vitæ integritatem, doctrinam variam, & in priſcorum ſcriptis & monumentis inſignem perſpicaciam, in Rep. literariâ meritò inter Patres conſcriptos habearis: tu identidem pari jure nomen* Junii *mereris, cùm neoterici omnes tibi noti & familiares ſint, & plurima indies mediteris, quæ apud poſteros nominis tui celebritatem augebant; cùm tu Regiæ Bibliothecæ non ſolum Cuſtos, ſed ambulans Bibliotheca ſis. Sed ut modeſtiæ tuæ faveam, ſingula non recenſebo: fas tamen ſit hoc unum dicere, quod me tacente poſtera ætas loquetur, non ſolum S.* Clementis *epiſtolam, verè Apoſtolicam, oblivione diu immerſam, per te & tuâ operâ è tenebris erutam fuiſſe & in lucem datam: verùm etiam LXX. Seniorum* Græcam *verſionem ex codice totius orbis vetuſtiſſimo, literis majuſculis exarato, ſed ita à tineis & temporis invidia exeſo & obliterato, ut in omni pagina plurima elementa & verba integra deſiderentur, tuis indefeſſis lucubrationibus indies emendari, & prelo in bonum publicum adornari.* Cætera exſcribere non vacat.

Idem in epiſtola ad *Joannem Rouſe*, Bibliothecarium *Oxonienſem*, præfixâ libro 2.

— Cùm appareant rari nantes in gurgite vaſto, & inter regia & primi honoris ſydera, vix ullus in noſtro horizonte beneficus aſteriſmus reperiatur, qui Muſis ſit propitius: felicem me exiſtimo, & illis etiam gratulor, quod Caſtora & Pollucem *adſpiciam: nempe lucidos & literatos vos fratres,* Patricium Junium *atque temet ipſum, lucubrationum mearum cenſores, non minus doctos & eruditos, quàm benevolos & candidos nactus ſim.*

VITA
JOANNIS DEE,

Mathematici Angli:

Scriptore

THOMA SMITHO,

S. Theologiæ Doctore & Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.

VITA JOANNIS DEE.

Mathematici Angli.

JOANNIS DEE, (quem in ſecutura ipſius Vitæ & Studiorum hiſtoria ad omnem homonymiam amoliendam vocabulo Linguæ Latinæ genio magis conformi, *Devum* appellabo) primos vitæ halitus *Londini* decimo tertio die menſis Julii, hora IV. & minutis XI. P. M. A. æterni Verbi incarnati milleſimo quingenteſimo viceſimo ſeptimo, excepit. Patrem habuit *Rolandum Devum*, Virum probum, & re domeſtica ſatis lauta gaudentem, cujus cura pro affectu erga filium ſuum à natura indito, utpote puerum egregiæ ſpei bonæque indolis, in illius mente literis *Græcis Latinis*que informanda maximè impendebatur. Studiorum verò, quibus pueri imbui ſolent, curriculum, partim *Londini*, partim *Chelmesfordiæ* in Provincia *Eſſexienſi*, feliciter emenſus, decimo ſexto ineunte ætatis anno *Cantabrigiam* in Collegio, D. *Joannis* Evangeliſtæ memoriæ dicato, altioribus diſciplinis erudiendus, ab amantiſſimo Patre, exeunte nimirum anno 1542. mittebatur.

Togam Academicam indutus, ſive conſiliis & documentis Amicorum, ſive propria ſponte & virtute, & ardentiſſimo literarum amore accenſus, in iſta lubrica ætate, deſidiæ & luxui nimiùm quantùm obnoxia & dedita, ſatis gnarus, non niſi magna induſtria magnam eruditionis famam acquirendam eſſe, pertinaciſſimo & quidem propemodùm incredibili labore, quaſi ſacro voto obligatus, & à quo nullis voluptatibus, blanditiis nullis, aut quorumpiam importunis invitationibus ſe abripi ſiverit, evolvendis Libris, juxta methodum, in iſta Academia juventutem inſtituendi præſcriptam, ſub ſeduli *Tutoris* cura, moderato quatuor horarum ſingulis noctibus ſomno contentus, duabuſque horis, prandii & cœnæ tempore, aliiſque laxamentis ad vitam ſanitatemque tuendam ne-

ceſſariis, tantummodo impenſis, reliquas octodecim, demptis publicarum precum in Sacello habitarum, quibus intereſſe oportuit, intervallis, inviolabili pertinacia, alacer devovit & conſecravit

Poſt ſuſceptum Baccalaureatûs in Artibus gradum, idem literarum amor pertinaxque ſtudium manſere, & jam matureſcente cum anni judicio, qualem Scientiam ex encyclopædia, quam totam accuratè complecti, humanas vires longè ſupergredi compertum habuerat, preſſiùs excolere pro vitæ ſuæ rationibus commodum videretur, animo perpendens, ex vehementis inſitæ indolis propenſione, quam ſapientia, libratis omnium rerum momentis, magis magiſque firmavit, Mathematicas Diſciplinas cæteris longè anteponendas eſſe facilè ſentiebat. Ad hunc ſcopum meliùs feliciùſque attingendum, cùm pauci è noſtratibus illo tempore iſta laude eminerent, utpote in exercitationibus Theologicis, aut in Juribus coronæ contra Curiæ Romanæ uſurpationes defendendis maximè occupati, menſe Maio A. 1547. ex *Anglia* in *Belgium* navigavit, amicitiam cum magnis quibuſdam viris, puta *Gemma Friſio*, *Gerardo Mercatore*, *Gaſpare à Mirica*, *Antonio Gogava*, aliiſque harumce Scientiarum Myſtis, initurus, ut illorum conſiliis adjutus, quid ſibi in iſthoc ſtadio juxta decurſuro faciendum eſſet, auſpicatiùs intelligeret. Quid enim à talibus Magiſtris diſcipulo excelſa indole & ingenio pollenti ſperare non licuit? Nec exſpectationi defuit ſucceſſus: imò omnia ſupra votum ceſſere. Poſt aliquot menſes *Cantabrigiam* redux, ſecum *Gemmæ Friſii* radium & annulum Aſtronomicum, utrumque æreum, ab illo recèns fabricatum, duoſque ingentes *Mercatoris* globos attulit, quos poſtea Bibliothecæ Collegii S. Trinitatis in Sociorum Alumnorumque uſum donavit. Ille autem orbium cœleſtium contemplationi per multos annos addictus, aliquot millenas obſervationes, horis minutiſque pleraque ex parte notatis, factas, in Ephemeridas & Adverſaria congeſſit, tam in ſiderum motibus diſtantiiſque indagandis, quàm in viribus & influentiis in mundum hunc elementarem, moreſque & fortunas hominum inde derivatis, fallaci & penitùs incerta conjectura eruendis, maximè, ut videtur, occupatus, purioriſque Aſtronomiæ ſtudio affanias, quas deperibat, Aſtrologorum, pro laſcivia ingenii adjunxit.

Cùm autem Rex *Henricus* VIII. magnificum Collegium Sanctæ & individuæ Trinitatis honori dedicatum in iſta Academia condidiſſet, dignus habitus erat *Devus* noſter, qui inter primos ſocios accenſeretur, & mox ibidem Græcæ linguæ ſecundarius Prælector conſtitutus. Non multò poſt *Ariſtophanis* Comœdiam, cui titulus Εἰρήνη, exhibendam curavit,

vit, in qua ſcarabæi ad *Jovis* Palatium evolantis, cum homine corbe onuſto, fiebat repræſentatio: quo viſo, obſtupuere omnes, qui aderant, multique, virium artis Mechanicæ penitus ignari, rumuſculos ſparſere, quaſi *Devus* magicis artibus jam initiatus, ope Dæmonum rem iſtam mirabilem effeciſſet. Ita ab ipſius juventute infamiam veneficii & magiæ, ſive jure, ſive injuria, in ſe contraxit: cujus ſuſpicio plurimorum animis adeò altum inſidebat, ut nulla illius excuſatione & apologia, nulla, ut ut ſacra, obteſtatione inde elui potuerit.

A. 1548. laureâ *Magiſtri* inſignitus, mox iterum *Angliam* reliquit, *Cantabrigiæ* æternum valedicturus, ſive ſe majores in Scientiis abſtruſis, quas impigrè venatus eſt progreſſus in exteris Regionibus facturum crediderat, ſive ut ab amicorum cenſuris & criminationibus, quaſi illicitis artibus operam dediſſet, liber, quicquid animo adlibuerit, majori otio minorique incommodo daret in effectum, ſibi ſoli, remotis arbitris conſciiſque, vacans, ſive aliis de cauſis, prorſus incertum. Ab hoc enim tempore mihi perquam veriſimile videtur, *Devum* ſpes vanas in animo aluiſſe, licèt ſub ſpecioſo *puram veritatem, & Theſauros cœleſtis ſapientiæ inveſtigandi* prætextu, ſe tandem aliquando, quod mortalibus vix datur aſſequi, aſſecuturum, & inde ex ſtudio Mathematicarum Scientiarum, Phyſicæ, & Chymiæ, in arcana naturæ, & rerum tum naturalium tum divinarum profundiora penetrandi, & novam, eamque planè myſticam, Philoſophiam, quaſi vileſceret & omnino repudianda eſſet, quæ tunc uſu communi obtinuerat, introducendi, & denique ſibi ipſi ex indulgentia vaniſſimæ & prorſus damnandæ curioſitatis inſignem apud omnes formam adſciſcendi ardorem creviſſe: cujus propoſiti impietatem ſub plauſibili Scientiarum Mathematicarum prætextu, tanquam ſub ſpecioſis involucris, à quorumvis conſpectu occulere voluit. Nemo ſanè harum rerum peritus negaverit, *Devum* inſignis Geometræ, uti opera edita teſtantur, elogium meruiſſe: interim mihi, de illo ſæpè ſæpiùs, & quidem mente ſeria, perpendenti, penè conſtat, conjecturam iſtam tanquam clavem ad abditos illius mentis ſenſus, quos ſubdolè intus fovebat, recludendos, admitti oportere, quod poſtea luculentiùs patebit.

Hoc animo eodem anno, relictâ patriâ, teſtimonialibus Univerſitatis *Cantabrigienſis* literis munitus, *Lovanienſem* Academiam, viris omni Scientiarum genere excultiſſimis florentem, profectus eſt, ubi pro tempore fixis ſedibus, opes doteſque ingenii verſuta modeſtia expandens, magnam eruditionis famam ſibi comparavit, tum coram magno in honore habitus, tum crebris literis, tanquam oraculum, novuſque reconditioris ſapientiæ Magiſter, undiquaque, quò fama de illius admirandis 1548.

elogiis ſpargeretur, conſultus. Huc enim illius inviſendi gratia viri Nobiles, *Hiſpani*, *Itali*, aliique ex aula Imperatoris *Caroli* quinti, tum temporis *Bruxellis* ſplendidiſſimo Principum & Magnatum comitatu ſtipati, certatim, & quidem non modico numero, confluxerunt, an fama, avidiſſimis attonitiſque auribus quotidie ingeſta, non hac ex parte deliquiſſet, & an ex præſentia eſſet minuenda, experturi: inter quos eminuere Dux *Mantuanus*, & D. *Ludovicus de la Cerda*, poſtea titulo Ducis *Medinæ Cæli* inſignitus: ut ab aliorum ædes *Devi* adire ſolitorum nominibus, quos aut Cæſarea Majeſtas ex *Bohemia*, *Dania*, & alibi, aut Artium excolendarum cura in iſtas regiones pertraxiſſet, recenſendis abſtineam. Ita apud quoſvis exteros ipſius fama percrebuit. Nec minorem tamen à ſuis *Anglis*, in *Belgio* quoque commorantibus, inibat gratiam; è quibus *Gulielmus Pickeringus*, juvenis ornatiſſimus, nobili ſtirpe oriundus, & poſtea equeſtri dignitate ornatus, & legationibus *Gallica* & *Germanica* inſignis, in ipſius ædibus recipiebatur, utpote hoſpes redditus, ut radii, annuli Aſtronomici, Aſtrolabii, & globorum uſum majori commodo edoceretur.

Cùm verò ingenium verſatile, & quarumvis diſciplinarum capax habuerit, animi causâ, pauliſper interruptis ſtudiis Mathematicis, methodum & regulas Juris Civilis explorare voluit, tanto quidem cum ſucceſſu, ut in quibuſdam *Antinomiis* ſolvendis, & multis obſcuris intricatiſque legibus enodandis, & novo lumine perfundendis feliciter verſari perhiberetur: quod Academia *Lovanienſis* publico teſtimonio agnovit.

Exacto *Lovanii* biennio, rectà menſe Julio, 1550. celeri quatuor dierum itinere, ſe *Lutetiam Pariſiorum* proripuit, ubi bonæ literæ omne genus, auſpiciis, patrocinio, & munificentia *Franciſci* primi, Regis *Galliæ*, non ita pridem introductæ, maximè florebant. Sed in iſta confertiſſima Studioſorum ex omnibus ferè Orbis Chriſtiani plagis illuc venientium turba, diu celari non potuit, ſive per ſe ex vano oſtentandæ arcanorum naturæ & penitioris Philoſophiæ, hactenus incognitæ, quam ſibi arrogaverat, Scientiæ pruritu, ſive per gentiles, ut major inde in communem patriam derivaretur honos, illorum importunis precibus facilè expugnatus, *Euclidis* Geometriæ Elementa gratis publicè explicare & interpretari in ſe ſuſcepit: ſed nova planè methodo & à nemine prius tentata, h. e. *Mathematicè*, *Phyſicè & Pythagoricè*. Quàm primùm verò innotuit, ejuſmodi Prælectiones in *Rhemenſi* Collegio protenus habendas eſſe, tantus erat Auditorum concurſus, ut ſchola illis capiendis non ſuffecerit; cæteris ob anguſtiam loci excluſis ad feneſtras uſque in

atrio

atrio ſcandentibus, ne iſtis acroamatibus fraudarentur. Hi rerum, quas ore rotundo, facilique verborum profluentia, & quidem ſumma, ut videtur, confidentia, proferebat, ſive magnitudine, ſive mira novitate perculſi, ab hiſce laudatiſſimis initiis (nondum enim viceſimum quartum ætatis annum expleviſſet) maxima quæque, ab aliis, veteris Philoſophiæ jamjam obſoleſcentis placitis pro more addictis, neutiquam attingenda, bona firmaque ſpe freti, unanimes ominabantur. Etenim in explicandis *Euclidæis* definitionibus, oculis quod ſolo intellectu & imaginatione exquiſitè & accuratè percipi poterat, repræſentans, majorem, quam olim *Cantabrigienſibus* ſuis artificio volantis ſcarabæi, illorum menti incuſſit ſtuporem. Hinc multi, eruditione & ingenio præſtantes, cùm ex publicis hiſce dictatis, privatiſque colloquiis crebrò habitis, abundè ipſis ſatisfieret, ipſius amicitiam ſolicitè ac ſollerter captarunt, quam poſtea omni cum obſequio & affectu, literarum commercio coluerunt: quales erant *Orontius Miraldus*, *Petrus Montaureus*, *Ran-Conetus*, *Daneſius*, *Jacobus Sylvius*, *Jacobus Goupylus*, *Turnebus*, *Straſelius*, *Vicomercatus*, *Paſchaſius Hamelius*, *Petrus Ramus*, *Guliel-mus Paſtellus*, *Fernelius*, *Joannes Magnienus*, *Joannes à Pena & Petrus Nonius*, quorum plerique omnes ſcriptis editis inclaruerunt. Nec cum his ſolis, quorum familiari conſuetudine, dum in *Gallia* eſſet, uſus & ſed cum aliis doctiſſimis viris, *Aureliani*, *Coloniæ Agrippinenſis*, *Heidelbergæ*, *Strasburgi*, *Veronæ*, *Paduæ*, *Urbini*, *Romæ*, aliiſque præcipuis Orbis Chriſtiani Academiis & Urbibus, Matheſin & Philoſophiam publicè docentibus, idem literarium commercium frequentibus epiſtolis amœbæis deinceps exercuit, quæ, ſi exſtitiſſent, non modicam illiuſmodi Scientiis lucem fœnerarentur.

Potuit quidem inter Regios Profeſſores Mathematicos numerari, annuo ducentorum coronatorum ſalario, urpote muneri proximè vacaturo ſubſtituendus, modo præſtolari, moramque illic facere vellet: ſed planè nolebat indigena *Gallus* fieri, ne aut revertendi in patriam, aut aliò, quò mens potenter inclinaverit, peregrinandi libertas ſibi adimeretur. Alias quoque lautas conditiones, ab illuſtriſſimis viris, *Rohanio* & *Monlucio*, legationem apud Imperatorem *Turcarum* propediem obituro, oblatas, ne à naturali ſui jure ceſſiſſe videretur, ſi in alienam clientelam tranſiiſſet, pari mentis conſtantia præfractè reſpuebat. Interim quivis ingenuus hoc, tum excelſi animi, iſtiusmodi anguſtis ſpatiis neutiquam includendi, tum magnæ, quam apud *Gallos*, acquiſiverit, exiſtimationis & famæ manifeſtum eſſe indicium facilè conceſſerit.

Anno ſequente ad finem vergente, in *Angliam* reverſus, non iſta ſtudio- 1551.

ſtudiorum præmia, non iſtos utiles, quos exſpectarat, fructus ſibi collatum iri percepit, ſive ope & commendatione Magnatum deſtitutus, ſive ineluctabilibus præjudiciis oppreſſus: (vix enim honorarium iſtud centum coronatorum per annum indulgentia R. *Edwardi* ſexti conceſſum memorari merebitur.) Non tamen quicquam de aſſiduo labore & induſtria remiſit ſtudiis perdius & pernox maximè intentus. Poſtea verò ad levandas moleſtias vitamque curis domeſticis diſtractam aliquo modo leniendam, rectoriis *Uptonæ*, non procul à *Sabrinæ* ripis ſitæ & *Long-Lednamæ* augebatur.

Poſt mortem R. *Edwardi* VI. *Maria*, ſororillius natu maxima, & filia R. *Henrici* VIII. primogenita, capeſſivit ſolium. In iſta verò rerum apud nos fatali converſione, quæ proximè ſecuta eſt, mutata per univerſam *Angliam* Religione, *Devus* aliquantiſper mala paſſus eſt, tum ob fictum hareſeos crimen, quod mactandis bonis orthodoxiſque Chriſtianis, portentoſum tranſſubſtantiationis dogma amplecti
1553. recuſantibus, prætexebatur, tum maximè propter longè atrocius flagitium ipſi impactum. Aiebant enim, illum veneficio & magicis quibuſdam incantamentis Reginæ vitam tollere molitum fuiſſe: ſcelus equidem tortricibus ungulis ultricibuſque flammis expiandum, ſi quicquam in iſtis apud plebem ſparſis fabulis adfuiſſet veri. Hujus enim impii facinoris à duobus delatoribus poſtulatus, apud *Hamptonienſem* Curiam ſeverum ſubiit examen, propoſitis primò quatuor articulis à D. *Joanne Bourne*, Secretario, deinde aliis octodecim à Conſiliariis ſimul coactis, ſuper quibus erat reſpondendum: aliquandiu ſub cuſtodia Lictorum ibi detentus, hinc *Londinum* raptus, ſiſtitur coram D. *Brookio*, Communium Placitorum Juſtitiario, denuò examinandus. Tandum poſt aliquot ſeptimanas cùm integra res in ſtellata Camera *Weſtmonaſterienſi*, iſtiuſmodi criminationibus dijudicandis proprio Tribunale, ita ſtrenuè & dilucidè innocentiam ſuam tutatus eſt, ut ab omni ſuſpicione læſæ majeſtatis ab ipſis Adſeſſoribus abſolveretur. Sed cùm in aliquibus Religionis capitulis non admodum Catholicè ſenſiſſe habitus eſſet, à ſeculari judicio dimiſſus, ad *Bonnerum*, Epiſcopum *Londinenſem*, ſive *Inquiſitorem*, quem noſtrates ex continuæ iſtius ſævitiæ in Proteſtantes exercitæ, à *Marianis* temporibus deducta traditione, *ſanguinolentum Bonnerum* uſque nuncupant, relegatur, in illius ædibus cuſtodiendus, quo tempore *Bartlettum Green*, poſteà ob hæreſin, uti appellant, uſtulatum, habuit contubernalem. Tandem ex ſpeciali gratia R. R. *Philippi* & *Mariæ* (cùm aliqui illum ergaſtulo per omnem vitam addicendum eſſe conſuluiſſent) literis Conſiliariorum 29. die Auguſti 1553. datis, fidejuſſione, ut requiſitus compa-

re-

reret, & interim ſe bene gereret, interpoſita, è diuturno carcere egreditur.

Ante exortam hanc ſævam tempeſtatem, quæ illum penè proſtraviſſet ad fortunarum, libertatis, & vitæ naufragium, à Primoribus Academiæ *Oxonienſis* ad Scientias Mathematicas ibi docendum invitatus, ſurdas obvertit aures, nullis efflagitationibus, promiſſis nullis, ad iſtam præclaram honorificamque profeſſionem ſuſcipiendam inducendus: quibus de cauſis incertum, niſi fortè, quod intra anguſtias unius loci tanquam ſervituti & glebæ adſcriptus, coerceri nollet, aut quod vereretur, ne quiſpiam verſuti ingenii, ex inita arcta conſuetudine ad familiares congreſſus omnibus horis admiſſus, artium illicitarum, quibus indagandis impenſiſſimè incubuit, arcana, quaſi aliud agens, irrependo in Muſei adyta, emiſſititiis oculis exploraret.

In medio harum cogitationum æſtu, *Devus* rei literariæ, & præſertim Hiſtoriæ & Antiquitatum *Angliæ*, curam non neglexit, ſed in veteribus codicibus manuſcriptis, publiciſque inſtrumentis procurandis & conſervandis maximè laudabilem impendit operam. Viderat enim, Monaſteriis ſub R. *Henrico* octavo everſis expilatiſque, ſupellectilem literariam, aut miſerè diſcerptam, aut flammis ex laſcivia indoctorum ſuperſtitioſorumque hominum abſumptam, aut in privatorum manibus quaquaverſùm diſtractam fuiſſe, aut ciſtis intus tegendis, aut excitando, vice aliorum fomitum, foco, aut ſpurcis uſibus inſerviturum: paucas tamen reliquias, tanquam pretioſas tabulas ex iſthoc naufragio adhuc enatantes nondumque penitus demerſas, ex illa horrenda religioſarum ædium ſtrage ſupereſſe (non ritè & pro debito ſuo pretio, regnante R. *Edwardo* ſexto, æſtimatas, nec aliquo honore, ſed potius contemptim & peſſimè habitas) gaviſus eſt. Ille rei indignitate acerrimè permotus, quò huic malo magis magisque gliſcenti meliùs obviam iretur, ne ex poſſeſſorum ignorantia & veſania, aut ex alienigenarum in tranſmarinas regiones pro more, merces haſce librarias avehere cupientium fraude, totæ interirent, aut hîc apud nos tali jactura diſperderentur, ſupplicem libellum (*a*) Reginæ *Mariæ* viceſimo die Januarii A. 1556. porrexit in manus, ut auctoritate regiâ conſtituti Commiſſarii, qui per univerſam *Angliam* diligenti inquiſitione facta, ſpolia hæc, cum iis, quorum peculium, ſive ex rapina, ſive ex mercatu, ſive ex donatione & legato, ſive qualicunque jure acquiſitum erat, ex æquo pacturi, ſimul colligerent, ut in Bibliotheca Regia, quam mox condendam ſuadet, in omne ævum ab omni damno, injuria, & raptorum violentia, in iſthoc ſacrario repoſita, in publicos tum Regni, tum totius Reip.

(*a*) Reperitur in Bibliotheca *Cottoniana*: ſub vitellio. C. VII.

literariæ uſus, ſervarentur. Licèt autem negotium iſtud ſacrum, (ſic enim appellandum cenſeo) ſive non diù pòſt *Mariæ* è vivis excedente, ſive neſcio quo triſti obſtaculo interveniente, in nihilum planè abierit; nec quicquam hac ex parte, quantùm ſcio, ſtatueretur: nullus tamen dubito, quin omnes boni, quibus hæc ſtudia arriſerint, *Devi* in hac *Supplicatione*, quam ex ipſius ſchedis exſcriptam apud me habeo, validiſſimis argumentis ex Religionis politicæque ſapientiæ rationibus communita, ſine fuco pietatem, inſignem erga haſce reconditas literas amorem, fortem ac conſtantem animum, & denique honeſtum pro honore & communi patriæ bono zelum, mecum ſint laudaturi.

Menſe Novembre A. 1558. ex hac vita emigrante R. *Maria*, magnis ob exceſſas animi dotes elogiis cumulanda, niſi in Proteſtantes ſubditos, de ſe optimè meritos, ex cæco immodicoque ſuperſtitionis *Romanæ* more, immanem in modum & capitaliter ſæviiſſet, Regale Majorum ſuorum filia ſolium aſcendit *Eliſabetha*, auguſtiſſima virgo, R. *Henrici* octavi ſecundogenita, in cujus ſolennem inaugurationem dum omnia priſco ritu parata haberentur, *Devus* hac in re, à D. *Roberto Dudleio*, poſtea Comite *Leicestrienſi*, conſultus, atque ad id audendum rogatus juſſuſque, de die auſpicatiſſimo & maximè proprio, quo illa fauſto & amico ſidere perageretur, eligendo, ſchedam, juxta Aſtrologiæ Judiciariæ, qua dudum inclaruerit, regulas elaboratam, corraſis inſignium iſtius vaniſſimæ Scientiæ Magiſtrorum effatis, exhibuit. Hujus deridendæ ſtultitiæ veniam ex bona voluntate & obſequio, quibus ad id inductus erat, meruiſſe viſus eſt. Hoc tamen commodi ipſi inde accrevit quod Reginæ, illius Adminiſtris, reliquiſque præcipuæ dignitatis & notæ Aulicis, innoteſcere cœpiſſet. Sed cùm poſt longam exſpectationem, ſe omni bona ſpe ſtipendium annuum, ſive in præmium, ſive in ſuppetias ſtudiorum, obtinendi tandem deſtitutum vidiſſet, nec ultra blanda verba incertaſque Aulicorum promiſſiones, quibus neutiquam erat fidendum, procederetur, ſive ex tædio, ſive ex indignatione, tertiò navigavit in *Belgium*, ſibi iterum blanditus, in exteris Regionibus fortunas meliùs augeri, ſecundioreſque rerum eventus enaſci aut ſtudia meliùs promoveri poſſe, quàm domi, ubi de præcipitibus illius novam philoſophiam, & eam quidem, ut dixi, myſticam, inſtituendi conſiliis ſiniſtræ admodum malæque ſuſpiciones indies magis magiſque gliſcebant. Nec diu hìc ſibi conſiſtendum eſſe, pro vehementi animi ardore & deſiderio ultra peregrinandi, apud ſe ſtatuit. Nemo enim eruditorum virorum, ubi ubi degentium, qui conſentiente fama in diſciplinis Philoſophicis, Mathematicis, Chymiciſque præ cæteris eminuiſſe perhiberentur, amicis

tia.

tias ſolicitiùs quæſivit: nemo curioſæ doctrinæ arcana, qualiacunque eſſent, in profundis tenebris hactenus demerſa, & quæ vulgares oculos latuere, pari verſutia & diligentia, inveſtigavit. Hic præcipuus videtur tum itinerum tum ſtudiorum finis, reliquis vice παρέργων habendis, ne famæ ſuæ in laudatiſſima & utiliſſima ad humanæ vitæ uſus & delectationem Matheſeos parte deeſſe cenſeretur.

A. 1563. Hac de cauſa, peragrata *Germania*, *Poſonium* principem poſt *Budam* à *Turcis* captam, *Hungariæ* urbem, menſe Septembre, profectus eſt, ubi *Maximilianus* Secundus, *Romanorum*, *Bohemiæ* & *Hungariæ* Rex, nuper iſtius diademate redimitus, tunc temporis ſplendidiſſimam tenuit aulam. Poſt reditum, proximo anno ineunte, primum laborantis & iuſeliciter fœcundi ingenii partum, *Londini* non ita pridem conceptum formatumque, in dias luminis auras A. 1564. *Antuerpiæ* protrudit, (*Francofurti* denuò A. 1591. recuſum) eidem Imperatori inſcriptum, quem *Monadis Hieroglyphicæ*, *Mathematicè*, *Magicè*, *Cabbaliſticè & Anagogicèque explicatæ titulo inſignivit*: in quo delirus nugator utpote *Judaicorum* Cabbaliſtarum præſtigiis nugiſque *Pythagoreorum*, & arcanis adhuc latentibus, numeris variè conjunctis, *Hermetis* ſigillo, hieroglyphiciſque characteribus eruendis addictiſſimus, animo ſtiloque inflatis, miraque cum confidentia enunciat, ſe *virtutum ſupercœleſtium Metaphyſicarumque influentiarum comprehenſionem & ſpeculationem: item myſteria ex alphabetaria literatura, trium nempè linguarum eruditarum, eruta, & denique rara & excellentiſſima arcana revelaſſe: Nullamque lucubrationem huic ſimilem & parem unquam antea exſtitiſſe:* & planè fanatico furore correptus, & totus entheus, jactabundus fingit, *Deum ſibi & voluntatem & poteſtatem divinum hoc myſterium omnibus patefaciendi dediſſe.* Ad amoliendam qualemcunque cenſuram adverſus haſce veſanas ineptaſque affanias, quas quilibet ſobriæ mentis vel leviuſcula inſpectione aſpernaretur & damnaret, in fronte libelli ſchema quoddam ovale, ſub figuris quatuor ſibi invicem perpendiculariter connexis comprehenſum, una cum Elementorum ad quatuor quadriangulos appoſitis ſymbolis, præfigendum curavit, cum hoc lemmate, *Qui non intelligit, aut diſcat, aut taceat.* Illicò in *Angliam* reverſus, opuſculum hoc, quaſi eſſet munus à Regia manu excipi & tractari perquam digniſſimum, Reginæ *Eliſabethæ* in Palatio ſuo *Grenovicano* prope *Londinum*, ad evitandos æſtivos calores tunc degenti obtulit; quod obiter percurrere, illo præſente, dignata eſt, dicens, *ſe*

Jamjam ipſius diſcipulam fore, & ſi iſtius libelli arcana recludere vellet, & diſcere & facere ſe quoque velle. Interim, ne triſtis & æger animi dimitteretur miſer *Devus*, ſe ſtudia illius fovere pro bonitate indolis ſuæ benevolè & gratioſè promiſit. Quidquid autem poſtea à doctiſſimis utriuſque Academiæ viris objectum fuerit, hoc ſolo reſponſo, tanquam clypeo impenetrabili, retundere ſolitus erat, illos librum iſtum ideò redarguiſſe & culpaſſe, eo quod *non omnino intellexerint.* Tanta nimirum obſtinatio menti inerat, ut nullis expugnari potuerit argumentis.

Ut myſticus hic liber meliùs intelligeretur, *Devus* ſuarum partium eſſe duxit libellum inemendatè ex Typothetarum oſcitantia priùs editum, viz A. 1558. jam denuo correctiùs & accuratiùs, *Londini* 1568, 4o. recudere; viz. *Propædeumata Aphoriſtica de præſtantioribus quibuſdam Naturæ virtutibus.* Hunc Librum inſcripſit veteri amico, *Gerardo Mercatori* in gratitudinis & obſervantiæ μνημόσυνον. In hoc autem opuſculo ita ſibi mirè placuit, ut illius copiam, tum Proceribus maximæ dignitatis, tum etiam ipſi Reginæ, animo præfidenti communicare auſus ſit.

Menſe Februario iſtius anni ad præſentiam Reginæ in Palatio *Weſtmonaſterienſi* admiſſus, privata cum illa Colloquia de magno Chymicorum arcano habuit, quod *Nicolaus Grudius*, olim unus è Secretariis *Caroli* quinti Imperatoris, in ſolius *Devi* gratiam, involucris perplexiſque difficultatibus nudum, retegere in ſe ſuſcepiſſet. Quibus autem conditionibus, id celare conſultiùs duxit *Devus*, in genere contentus teſtari, *quæ aut cujuſmodi impedimenta huic rei perficiendæ interceſſerint, Deum optimè noſſe*: quaſi quod in iſta collocutione fuerit tranſactum, aut præ metu aut præ modeſtia, in ſcriptis proferre omnino puduiſſet. Ex futura vitæ *Deviana* ſerie, illum diu antea ad famoſum iſtum pulverem rubrum, *Lapidem Philoſophorum* vulgò nuncupatum, inveſtigandum animum & operam applicuiſſe conſtabit.

A. MDLXX. D. *Henricus Billingſleius* in noſtratium uſum integros elementorum *Euclidis* Libros Anglicè *Londini* edidit, quibus à *Devo* præfigebatur longa quidem, ſed & doctiſſima, præfatio, tum de Univerſo pene omnium Scientiarum Mathematicarum circulo, quæ qualeſque ſint, tum de illarum utilitate & beneficio, quatenus ad rerum viſibilium intelligentiam, & communes vitæ humanæ uſus extendi poſſint ſubtili ingenio & mira ſagacitate amplum in modum diſſerit, præclaris documentis Mechaniciſque inventis ſubinde interſperſis, nec non variis theorematibus, corollariis, & explicationibus decimo tertio libro inſuper ad-

additis. Hac verò occaſione famam ſuam ab illicitarum infamiumque artium ſuſpicionibus vindicandi captata, fremit, indignatur, exclamat contra convitiatores, qui illum, præ imperitia aut malevolentia & animi malignitate, uti contendit, Magiæ accuſaſſent. Inter verò hujuſce execrandi ſceleris conſcios referri, hoc ipſum illius animum quàm maximè urebat, inque graviſſivimum & vix ferendum cordolium cedebat. Sed fruſtra id quidem; ut ab aliis apologiis, contra ejuſmodi repetitas criminationes ab illo editis, poſtea videbimus. Dum domeſticæ illius res adhuc incertæ & incompoſitæ eſſent, nec quicquam aliunde, quo defuturis ſuis fortunis ſecurus eſſe poſſet, obtinuiſſet, animi magis magiſque tædere incipiens, & mente irrequieta agitatus, ſive ad levandum inde contractum mœrorem, ſive ad percipiendos uberiores ex Peregrinatione arcanorum ſapientiæ fructus, A. 1571. Regio commeatu reliquoque, 1571.
prout nobilem decuit virum, apparatu inſtructus, literiſque commendatitiis Legatorum in Aula publicis ſuorum Principum negotiis fungentium, ſi forte illorum ditiones terraſque peragrare liberet, ob majorem itineris commoditatem & ſecuritatem munitus, comitantibus duobus famulis, equeſter reliquit patriam. Dum verò in *Lotharingia* moratus eſt, ægritudine longa, eaque periculoſa, laboravit, ut de eo penè fuerit conclamatum. Quod cùm certò conſtaret R. *Elizabetha*, de illius vitæ longiori uſura non parum ſolicita, duos Medicos, & quendam nobilem Aulicum, illos ut valetudini illius, conſiliis & remediis adhibitis, proſpicerent, hunc verò, ut ægrum animum blandis alloquiis ſolaretur, protenus ex Curia *Hamptonienſi* illò properare juſſit. Tanti videbatur *Devum* ex iſthoc morbo liberandum eſſe & ſuperſtitem fore. In cauſam hujuſce ſolicitudinis inquirere temerarium videbitur: quicquam verò hac de re ſtatuere, illud pro deplorata vecordia habendum planè arbitror.

Reverſus, quo tempore incertum, ad ædes ſuas in oppido *Mortlake* nuncupato, in provincia *Surreienſi* in ripis *Thameſinis* bellè ſito, *Londino* octo circiter milliaribus, tribus verò *Richmondiâ*, palatio regali inclyta, ubi Regina ruris & purioris cœli delicias æſtivis menſibus haurire interdùm conſueverat, diſſito, ſe recepit, ut à ſtrepitu & tumultu urbis & viſitantium copia in hoc amœno ſeceſſu liber, ſibi ſoli muſiſque, quas continente ſtudio indefeſſiſque vigiliis uſque percoluit, procul omni ſolicito & importuno inſpectore (quod enim maximè cupiebat & impenſiſſimè venatus eſt, illud clam in pectore tanquam horribile ſecretum repoſitum hactenus celavit) opportunius commodiuſque vacaret. Poſtea verò, paterna hæreditate boniſque, tam in itineribus, quam in

(*a*) Bibliotheca, libris omne genus, præſertim manuſcriptis; quantivis pretii refertiſſima, ubilibet comparanda, in inſtrumentis Mathematicis elaborandis, inque Chymiæ & occultæ Philoſophiæ praxi multum diminutis, quò ſe verteret, planè dubius, Aulicorumque promiſſis, in longum fruſtra productis, jam diffiſus, de nuptiis cogitare cœperat, majora ſubſidia certiuſque delinimentum vitæ, quod alibi reperire non potuit, in matrimonio contrahendo quæſiturus, ambita nimirùm generoſæ indolis, magnæque dotis femina. Cujus voti ut tandem compos fieret, re cum amicis communicata, literas in illius favorem & gratiam ad futuram ſponſam ſcriptas, à Regina, Comite *Leiceſtriæ*, & D. *Chriſtophoro Hattono*, poſtea Cancellario *Angliæ*, utriſque florentiſſimæ exiſtimationis in Aula Proceribus, impetravit.

Anno 1572. apparuit in cœlo in conſtellatione Caſſiopeiæ ſidus novum fulgidumque, quod omnium oculos ad ſe convertebat. Dum verò plerique ex inveterato errore, ab ignorantia & ſuperſtitione orto, terrifico de triſtiſſimis ex hoc oſtento mox emerſuris eventibus metu percellerentur, cœleſtis ſophiæ cultores in admirationem infinitæ ſapientiæ & potentiæ conditoris univerſitatis rerum abrepti, in variis hujus Phænomeni motibus inveſtigandis maxima cum laude erant occupati. Ut ſummi viri *Tychonis Brahæi*, aliorumque labores lucubrationeſque reticeam, quia iſta res non jam hîc agitur, aderant in *Anglia*, qui ingenium, induſtriam, mentemque excelſam ad cœleſtium contemplationem ſtrenuè erexerint: inter quos jure merito recenſendi ſunt (*b*) *Thomas Diggeſius*, *Cantianus*, nobili proſapia oriundus, & *Devus* noſter. Quorum ambo falſiſſimum iſtud dogma, quaſi Cometæ inſtar metereologicorum vaporum, infra orbem Lunæ ſubſiſterent, hac occaſione ex demonſtratio-

(*a*) *J. Seldenus* de Diis Syris: *Lugd. Batav.* 1629. p. 88. *Codex ille* Valentis *quo utor, eſt MS.* & Chriſtophori Longolii *ſumptibus olim exaratus, quem ex inſtructiſſima, quæ V. Cl.* Joannis Dee Londinenſis *ſcilicet fuerat, Bibliotheca, mihi communicavit olim hæres ejus, vir amiciſſimus*, Joannes Ponteſius, *civis* Londinenſis, *bonarum artium amantiſſimus, & de me optimè meritus.*

(*b*) *G. Camdenus* in Hiſtoriarum R. *Eliſabethæ* parte ſecunda ad A. 1572. *Neſcio an operæ pretium ſit memorare, quod Hiſtorici omnes noſtri temporis memorarunt, menſe Novembri, novam ſtellam, aut ſi mavis, Phænomenum, conſpectum fuiſſe in cathedra aſteriſmi Caſſiopeæ, quæ Jovem etiam in Perigæo eccentrici & epicycli fulgore ſuperavit, ut ipſe obſervavi: eodemque loco diurno cœli motu circumlata, totos ſedecim menſes hæſit. In cœleſti, non elementari, regione exſtitiſſe, ex Parallactica doctrina* Thomas Digeſius & Joannes Deius *nobiles apud nos Mathematici, eruditè demonſtrarunt, ſenſimque aſcendendo diſparere opinati ſunt. Per octavum ſanè menſem paulatim extenuari omnes ſenſerunt.*

tionibus, à ſitu, diſtantiis, & magnitudinibus novorum ſiderum & Cometarum petitis debellarunt. Quod ut fieret manifeſtius, doctrinam Parallaxeos, ex qua iſtæ demonſtrationes pendent, elucidandam primò ſeparatim, nemine conſcio aut arbitro, deinde communicatis conſiliis ſuſceperunt: ille in *Alis ſeu Scalis Mathematicis quibus viſibilium remotiſſima cælorum theatra conſcendi, & Planetarum omnium itinera novis & inauditis methodis explorari, tum hujus portentoſi ſideris, in mundi Boreali plaga inſolito fulgore coruſcantis, diſtantia & magnitudo immenſa, ſituſque protenus tremendus indagari. Deique ſtupendum oſtentum terricolis expoſitum, cognoſci liquidiſſimè poſſit.* Hic verò in *Parallacticæ commentationis præxeoſque nucleo:* quem dum Operæ in lucubrationibus *Diggeſianis* è prelo excludendis diſtinerentur, tranſmiſſum iſtis annectendum permiſit, ſimulque *Londini* A. 1573. prodière. In utriſque methodus inveniendi Parallaxes Planetarum & ſiderum brevi quidem compendio, abſque aliquo Logiſticæ uſu, clarè explicatur, & paucis quibuſdam defectibus *Purbachii* ſuppletis, quod perplexum intricatumque in *Joanne Regiomontano* occurrit, ibi illuſtratur & redditur intellectu facile, non tamen abſque honorifica & juſtiſſima laudum hiſce duobus primis Aſtronomiæ inſtauratoribus debitarum celebratione. Præmiſſo hoc quaſi longè majoris operis prodromo, *Devus* argumentum fuſè tractavit eodemque anno abſolvit tribus libris, hunc titulum præferentibus, *De ſtella admiranda in Caſſiopeia aſteriſmo cælitus demiſſa ad orbem uſque Veneris, iterùmque in cœli penetralia perpendiculariter retracta:* quibus tractatulum, *Hipparchus redivivus*, inſcriptum, tanquam appendicem neceſſariam, adjecit. De hoc autem illius præclariſſimo propoſito, prælaudato *Diggeſio* omnes ingenuos Aſtronomiæ ſcrutatores, tum ex publicæ utilitatis intuitu, tum gratitudinis & obſervantiæ erga ſuum Præceptorem & Amicum ergo, monere, tam in præfatione, quam in procœmio, viſum fuit; cujus verba, licet fortaſsè nimiùm prolixa videbuntur, cùm liber iſte poſt centum triginta annos jam ſit inventu rariſſimus, cum venia, uti ſpero, eruditi & curioſi Lectoris, hîc referre non gravabor.

In Præfatione.

Sed plura de hujus ſtellæ hiſtoria ſcribere non decrevi: quia eximius vir, Joannis Dee (*quum in reliqua Philoſophia admirandus, tum harum Scientiarum peritiſſimus, quem tanquam mihi parentem alterum Mathematicum veneror, quippe qui tenerrima mea ætate harum ſuaviſſimarum ſemina menti meæ inſeruerit, aliâ à Patre meo prius ſatâ amiciſſimè fideliſſimèque nutriverit atque auxerit,*) *hanc ſibi tractandam aſſumpſerit mate-*

materiam, quam ita abſoluturum eſſe, ut in Dei Optimi, Maximi gloriam, & Mathematicarum Artium ſtudioſorum delectationem, utilitatem, & admirationem ſummam, brevi prodeat, nihil dubito.

In proœmio.

Et licèt hoc opuſculum, fortaſſis non vulgare, penitus abſolverim abſque ullo auxilio humano, tamen ut nulli fiat injuria, paucis, quæ ſequuntur, publicè teſtificari libuit. Poſtquam iſta mea de Parallaxibus inventa, ordine digeſta, & omnibus numeris abſoluta in hanc libelli formam redegiſſem, eruditiſſimo meo amico, D. Joanni Dee, *communicavi, qui protenus mihi etiam de Phænomeni Parallaxibus demonſtrationem luculentam, facilem, ſummaque laude digniſſimam, à ſe nuper inventam, oſtendit, retulitque mihi præterea ſeſe in animo propoſuiſſe methodis aliis quoque antea inuſitatis hujus rariſſimi Phænomeni ſubtiliſſimas eruere parallaxeis, atque ut id ipſum veriſſimè expediret, plurima paravit inſtrumenta, nova & inuſitata, nullis parcens ſumptibus, nec laboris corporis aut animi, mira induſtria & incredibili ſolertia, à prima ſua apparitione, noctes dieſque, cùm videri poterat, Phænomeni locum, motum, altitudineſque varias, miris ingeniis ſubtiliſſimoque artificio obſervavit: quibus parallaxium omnium varietates, quæ hactenus contigere, exactiſſimè dare poterit: prout oculatus teſtis verè teſtificari potero. At cùm tantæ rei abſoluta Hiſtoria parvo temporis intervallo perfici non poſſit, adeo ut libellus iſte jam typis paratus, in lucem primo prodire deſtinatus eſſet, ne ſuæ etiam inventionis debita laus hujus mei opuſculi maturiore editione paululum fortaſſis offuſcaretur, hæc ſubjungere poſcebat, tum noſtra animorum & ſtudiorum ſimilitudine, nec non temporis diuturnitate inveterata amicitia, tum lex ipſa naturæ, quæ ſuum cuique tribui in maximis & minimis etiam arctiſſimè requirit. Dum igitur rem ipſam digitis, ut ita dicam, ex ejus vigiliis contrectare poteritis, his ſcalis Aethera conſcendere, & horum myſteriorum oculati eſſe teſtes vos ipſi, quibus mens eſt ſublimior, poteritis, quibus ſi paululum ad rei veritatem eruendam, contendere volueritis, perſpicaciores & idonei magis judices ad ejus labores verè Herculeos in hoc Olympico certamine perpendendos eritis.*

Cùm admodum favorabilis fama de illius Bibliotheca inſtructiſſima, deque admirandis illis curioſarum rerum tum naturæ, quas inter peregrinandum collegerat, tum artis, quas ingenio ſuo fabricaverat, collectaneis ſpargeretur, Regina illam videndi deſiderio non leviter tacta, magno
1575. Aulicorum ſatellitio ſtipata, A. 1575. illius ædes adibat: ac mox gnara, funus uxoris ante paucas horas elatum fuiſſe, nolebat ingredi, nec re-

redire quidem re prorſus infecta placuit, antequam *Devum* ad ſe vocaſſet, jubens, coram jamjam produci artificiale illud vitrum, ſive orbem, ſive ſpeculum concavum, ſive dioptram, (neque enim nomine ſpeciali deſignat, neque illius formam figuramve deſcribit Inventor) miraſque iſtas proprietates, quas inibi eſſe prædicaverit, aliquatenus repræſentari, ſi non oculis, ſaltem ita explicari, ut præ ſe quandam veri ſpeciem ad fidem faciendam ferre poſſent. Refert *Devus*, ex cujus ſchedis autographis hæc ſcribo, illo monſtratore, Reginæ hac ex parte abundè ſatisfactum fuiſſe, illamque non modica voluptate perfuſam, gratiis actis, jucundam diſceſſiſſe. Mihi quidem videtur, hæc θαυματουργήματα, qualiacunque aut quantacunque eſſent, non ab artis circulatoriæ luſu & præſtigiis, neque à Dæmonum energia, ſed à ſumma ſive verſutia ſive peritia practicæ Matheſeos proveniſſe. Nec hac unica vice illius ædes adire contenta, iterum tertiumque pro ſumma, qua illum dignata eſt, benevolentia, ſequentibus annis, dum pro more ad captandas refrigerantes auras, veſperi, aut equo, aut curru, rectà illac tranſire ſolita erat, illum, cujus alloquio non parum delectabatur, accerſiri juſſit, penè infra dignitatem regiam niſi eximiæ animi illius dotes, ſummaque eruditio, hanc inſignem gratiam meruiſſent, & ut crebriùs, quàm pro modeſtia auſus fuerit, Aulam accederet, penè invitando benigniſſimè hortata eſt. De hac Bibliotheca pauca hîc interponere libet.

Bibliothecam aut numeroſiorem, ſi librorum copiam, aut inſtructiorem, ſi materiem & argumenta de omni re ſcibili, præſertim Philoſophica, Mathematica, & ſpagyrica, ſpectemus, vix quempiam privatæ ſortis, etiam inter Nobiliſſimos quidem, in univerſa *Anglia*, tunc temporis habuiſſe fortaſſe jure dixerim. Conſtabat enim ex quater millenis codicibus, quos incredibili induſtria ſumptibuſque pro facultatum ſuarum modulo, maximis per quadraginta annos hîc & alibi terrarum conquiſitos collegerat. Ex iis ſeptingenti manu variis linguis exarati erant. Acceſſere ingentes veterum Chartarum & Inſtrumentorum ad familias Principum & Magnatum, tum *Walliæ*, tum *Hiberniæ*, cum authenticis ſubmiſſionum, quibus ſe in clientelam & obſequium noſtrorum Regum dediderunt, formulis, appenſis ſigillis: item ad Antiquitates *Anglicanas* & Monaſteriorum fundationes & reditus ſpectantium ſtrues, & aliorum veterum ſigillorum in ciſtâ ſeparatim poſitorum acervus. Quanta & quàm dives libraria ſupellex, vel Principibus invidenda! Horum pretium inſignemque uſum optimè æſtimare norant noſtrates Heraldi, Regiorumque Archivorum in Turre *Londinenſi* repoſitorum Cuſtodes, qui in iis explorandis & exſcribendis integros dies in ædibus *Devianis* terere ſoliti erant.

Hæc omnia publicis Regni archivis, tandem aliquando ingerenda, ut inibi in omne ævum inque perpetuum Antiquariorum uſum ſervarentur, pro amore erga patrias antiquitates magno animo deſtinavit. Sed generoſo pioque huic propoſito interceſſit triſte fatum, quod poſtea ſuo loco memorabo.

Ad nobilem Bibliothecæ apparatum pertinebat non modica Inſtrumentorum Mathematicorum & machinarum congeries: tum ea, quæ vulgati uſus, non ita pridem adinventa fuerant, tum quæ ingenio ſuo reficta & reformata in meliorem ordinem redegerat, inter quæ, ut cætera omittam, erant quadrans & radius, illius ſemidiameter quinque pedum, hujus verò decem, diviſionibus accuratè notatis, globi *Mercatoris*, novarum obſervationum ope emendati auctique, quibus inſeruerat loca motuſque Cometarum, qui ſuo tempore apparuere, ſphærarum octavæ, nonæ & decimæ juxta hypotheſin *Purbachianam* Theoricæ, horizonte & meridiano æreo ornatæ; pyxides nauticæ, varii generis, & ad inveniendam variationem fabricatæ; & denique horologium, quod iſthoc ævo penè pro miraculo artis habendum erat, ad metienda ſecunda horæ minuta adaptatum. De Laboratoriis ſive officina Chymica poſtea dicendum erit.

1577. Anno 1577. in cœlo fulſit Cometa, in quo obſervando impigram *Devus* impendebat operam: ſed obſervationes iſtæ omnino periere, fortaſſe abſque aliquo Scientiæ Aſtronomicæ damno, nullatenus poſt *Brahenanas* deſiderandæ. De illius verò peritia in doctrina cœleſti, adeò altum in pectoribus Amicorum inſedit opinio, ut neminem hujus oſtenti præſignificationes illo meliùs interpretari poſſe putaverint, & de quo diſſerentem R. *Eliſabetha* non ſine ingenti voluptate ſæpè audivit: cùm panicus terror ferè omnium animos occupaſſet, quaſi, ſi non certa pernicies humano generi, ſaltem exitialia *Angliæ* reliquiſque regionibus illius malignis influentiis propiùs ſubjacentibus mala triſtiſſimique rerum eventus inde portenderentur.

1578. Anno ſequente viz. 1578. Cùm Regina acerrimis doloribus ex immodico humorum fluxu ortis laboraret, & vix quicquam levaminis à Medicis ſuis percepiſſet, *Devus* ad quoſdam celeberrimos Medicinæ Profeſſores, tum in vicinis, tum in extremis *Germaniæ* provinciis degentes, ut cum illis de Reginæ ſalute redintegranda verba & conſilia haberet, viatico & regiis literis munitus, mittebatur, centum diebus itineri complendo præciſè aſſignatis. Quo autem ſucceſſu, cùm *Devus* id ſibi celandum eſſe, pro prudentia ſua judicaverit, facilè inducor, ut credam, Reginam ante illius reditum ex integro convaluiſſe. Qualitercunque ſe

res

res habuerit promptus *Devi* animus ad juſſionibus Reginæ obſequendum non potuit non eſſe gratiſſimus.

Devus omni modo ſtudioque, prout res quaquaverſùm circumſpicienti ſagax ingenium ſuggerebat, Reginæ favorem & benevolentiam ſibi magis magiſque conciliare & augere ſatagens, duos amplos rotulos, pulchrè in membrana deſcriptos, Hydrographicam & Geographicam quarundam tranſmarinarum Regionum chartam continentes, Reginæ in manus in Palatio *Richmundano* menſe Octobre A. 1580. exhibuit: quarum poſſidendi jus ex ſcriptis teſtimoniiſque in medium productis, atque argumentis inde deductis ibat aſſertum. Negotium iſtud, cum quippiam magni momenti in ſe complecti videretur, ſapientiſſimo & illuſtriſſimo viro, Baroni *Burleio*, Theſaurario *Angliæ*, tunc præſenti, explorandum & examinandum demandabatur. Ille verò ut primo intuitu iſti propoſito parum faviſſe aut benevolè indulſiſſe coram viſus eſt, ita maturius ſtrictiuſque examen illius ſententiam priùs prolatam, judiciumque haud præceps & temerarium poſtea firmavit. Rotulos igitur poſt paucos dies *Devo* reddi curavit: non tamen ſine ingenti illius induſtriæ & zeli laude & commendatione, quam ſanè optimè promeritus eſt Inventor. Tanti autem aliis, maritimas *Africæ* & *Americæ* oras exploratiſſimas habere, quantum Nautarum & Mathematicorum experientia & peritia ſuppeditare poterant, cupientibus videbatur, ut iſtius chartæ graphicam delineationem, oblato centum librarum ſterlingicarum munere, redimere vellent: quod tamen ille generoſè recuſavit. Hanc ipſam autem chartam poſt mortem *Devi* acquiſivit vir maximus, D. *Robertus Cottonus*, Eques auratus & Baronettus, diligentiſſimus, ſi quis unquam, *Britanicarum* Antiquitatum, aliorumque quantivis pretii cimeliorum indagator & promus condus, in ſua incomparabili Bibliotheca reponendam; ubi jam exſtat ſub Auguſto I. quam hoc titulo in Catalogo, *Oxonii* A. 1696. edito prænotavi: *Tabula Geographica* Americæ, Africæ, *& Regionum intra polum Arcticum ſitarum: per* Joannem Dee, *anno* 1580. 1580.

Stabilita, conjunctis *Lilii* aliorumque Mathematicorum operis conſiliiſque ex auctoritate & juſſu *Gregorii* decimi tertii, Pontificis *Romani*, A 1582. Kalendarii emendatione, cùm certò conſtaret ex præceſſionibus Æquinoctiorum, quas Patres *Nicæni* & *Alexandrini* penitùs ignorarunt, & lunationum in ſingulis cyclis decem novennalibus recurrentium, & cum veris annis ſolaribus collatarum diſparitate, novilunia & plenilunia, ex quibus ſolenne Paſchatis feſtum unicè pendet, cœleſtibus apparentiis in omnium oculos incurrentibus non reſpondere, *Devus* eandem

dem computi Eccleſiaſtici rationem, &, ſi fieri poſſet, ſubductis accuratiùs calculis initi oportere ratus, ut illa in *Angliam* admiſſa in communem publicumque uſum adhiberetur, & flagrantiſſimè cupiit & intentiſſimo ſtudio conatus eſt. Qua de causâ Regio juſſu auctoratus, ille brevem librum, ſanè perquam eruditum Anglicano idiomate ſcriptum, è certis Aſtronomiæ principiis deductum, (cujus exemplar integrum, una cum ſchematiſmis & tabulis, apud me habeo) *de vulgaris Kalendarii*
1583. (*a*) *reformatione in anno civili & Juliano Reginæ Eliſabethæ* A. 1583. exhibendum curavit methodo propoſita ut undecem iſti dies à tempore Epochæ Chriſtianæ, quibus verſus anteriora anni prægreſſum anticipabat æquinoctium vernum, non ſimul omnes eximerentur, ſed ad evitandam confuſionem, nimiumque hiatum, qui non ſine gravi incommodo contingere potuit, ut iſtorum dierum imminutio ſenſim fieret quinque menſibus decurtatis hoc modo, ut Maius tantum viginti octo dies contineret, Junius viginti novem, Julius viginti octo, totidem Auguſtus, September denique viginti novem, abſque aliqua dierum feſtorum, ſive mobilium, aut faſtorum, in quibus forenſes cauſæ in *termino*, uti appellatur, *S. Trinitatis* proximè ſequente, è ſuis ſedibus mutatione. Propoſitum hoc, ſive documentum, ſive conſilium, cum Regii Conſiliarii neque ex præcipiti feſtinatione admitti, neque prorſus rejici debere pro prudentia ſua ſtatuiſſent, illud tribus præclaris Mathematicis, viz. *Thomæ Diggeſio*, *Henrico Savilio*, & *Joanni Chambero*, diſcutien-

(*a*) Titulus ita ſe habet.

A plain diſcourſe and humble Addreſs, for our gratious Queen Eliſabeth, *her moſt excellent Majeſty to peruſe and conſider, as concerning the need full reformation of the vulgar Kalendar, for the civil yeares and dayes accompting of verifying according to the time truly ſpent.* Inſcriptus eſt nudè ſine aliqua Epiſtola dedicatoria, honoratiſſimo Baroni *Burleio*, *Angliæ* Theſaurario. In fine adduntur ſupplices libelli ad Reginam *Eliſabetham*; in quibus humillimè petit, ut reformatio iſta, edito ex auctoritate publica edicto, ſtabiliretur. Deinde exſtat ſeparatim *typus anni reformationis*, incipientis à Majo 1583. appoſitis κατὰ πλάτος ſingulis diebus, & feſtis, unà cum locis Solis & Lunæ in Zodiaco, & utriuſque ad invicem aſpectibus & ſyzygiis. Olim erat peculium *Thomæ Alleni*, Mathematici *Oxonienſis Devi* familiaris Amici, qui illum celeberrimo Equiti D. *Kenelmo Digbæo*, Equiti aurato, unà cum reliquis codicibus Manuſcriptis, quorum non modica erat copia, ultimis tabellis moriens legavit. Horum verò magnam partem D. *Digbæus* Bibliothecæ *Bodleianæ* in publicum literarum uſum poſtea dono dedit: aliquibus ſibi in proprios uſus reſervatis: inter quos librum hunc *Joanni Barbero* A. 1635. benevolè elargitus eſt. Jam verò in magna præclariſſimorum Collectaneorum mole *Eliæ Aſhmolii* Armigeri, qui *Devianas* lucubrationes, quæ reperiri poterant, aut pecuniis redemit, aut exſcribi curavit, in Muſei, ſuo nomine jure merito nuncupati, Archivis reponitur.

tiendum commiſere. Hi verò longè meliùs fuiſſe, ſi æquinoctium vernum ad tempus & ſtatum, quo circa natalem Chriſti annum conſiſtebat, reductum fuiſſet, præfati, unanimes cenſuere, dies tantùm decem ex reverentia Synodi *Nicænæ* (quæ hanc Paſchalem ſolemnitatem ſtatuto tempore obſervandam ſacra ſua auctoritate ſancivit, & ne, dempto ex menſe Septembri ſuperfluo die iſto undecimo, communis ratio Kalendarii in reliquis Orbis Chriſtiani regionibus recepti turbaretur) demi ritè ſtatui, & cum cœleſtium motuum ab Aſtronomis ſupputatorum veritate congruere, & formam typumque Kalendarii pro iſto anno viz. 1583. exceptis excipiendis, à D. *Devo* compilatum, admodum verè admitti poſſe, ſine aliquo manifeſto in futurum errore, modò regulæ quædam de annis biſſextilibus in quibuſdam integris centenarius, ne æquinoctium jam ad priſtinam ſedem reſtitutum, in longa annorum ſerie iterum inde dimoveatur, omittendis, certa ſupputatione ſancirentur. Cætera, quæ hujus loci non ſunt, exſcribere ſuperſedeo. Quorum (*a*) cenſuram & judicium D. *Burleius* ſociis Conſiliariis retulit, qui frequenti conſultatione habita, politicis rationibus inducti, malebant inveterato errori adhæreſcere, ubi tamen nihil, ut puto, incommodi aut periculi metuendum erat, quam cum *Romana* Eccleſia in re innocentiſſima rectè (ſic enim ſalva omni reverentia erga viros hoſce ſapientiſſimos, quaſi quicquam in favorem arrogatæ in univerſam Eccleſiam Chriſtianam Papæ poteſtatis inde accederet, dicendum arbitror) ſapere. Ita erant decretis & placitis ejuſdem, pariter ac ſuperſtitionibus, corruptis, quibus Religionis Chriſtianæ veritas fideſque immanem in modum læduntur, dogmatibus, & denique tyrannidi & uſurpationibus in Principum & Epiſcoporum jura maximè infeſti, & planè irreconciliabiles.

De hoc autem opuſculo ita magnificè ſentiebat Auctor, ut poſteà neglectum ſui Epiſcopis exprobrare auſus ſit, quaſi munus iſtud, quod erat ipſis ex veteri Eccleſiæ inſtituto proprium, & quibus ex officio incumbebat, res quoquo modo ad eandem ſpectantes curare, expendere & moderari, vicaria opera expleviſſet.

Cùm verò *Devus* in curioſis Artibus & ſecretioribus Philoſophiæ naturalis arcanis venandis, præcipuè in elixire conficiendo, inque myſteriis cœleſtis ſapientiæ, ſupra quam mortalibus aſpirare licuit, inveſtigandis hactenus ſolus occuparetur, ineunte ſuperiori anno aut circiter, ut

(*a*) Hanc relationem, unà cum viri doctiſſimi, *Joannis Gravii*, Aſtronomiæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſoris *Saviliani*, in illam animadverſionibus, in Actis Philoſophicis *Londinenſibus* pro menſe Octobri A. 1699. curavi inſerendam.

ex collatis temporum circumſtantiis conjecturam facere par eſt, (neque enim tempus præcisè definire poſſum) *Edwardus Kellæus*, Juvenis viginti quinque aut ſex annorum, *Devi* fama accitus, illius amicitiam ambiebat, ad quam ex ſimilitudine ſtudiorum, hujus novi advenæ fide, induſtria, & peritia, præſertim in Chymicis operationibus & experimentis, quam ſupra vulgus Philoſophorum magna cum oſtentatione quem ſpiritus *artificem ſive operatorem naturæ*, *inſpectis terræ conclavibus*, fore poſteà prædixerunt, præ ſe tulerat, prius exploratâ, hoſpes, quaſi de cœlo dilapſus, brevi admittebatur. Jam ergo *Devus* ſocium, genio & vitæ inſtituto, quod per tot vitæ retro actæ annos continenter ſectatus eſt, maximè conformem & opportunum auſpicatò nactus, nihil inacceſſum, impervium nihil conjunctis operis conſiliiſque fore, gratiſſimo mentis errore, & noxiæ impiæque curioſitatis præſtigiis irretitus, ſomniavit. De *Kellæo* autem, qui in hoc dramate planè obſtupeſcendo non minimam egit partem, quædam, quaſi per ſaturam hîc neceſſario interponenda ſunt. Reliqua autem, quæ ad illum ſpectant, ad calcem hujus narrationis reſervabuntur.

1555. *Edwardus Kellæus* natus erat *Wigorniæ* primo Auguſti A. 1555. Hunc aliqui Pharmacopolam in urbe natali, alii verò quod mihi minus veriſimile videtur, profeſſione ſcribam ordinarium eſſe volunt. Ad ſcribas verò ſyngraphas, obligationes, & teſtamenta deſcribendi facultas pertinet. Hic ingenio ſuo malè uſus, & manifeſtæ fraudis reus, præciſarum aurium pœnam *Lancaſtriæ* luebat: quâ præ dedecore relicta, aliò divertens, ſe ad ſtudium Chymiæ, ex qua immenſas opes accumulandas eſſe ſibi blanditus eſt, utpote artis Chryſopoeticæ ſtudioſus, applicuit. Nec intra fines honeſti & recti ſubſtitit illius curioſitas. Conſtabat enim illum (*a*) cadavere cujuſdam recèns mortui è ſepulchro ſuſcitato, ſpiritum infernalem immiſſum de rebus, quæ proponerentur, an eſſent eventuræ, conſuluiſſe, ut de pacto cum dæmone inito nihil dubii reliquum ſit. Ab hoc autem tempore, ex quo ſe in *Devi* amicitiam inſinuaverat, crebræ apparitiones malignorum ſpirituum, utriſque præſentibus factæ erant, quos *Devus* horrendum in modum deluſus, pro fatuitate ſumma, per totam deinceps vitam duravit, *bonos eſſe Dei Angelos*, ad mentem illius clarioribus divinæ ſapientiæ radiis & futurorum eventuum cognitione illuminandam, cœlitùs dimiſſos credidit. Deum enim ferventiſſimis orationibus repetitis deprecari ſolebat, ut *ſapientia donatus* ar-

(*a*) Vide præclarum clariſſimi Viri *Joannis Weaveri* librum, cui titulus, *Antient funerall Monuments*, Londini A. 1631. editum pag. 45. 46. ubi ad fidem, eamque indubiam huic rei faciendam multæ probationes & documenta exſtant.

arcana naturæ, *hominibus nondum revelata*, *intelligendi facultatem* acciperet; nec palam profiteri abſiſtebat, Deum *ipſius veritatis zelum & inſatiabile deſiderium ab illius juventute cordi indidiſſe*; hunc eſſe ſuorum ſtudiorum ſcopum & finem, ut tandem, Deo inſpirante, *veram Philoſophiam edoctus*, *cœleſtis ſapientiæ theſaurum*, *puræque veritatis ſcientiam attingeret*. Hinc ſe divinæ voluntatis hominibus de novo revelandæ fore nuncium & adminiſtrum, ſuis indefeſſis vigiliis, ingenio, ſtudiis Philoſophicis, & Mathematicis, imò & pietati, aſſiduiſque precibus, non Dei gloria, uti clamosè, & inſtanter obtendebat, ſed potius ſui ipſius quæſita, nimium quàm confiſus, facilè ſibi intolerabili arrogantia perſuadens, juſto Dei judicio, cùm intra modum, juxta rectæ Rationis & ſacrarum ſcripturarum dictamina ſapere noluiſſet, ſed humanæ mentis vires ſupergredi illicita & impia ambitione expetiiſſet, ſibi relictus, & in arbitrio voluntatis propriæ poſitus, dæmonum fiebat luſus, ludibrium, & præda, quorum præſtigiis & illuſionibus, ſine aliqua diffidentia, imò avidiſſimè amplectendis, ſe prorſus aptum & facilem tanta prenſatione reddidiſſet.

Actiones iſtæ, (quo nomine collationes cum malis ſpiritibus habitæ nuncupantur) viceſimo ſecundo die Decembris A. 1581. incipiebant, quinque libris *myſteriorum* adhuc ineditis, in quibus *Devus* modum ſacræ menſæ fabricandi & accuratè efformandi à Spiritibus didiciſſet, delineandi *Sigillum*, ut appellatur, *Dei*, & quibus præviis ritibus & præparationibus viſitationes & colloquia obtinere poſſent exertim & ſingillatim deſcribit, comprehenſæ, unà cum appendice, quæ viceſimo tertio die Maii A. 1583. deſinit. Schedas haſce in ſecreto cujuſdam ciſtæ, quæ à fatali illo urbis incendio ſalva evaſerat, ut mihi, D. *Elias Aſhmole*, ejuſmodi rerum avidiſſimus inveſtigator, olim retulit, loculo abditas, neſcio quo caſu, ille adeptus; ſtudioſè conſervavit: quæ jam in Muſeo *Oxonienſi* ſervantur. In hiſce verò, ut in reliquis ſchedis, quæ in Bibliotheca *Cottoniana* reperiuntur, & quas Vir reverendus & doctiſſimus, D. *Mericus Caſaubonus*, *Iſaaci* filius, *Londini* 1659. edidit, iſtorum annorum hiſtoriam, ſingulis accuratè pro more adnotatis tum rerum, tum temporis circumſtantiis, *Devus*, propria manu deſcripſit: *Cottonianæ* autem ſchedæ, quibus præfigitur hic titulus, *Liber ſextus Myſteriorum & ſancti parallelus novaliſque*, initium à viceſimo octavo Maii A. 1583. ſumunt, quintiduo poſt ultimam actionem, viceſimo tertio die ejuſdem menſis, appendicem paulò ſupra memoratum recto ordine ſequentes. Hæ autem, non ſimul in unum volumen compactæ, ſed in varias partes diverſæ pro ratione materiæ ibi tractatæ

&

& excuſſæ, ſeorſim conſuuntur, ſitu & madore ſparſim deturpatæ, utpote ſubtus terram in ciſtula diu prius reconditæ, & vix legibiles futuræ, niſi eas neſcio quis caſus opportunus in apricum protuliſſet.

In harumce præcedentium Actionum una, (*a*) quæ viceſimo primo die Novembris A. 1582. contingebat, lapidem lucidum & diaphanum orbicularis formæ, ut ſæpè appellat, ſive cryſtallum, in quo apparitiones in futurum faciendæ, & voces, pro oraculis venditatæ, proferendæ erant, ab Angelo hiſce myſtis traditum fuiſſe pertinaciſſimè contendebat *Devus*. Idem *Pragæ* A. 1584. ſanctiſſimum Numen ſub horrendo anathemate obteſtatus, ſumma cum fiducia, coram *Rodolpho* Imperatore, adſeveravit: addens, *Cryſtallum iſtud tanti valoris & virtutis fuiſſe, ut nullius terreſtris regni opes cum illo aquiparari & pro dignitate conferri poſſent.* Quod poſtea D. *Gulielmo de ſancto Clemente* Legato Regis *Hiſpaniarum*, producto quoque libro quarto manuſcripto, in quo quibus modis, donante Angelo, in illius poteſtatem deveniſſet, fuſè & ſingillatim pro more literis manſuris conſignarat, itemque librum ſextum myſticum: uti & *Jacobo Curtzio*, Conſiliario *Cæſareo*, oſtendit. Qualem ambitum habuerit, non deſcribit *Devus*, ſed largiuſculè ſe habere, in quo tot & tam variæ figuræ, variis motibus agitatæ, tantaque ſpectacula interdum ſimul repræſentarentur, à veriſimilitudine non abludit. Si verò non prorſus idem eſſet, ſaltem illi par & geminum, iiſdemque diabolicis, (ſic enim tunc præſens credidi) uſibus deſtinatum videbatur, quod cum multiplice ſupellectile magica libriſque magicis in auctione publica *Londini* Novembre 1694. habita expoſitum venditumque, me vidiſſe memini, forſan ejuſdem cum vaſculo vitreo, in ſua cavitate dimidium gallonæ, ſi ita loqui liceat, continente, intumeſcentiæ & rotunditatis ſolis ritè initiatis, non omnibus promiſcuè, ſi quid intus apparuerit, intuendi facultatem dari poſſe, horum horribilium myſteriorum Magiſtri pertendunt: cui muneri apprimè idoneus *Kellæus* videbatur, à *Devo*, jam inſulſiſſima credulitate & deliratione inde menti inducta correpto, in conjunctiſſimum comitem ſociumque aſſiduum, monente *Uriele*, mutua ſponſione inita, & annua penſione quinquaginta librarum aſſignata, adſcitus eſt, miniſterium & officium *Inſpectoris*, Anglicè *Seeror Skryer*, in actionibus futuris obiturus.

Æſta-

(*a*) Ad finem quarti libri myſteriorum. Dicit ibi ſe iſto die Angelum, magnitudine pueri, verſus occidentalem Muſei feneſtram, manu Lapidem iſtum tenentem vidiſſe: à quo, ut illic eundo acciperet, juſſus, illum *frigidum & durum, ſed ſplendidum, clarum, & glorioſum* eſſe ſentiebat.

Æſtate A. 1583. in *Angliam* venit *Albertus à Laſco*, *Polonus*, *Palatinus Siradienſis*, ex antiqua & illuſtri ſtirpe prognatus, & egregiis animi dotibus literarumque ſtudiis excultiſſimus, R. *Eliſabetham*, cujus ſummæ ſapientiæ laudes conſentiens fama per univerſam *Europam* propagaverat, viſurus, & illius admirandas virtutes ſubmiſſiſſimis obſequiis propè & coram veneraturus. Ab illa omni honore comitate & gratia, quam aut jura hoſpitalitatis erga nobiles Peregrinos exhiberi ſolita, aut leges decori moreſque Principum vendicaverint, erat exceptus: cujus ſive exemplum ſive juſſionem, ſecuti *Oxonienſes*, illum eruditis elegantibuſque colloquiis, & orationibus, exercitationibuſque Scholaſticis, theſauris ingenii & eruditionis, in bibliothecis reconditæ, in tanti Hoſpitis gratiam, itidem promptiſſimè reſeratis, pro illius dignitate & merito, ne dicam, ſupra meritum, cumularunt. At ex omnibus doctrinæ famæ tunc in *Anglia* inclareſcentibus, neminem pluris, quam *Devum*, æſtimavit, aut cujus amicitiam impenſiori opera excoluit, ſive illius blanditiis, ſive immodico arcanorum naturæ, quæ *Devus*, idoneum Auditorem jam nactus, ſibi comperta eſſe jactaverat, amore irretitus. Dum verò *Devus* in Aula duodecimo die Julii fortè adeſſet, illum adortus Comes *Leiceſtrienſis*, ſe poſt biduum, unà cum D. *A Laſco* apud ipſum pranſurum dixit; *Devus* illicò non ſibi pecunias, quibus epulum tantis convivis dignum erat apparandum, niſi argentea ſuppellectile prius oppignerata aut vendita, ſuppetere ingenuè faſſus eſt. Quod quàm primùm Regina reſciviſſet, illa citra omnem moram quadraginta aureos, vulgò *Angelos*, ob effigiem Angeli olim in averſa parte impreſſam, nuncupatos, quò lauti prandii expenſas meliùs ſuſtineret, pro regia ſua liberalitate elargita eſt. Ab hoc tempore *Laſcovius Devi* blanditiis, ut dixi, irretitus, vel potius præſtigiis dementatus ſe totum in illius poteſtatem dedit, qui inde mox venia à Spiritibus priùs impetrata, *in hanc myſticam impiamque Societatem* admiſſus, actionibus *Mortlakienſibus* interfuit. Adeo verò præ credulo errore jam factus ſui impos, & mente captus, ut Dæmones, quo arctiùs horrendis hiſce Sacris adhæreſceret illius ambitioni vana ſummæ poteſtatis in Patria adipiſcendæ ſpe & exſpectatione lenocinantes illum non *ſolius* Poloniæ *ſed alterius quoque regni*, id eſt primò Poloniæ, *deinde alterius*, viz. Moldaviæ *Regem fore*, *& ſub quo magnæ univerſi mundi mutationes incepturas eſſe*, *Judæos convertendos*, *& ab illo Saracenos & Ethnicos vexillo crucis ſuperandos*, facilè ludificarentur. 1583. p. 17.

Poſtquam *Devo* ex metu, ne, ſicut illi à ſeductoribus ſpiritibus perſuaſum fuerat, ſtructis à DD. *Cecilio* & *Walſinghamo*, quem adverſus

illum uti & adverſus *Laſcovium*, capitali odio ferri fingunt, inſidiis, morti adjudicaretur, de itinere in *Poloniam* ſimul inſtituendo cum ſupra dicto Palatino conveniſſet, ille clam ſine veniâ exeundi è regno prius impetrata, *Mortlaco* Septembris 21. 1583. diſceſſit, unà cum uxore altera, *Jana Fromonda*, femina generoſæ indolis & proſapiæ, quam ſecundis nuptiis Februarii quinto 1578. duxerat, filio (*a*) *Arthuro* puero quadrienni, aliiſque liberis, *Kellæo* ſymmyſta illiuſque uxore, quam *Mortlaci* iſthoc anno duxerat, famuliſque; D. *Laſcovio* ejuſque aſſeclis in medio *Thameſi*, prout conditum erat, (*b*) ad fugam meliùs celandam, in cymbas unam & alteram receptis, *Londinum*, mox intempeſta nocte *Grenovicum* petit, deinde ſeptem aut octo milliaribus ultra *Graveſendam*, ubi naves ex *Anglia* illinc ſoluturæ ſiſtuntur, à Portitoribus pro more explorandæ, navim *Danicam* (altera famulis, ſarcinis, equiſque majori cum commodo recipiendis deſtinata, comitante quam etiam conduxerat) aſcendit, in *Hollandiam* illicò trajecturus. Navibus verò adverſis ventis in Syrtes penè impactis, naufragium, quod imminebat, non ſine ſummo nautarum labore evaſerunt. Illinc in Oſtio Sinus *Queensburgenſis* in oris *Cantii* maritimi ſiti, ſcaphis piſcatoriis vecti, cùm à latere navis eſſent diſceſſuri, velis illius, in qua conſederant *Devus*, *Laſcovius*, & *Kellæus*, ex agitatione utriuſque antennæ alteri innexis, mutuoque implexis, parum aberat, quin omnes ſimul demerſi fuiſſent; ſcapha aquis ad illorum genua ſurgentibus, quas *Kellæus* vaſe quodam exhaurire & effundere conatus eſt, oppleta: tandem verò magna cum difficultate nec minori cum periculo, oppidum, in quo, donec deſævierit tempeſtas, erat conquieſcendum, ſalvi lætique appulêre: Poſt quinque dies *Brielam* in *Hollandiâ*, peragrato freto, attigerunt.

Non longè poſt *Devi* diſceſſum, incolæ & vicini, quibus de veneficio & Magia magis magiſque ſuſpectus reddebatur, in illius ædes irruebant; quorum aliqui Bibliothecam, ereptis quamplurimis codicibus, typo excluſis & manu exaratis; aliqui Laboratorium ejuſdemque conclavia, effractis fornacibus vaſiſque coctilibus, vitreis, & metallicis, expilarunt. Graviſſimum hoc damnum, ex iſta barbara ſpoliatione illatum, nunquam

(*a*) Natus erat *Mortlaci* Julii 13. 1559. hora 4. 36.

(*b*) *Cambdenus* in *Annalibus* regnante *Eliſabetha* ad A. 1583. *E* Polonia Ruſſiæ *vicina hac æſtate venit in* Angliam, *ut Reginam inviſeret.* Albertus à Laſco, *Palatinus* Siradienſis *vir eruditus, corporis lineamentis, barba promiſſiſſima, veſtitu decore & pervenuſto, qui perbenignè ab ipſa Nobilibuſque magno honore & lautitiis, & ab Academia* Oxonienſi *eruditis oblectationibus atque variis ſpectaculis exceptus, poſt quatuor menſes ære alieno oppreſſus, clam receſſit.*

nunquam non amariſſimè deplorabat ille, qui immodicis ſumptibus, & improbo labore per tot annos bellum iſtum collegerat apparatum: dolebat verò maximè, utrem continentem quandam dulcem ſubſtantiam quadrilibrem, inſtar gummi, ſubfuſci coloris, ibi tunc periiſſe: an Medicamentum, alioſve in uſus paratam, penitus tacet. Tanta indignatione in illum præ execrandi ſceleris, ſub cujus infamia laborabat, odio exarſerunt, ut vix ipſe præſens ſalvus vivuſque evaſiſſet. Ita nimirùm efferatæ plebis furori in primo æſtu fruſtra obſiſtitur. Interim ille ſibi temerariæ ex patria fugæ malè conſcius, quid Regina & Conſiliarii de illa ſtatuiſſent, noſſe maximè ſollicitus, oraculum cryſtallinum, quod ſecum tulerat, jam in alienæ ditionis regionem tranſvectus, *Brielæ* conſulere geſtiebat.

Non hîc totius itineris à *Briela* ad *Cracoviam* continuandi rationem exſcribam, neque urbes locoſque, per quos neceſſariò tranſeundum eſſet, referam aut adnotabo: cùm ea omnia ex propria ipſius *Devi Relatione* edita quivis petere poſſit: ex qua tantum, quæ ſunt præcipuæ notæ, & quæ ad illius vitæ hiſtoriam illuſtrandam non parum conducunt, brevi compendio recenſere & memorare propoſui: hoc unicum prænonere contentus, feſtinatum iſtud iter, modo alicubi duos treſve dies, prout res tulere, erat conſiſtendum, quo minus hæ ſacerrimæ actiones à *Devo* ſociiſque peragerentur, neutiquam obſtitiſſe.

Tandem poſt quatuor menſes, magnis difficultatibus periculiſque, quibuſcum in aſpera hieme erat neceſſariò conflictandum, defunctus, *Devus* caſtellum de *Laſco*, ſedem hæreditariam *Laſcovii* Feb. 3. 1584. appulit, ubi cùm per quinque ſeptimanas non ſine ingenti tædio & incommodo, pecuniis à *Laſcovio*, ære alieno oppreſſo, qui nondum prædia oppignerata redemerat, parcè admodum ſuppeditatis, ſubſtitiſſet, *Cracoviam*, urbem Regiam, Martii 9°. petit, ibi majora vitæ commoda novaſque revelationes præſtolaturus. Heic quoque, ut alibi, frequentantur actiones, in quibus dæmones illum vocibus barbaris prolatis, deinde conſuetis altiſſimi ſenſus ambiguis, omnemque intellectum exſuperantibus, oraculis, miſerrimè deluſêre, multa de univerſi Orbis terrarum diſtributione ſub ductu & regimine duodecim Angelorum, & præſertim de variis, qui aeris triginta regiones incolunt, Angelis, illorumque numero & de ejuſmodi fictis myſteriis è quibus cuncta naturæ arcana erant eruenda, referentes: & quò illum præſtigiis hucuſque irretitum magis magiſque captarent, quicquid olim in *Enochi* libro exſtabat, denuò exponere & explicare in ſe ſuſcipiunt. Ne verò *Laſcovius* ſive exerta Rationis vi, & interiori mentis ſenſu ab hoc veterno expergefactus, ab illo-

Vix dubitandum eſt, quin *Devus* hac mira Imperatoris comitate & indulgentia hinc diſceſſerit elatus lætuſque, illum novæ Religionis in mundum ſub divinarum revelationum prætextu; ſicut olim *Mohammedes* deliria ſua introduxerat mox introducendæ ſtrenuum patronum & fautorem, tandem aliquando fore, ſibi blanditus. Sed eventus exſpectationi & votis planè contrarius hanc gratiſſimam mentis inſaniam repreſſit & caſtigavit.

Interim per Aulam & urbem percrebuere rumores, *Anglum* quendam *Alchymiſticum decoctorem*, *Magum*, *& Necromanticum*, ad reparandas fortunas & Imperatoris loculos pecuniis emungendos illò nuperrimè veniſſe. Quod convitium Devus concoquere non poterat, imo & iniquiſſimè & ſumma cum indignatione tulit, qui famam ipſius ab omni ſcelere illæſam hactenus apud omnes tum in *Germania*, tum alibi terrarum, integram manſiſſe acerrimè contendebat, quaſi vel quippam mali de illo ſuſpicari piaculum fuiſſet. Cùm verò per biduum nullam ab Imperatore adfuturas collocutiones invitationem factam fuiſſe, animi valdè anxius, ſenſiſſet, longioris moræ prorſus impatiens, *Spinolæ* literas dedit, obnixè orans, ut modum, quo Imperator iterùm eſſet faciliùs adeundus, excogitare, & ſuggerere vellet: ſed exceſſit ex urbe Imperator venandi cauſâ, unaque cum illo aberat *Spinola*: literæ verò prius ſcriptæ, mutatis mutandis, poſt ſeptimanam illi tradebantur, qui *Devi* nuncio poſtero die retulit, *Imperatorem, tum quod linguam Latinam* (hac enim inter colloquendum uſi fuerant) *non probè calleret, tum quod per multiplices maximi momenti occupationes, quovis tempore audientiam concedere non liceret, ideo totum iſtud negotium*, *Doctori* Jacobo Curtzio, *qui erat ab illius conſiliis*, (viro quidem ob ſapientiam penitioremque Scientiarum Mathematicarum peritiam celeberrimo) *quocum* Devus *apertiſſimè & omni cum libertate agere poſſet, tranſigendum commiſiſſe, ſi illi ita videretur: ſin aliter, Imperatorem, quo modo illius deſiderio ſatisfieret, proviſurum.* Ad editam *Relationem*, ubi hæc aliaque quamplurima, quæ cenſeo omittenda, ſpeciatim recenſentur, curioſum Lectorem remitto, ſumma rerum capita, in hac brevicula narratione, quæ in magnam molem excreſceret, ſi id agerem, delibare contentus. Ad ædes *Curtzii* protenus Septembris decimo quinto ſe recepit *Devus*, quò cryſtallum libroſque octodecim manu propria exaratos deferendos curavit, repetere geſtiens, *ſe per miſericordiam Dei*, *à* Michaele, Gabriele, Raphaele, Uriele, *aliiſque bonis Angelis, quicquid in iſtis libris jam coram expoſitis comprehenderetur, edoctum fuiſſe*; quibus leviuſculè evolutis, & accuratiùs quidem poſtremò, qui ad *Rodolphum* propiùs

piùs ſpectabat, poſt ſex horas domum redibat, pollicente *Curtzio*, ſe ea omnia Imperatori nudè, ſincerè, & fideliter nunciaturum. Proxima converſatione, quæ ad viceſimum ſeptimum diem dilata erat, acceſſit ædes *Devianas Curtzius*, Imperatorem illa, de quibus diſſeruiſſet, omnem fidem exſuperare, & neutiquam fieri poſſe planè dijudicaſſe, relaturus: ideoque ut actiones Latinè verſas, & præſertim illam, quæ paraphraſim in Symbolum Apoſtolorum complectitur, coram illo, ut de illis maturius rectiuſque judicium, quantùm per otium licebat, fieret, producere vellet: replicavit *Devus*, ſe originales libros, de manibus ſuis tollendos neutiquam paſſurum; iſtarum verò actionum apographum, quod petebatur, deſcribi curaturum. Deinde querelis de tam longæ moræ tædio ingeſtis, cauſſatas, ſe alteras ad Imperatorem literas dare in animo propoſuiſſe fatetur, quas quidem, inſtigantibus ſpiritualibus ſuis Magiſtris & Directoribus, ante aliquot dies conſcripſerat. Has verò poſtea amico ſuo, Legato *Hiſpanico*, tradendas concredere conſultiùs judicabat: In hiſce autem, quò *Rodolphum* chymicis experimentis, ſi ita loqui fas ſit, quam pro dignitate decuit, addictiorem, ad partes ſuas potentiùs protraheret, Dei nomine aſſeverabat, ſibi *lapidis illius benedicti*, vulgo nuncupati *Lapidis Philoſophorum*, conficiendi artem modumque infallibilem innoteſcere, opuſque illud Philoſophicum ore & corde pollicetur, ſanctèque coram Deo omnipotente vovet, ſe illicò communicaturum, ſola hac mercede propoſita, ut *Cæſarei Philoſophi & Mathematici* titulo inſigniretur. Veruntamen huic grandiloquentiæ & pompæ verborum, aut hiſce ſpecioſiſſimis, blandiſſimisque promiſſionibus de immenſis opibus, uſu, & vi pulveris chryſopoetici accumulandis, neutiquam cedebat Imperator, de quo tamen poſtea præſtigiis ſuis expugnando, *Devus*, ut videtur, licèt vix aliqua ſpes in præſens affulſerit, non prorſus deſperavit.

Octobre hujus anni, *Devus Cracoviam* ad uxorem, familiam, ſupellectilemque inde deducendam excucurrit, ubi poſt duorum præter propter menſium rebus componendis impenſorum moram, *Pragam* reverſus eſt, *Laſcovii* ad Legatum *Hiſpanicum* ad amicitiam prius initam arctiùs confœderandam literis auctoratus. Dum verò poſt reditum ab Imperatore & *Curtzio*, omni commercio de arcanis, ſive Philoſophicis, ſive cœleſtibus, cum illo penitùs abjecto, nullaque illius jam ratione habita, magis magiſque negligeretur, admonitus quoque à ſpiritibus ſeductoribus de imminenti carceris periculo, ni clam præcipiti fuga ſibi conſuleret, equis conſcenſis, *Praga* relicta, *Kellæo* ac famulo comitatus, iter verſus *Vratiſlaviam* capeſſivit. 27. Feb. 1585.

Cùm autem *Limburgum*, ſex

ſex milliaribus Germanicis ventum eſſet, proximo mane, conſulto oráculo, (hoc enim quocunque ſe verteret, ad quod quavis occaſione data confugere conſueverat, ſemper ſecum tulit) à perſonato fictoque *Michaele* juſſus eſt reverti: cùm nihil jam ab ira praviſque conſiliis *Rodolphi*, quem poſt annum miſerrimè periturum, inque illius ſolium *Stephanum* Regem *Poloniæ* brevi ſubſtituendum eſſe pronunciat, ultra metuendum eſſet; ſimulque omni metu excuſſo poſt reditum palam per urbem prodire. Ita nimirùm ſpiritibus, huc illuc ire pro lalcivia & protervia, jubentibus, cæco impetu promptiſſimè morem geſſit. Verſutè quidem tum reconditæ eruditionis oſtentatione, tum placidiſſimis moribus, in quorundam Procerum magni nominis & præcipuæ in Aula auctoritatis gratiam antea ſeſe inſinuaſſe, ex hoc manifeſto indicio conſtat, quod cùm infans, recèns natus, ſacro baptiſmate tingendus eſſet ſuſceptores comparuere, *Gulielmus de Sancto Clemente*, *Hiſpaniarum* Regis apud Cæſarem Legatus, D. *Romſius* ſummus Cæſareæ Majeſtatis Cubicularius & Conſiliarius, & nobiliſſima femina, Domina de *Dittrechſtain*, D. *de Dittrechſtain*, Palatii Seneſchalli *, uxor, ritus ſacros in arcis *Pragenſis* majori templo, Martii decimo quarto adminiſtrante Imperatoris Capellano, ut vix quicquam publicè, quod magis *Devo* in honorem cederet, præſtari potuiſſe videretur. Nomen verò infanti, illo rogante, *Michaelis* Archangeli in gratum obſervantiæ erga ipſius benefici Directoris & Defenſoris, uti delirabat, μνημόσυνον impoſitum erat.

* Mayor-Domo.

Ne fidei violatæ crimen Spiritibus grande illud auri conficiendi arcanum toties promiſſum hactenus non revelantibus exprobraret *Devus*, tandem ludicram cujuſdam chymicæ præparationis, ex qua *benedictum iſtum*, *rubrum*, *glorioſumque pulverem* extrahere, formulam tanta vocum barbararum perplexitate involutam, quam neque ille neque Symmiſta intellexerint, dictavit *Levaniel*, quæ licèt ab omnibus aliis ſub ejuſmodi involucris celanda, illis ſaltem explicari debuit: Sed totus proceſſus ad obſtupefaciendam diſtrahendamque, quam ad informandam mentem compoſitus videtur. Dum verò in ſumma iſta rerum omnium egeſtate, ad quam deficiente pecunia redigebatur, animum languentem latrantemque ſtomachum hiſce aureis inſomniis ſuſtinuerit, materfamilias, non aliter de rebus quotidiani uſus ad vitam neceſſariis, niſi vendita ſuppellectile, aut oppigneratis veſtimentis, providendum eſſe, conſcia, jam penè impos ſui, miſerrimum in modum excruciatur. Puduit quidem maritum, utpote Philoſophum, domeſtica hæc mala fateri, aut Magnatibus aliiſque, quorum ſtudioſè captaverat amicitiam, pauperiem, qua laboravit, retegere. Hoc nimirum cum Philoſophicæ profeſſionis & inſtituti dig-

ni-

gnitate parum conveniebat. Emori & fame enecari, quàm hoc turpi modo, quaſi emendicando, duræ neceſſitati ſubvenire maluit. Uxor autem, imbellis femina, ſummaque erga parvulos ſuos, ne eſuritione contabeſcerent, miſeratione tacta, tanta duritie & obſtinatione pectus obfirmare non potuit. Quid ergo? Illa pro ingenio & ſolertia, ad miſericordiam exorandam, affectumque Angelorum, quos prorſus immites fore nefas duxit ſuſpicari, concitandum, ſupplices libellos nomine ſuo ſignatos conſcripſit, in proxima actione legendos, ut illorum conſiliis, quo pacto & à quibus iſtiuſmodi ſubſidia, quorum iſthoc tempore erant egentiſſimi peti poſſent, edocerentur. Illa vero ob temeritatem & audaciam ſe coram *teſtimonio voluntatis Dei* ſiſtendi objurgatâ, quæſtionibus propoſitis, inter alia, reſponderunt, *neceſſitati parendum eſſe, adiumque apparatum & ornatum, corporiſque cooperimenta ad avertendam famem, pecuniis commutari debere*; hoc ſolamine addito, *ſe illi liberiſque bene velle, & tandem proſpecturos*: deinde maritum illinc verſus *Poloniam* ad *Stephanum* & *Laſcovium* properare monent. At cùm ille per ſeptimanam deſtinatum iſtud iter ingredi, negotiis domeſticis occupatus, diſtuliſſet, poſt impetratam breviculæ moræ indulgentiam, unà cum *Kellæo*, perpetuo comite duobuſque famulis, relicta *Praga*, *Cracoviam* Aprilis duodecimo profectus eſt,

Poſt paucos dies, *Laſcovio* intercedente, & facilem aditum procurante *Devus* ab eodem ad R. *Stephani* præſentiam introductus, illum brevi compellavit, dicendo, ſe *divina accepta admonitione*, ipſiſſima illius verba ſunt, *de iis, quæ ipſi divinitùs injuncta eſſent, cum omni fidelitate & ſinceritate cum Regia ſua Majeſtate tractare, & deinde, myſteriorum hiſtorias de ordine in ordinem referre, prout occaſio dabitur, paratiſſimum*, iſthuc veniſſe: cui Rex, de ipſius gratia, favore & patrocinio præmiſſa ſponſione, replicavit, quod tempore de illis rebus diſſerendi magis opportuno, nimirum poſt feſtos dies (tunc enim inſtabant ſolennia Paſchatis) accerſendum curaret. Jam exactis viginti diebus, quibus cryſtallo cortina intus obducto, ex arbitrio ſpirituum, dum *Pragæ* aderant, oraculum obmutuit, actiones intermiſſæ redintegrantur. Aprilis 17.

Viceſimo tertio Maio *Laſcovio* & *Devo* coram R. *Stephano* in interiori Aulæ camera comparentibus, hic *Devum* in primis hujus congreſſus initiis ita affatus eſt, *egiſſe mecum D. Palatinum, ut vos audirem, de rebus iſtis magnis & raris; quod libenter feci: & tamen hoc conſiderari debet, quod Prophetæ omnes & revelationes jam diu & in tempore Chriſti ceſſaverunt: attamen ſi nihil in iſtis contra Dei ſit honorem, eò lubentiùs audienda, & ego quidem haud dubito, quin Deus nunc*

poſſit multis modis ſecreta quædam hominibus detegere, ad hæc uſque tempora inaudita & inuſitata. Ad omnem ſcrupulum è Regis animo eximendum, ſingulis articulis propoſitis, vafri ingenii vires, hac pulchra occaſione data, explicaturus, reſpondere, longa oratione habita, conatus eſt: quam in Appendice curioſus Lector inveniet, illam enim in compendium redigere omninò tædet. Cujus tamen ex ore & pectore illius mirabili promptitudine & fervore, quem argumenti gravitas æluſque falſus concitaverat, profluentis lenociniis derepentè capiebatur, ut actioni proximæ, in illius gratiam Latina lingua inſtituendæ, intereſſe neutiquam recuſaverit. Illa autem, quam producto cryſtallo, aliiſque ritibus adhibitis, ac oratione ad Deum pro re nata, verbis priùs conceptis ſeriò fuſa, inchoavit *Devus*, viceſimo ſeptimo ejuſdem menſis die, peragebatur: Sed hiſce diabolicis incantamentis non ſe amplius illudi, adjutrice divina gratia, paſſus eſt *Stephanus*, nec unquam poſthac horrendis iſtis myſteriis intereſſe voluit. De illo tamen expugnando non prorſum deſperavit *Devus*; illum ergo, prout maligni ſpiritus mandaverant, propoſito arcano conficiendi Lapidis Philoſophici, ipſi, ut nuperrimè *Rodolpho*, communicando, denuò aggreſſus eſt. Sed jam prudentior factus *Stephanus*, obfirmato animo, fallaces ejuſmodi promiſſiones conſtantiſſimè repudiavit. Itaque cùm nihil in propagandis blaſphemis impiiſque ſuis opinionibus apud *Stephanum* profeciſſet, deſinente Julio, *Pragam* redire feſtinavit.

Non multò poſt, in myſticam hanc Societatem *Franciſcus Puccius Florentinus*, Vir ſubtilis ingenii, literarum ſtudiis innutritus, Artibuſque curioſis deditiſſimus, admiſſus eſt, quem malæ fidei ſuſpectum, & pro exploratore habitum, ab hac ſacerrima communione, ſequente anno penitus rejecit & abdicavit *Devus*, nullis, ut ut blandis adulatoriiſque epiſtolis, nullis renovati fœderis & ſinceræ amicitiæ profeſſionibus coram factis, illi poſtmodum conciliandus.

Interea temporis cenſuris, dicteriis, contumeliiſque ſuſque deque habitis, *Devus*, licèt penè vulgi fabula habitus, *Pragæ* uſque morari, domiciliumque fixum ibi habere conſtituit, animo, ſi non, læto, ſaltem non deſpondente, novos amicos, fautores, & patronos ſedulò (nemo enim hominum mores melius novit, aut ſubtilioribus ſtrophis inſidiiſque incautos aggredi & expugnare ſolebat) quæſiturus. Inter hos eminebat nobiliſſimus vir, *Gulielmus Urſinus*, Dominus *Roſenburgi* Eques aurei velleris, ſupremus regni *Bohemiæ*, Burgravius, hujus planè illecebris irretitus, ſe totum in illius, quaſi arcanorum Dei particeps, & Angelorum familiaris amicus fuiſſet, diſciplinam dedit, cujus auſpiciis & patro-

trocinio, quod hactenus in irritum cecidiſſet, & *Devus* pro inſanabili mentis inſania & obſtinatione, & Magiſtri tandem effici poſſe ſperabant. De hoc novo Alumno inter Myſtas mox adſcribendo, maligni Spiritus quaſi jam jam triumphos acturi, quo illum mundanæ gloriæ cupiditate & effræni ambitione afflatum magis magiſque dementarent, & inexplicabilibus illigarent nodis, in longè majores honoris quàm per naſcendi ſortem, ut ut valdè illuſtrem ſperare licuerit, gradus efferendum, illum nimirum fore *Poloniæ* Regem poſtea annuntiarunt. Interim cum *Roſenbergius* nuptiis contrahendis animum advertiſſet, animi tamen dubius, qualis femina ducenda eſſet, illi *agnam*, i. e. virginem, *neutiquam ſpoliando vicini pauperis grege*, (nam, ut videtur, ſolutioribus moribus & luxui antea nimiùm indulſerat) aſſumendam eſſe in uxorem monent. Poſt hanc actionem 30 Aprilis 1586. factam, iiſdem ità volentibus, *viſitationes* per ſex menſes futuros intermittendæ erant & ceſſaturæ.

Juſtitio hoc ac feriatione conceſſis, *Devus* de rebus ſuis in *Anglia* impendiò ſolicitus, poſt paucos dies *Lipſiam* contendit, ab *Anglis* pro more ad Nundinas ibi celebrari ſolitas, mercaturæ gratia illò euntibus, quid domi, quod ad illum peculiariter ſpectabat, acciditſſet, ab illorum ore edocendus.

Hac occaſione arrepta, fidum nactus Γραμματοφόρον, in *Angliam* citò rediturum, longam ad D. *Walſinghamum* Secretarium decimo quarto Maii datam ſcripſit epiſtolam (ſicut anno ſuperiori ad ipſam Reginam de eodem argumento ſeripſerat) in qua multa de rerum ſuarum ſtatu congeſſit, viz. *Imperatorem alioſque præcipuos ex* Romani *Pontificis clientela, ſenſu doloris de injuriis illatis tactos, de malis erroneiſque opinionibus, adverſus ipſum priùs conceptis, multum remiſiſſe: illos quibuſcunque modis, tum vi tum metu inicuſſo, ut in partes, quas alterutri ſecuti ſunt pertraheretur, niti: ſe ab ineunda cum Nuncio Apoſtolico*, Malaſpina, *per annum oblata & quaſi palpo obtruſa, amicitia penitus abhorruiſſe; hiſce novis rebus turbata & territa* Roma, *mortem violentam ipſi infligendam eſſe, inde minis additis denunciari: ſibi de ædibus, bibliotheca, & ſupellectile poſt ipſius diſceſſum ſpoliatis, reditibuſque interceptis ex æquo ſatisfaciendum eſſe*; Thomam Diggeſium, *utpote virum idoneum, veteri amicitia conjunctiſſimum, quocum de arcanis maximi momenti Reginæ communicandis apertiſſimè ageret, in* Germaniam *mitti oportere; & denique illam longè melius rationibus ſuis conſuluiſſe, ſi decies centena millia auri, ſive in eleemoſynis, ſive qualitercunque profudiſſet, quam non conſiliis ipſius auſcultando, quaſdam opportunitates elabi ſiviſſe: Non tamen ſpem, quod Deus miſericorditer faciendum ſtatuiſſet,*

re *dimendi*, *omnino decollaſſe*. Ita ille confidentiſſimè, quaſi hæc omnia à ſpiritu ſancto fuiſſent pectori & calamo immiſſa. Interim dum ille aberat, Epiſcopus *Placentinus* nuperrimè *Roma* miſſus ut alteri Nuncio ſuccederet, calidiſſimo Pontificis ad haſce novitates ubique propalatas, planè attoniti, juſſu auctoratus, Imperatori libellum ſupplicem exhibuit, in quo *Devum* Magiæ Artiumque necromanticarum poſtulavit, interpoſitis conſiliis ne ex indulgentia hac tamdiu conceſſa, aut Religio Chriſtiana aut publica tranquillitas læderetur; petens quoque, ut ad *Romam* amandaretur. *Devus* autem mali, quod capiti imminebat, ignarus, cùm *Pragam* reverſus, quid ſibi metuendum eſſet, non ſine horrore & ſumma triſtitia didiciſſet, literas tum ad D. *Roſenbergium*, tum ad Imperatorem, ad grande illud periculum quod jamjam inſtabat, avertendum, protenus dedit: ſed omninò fruſtrà. Neque enim hujus interpoſitæ preces & interceſſio quicquam valuere, nec illius pietas & prudentia diutiùs expugnari potuit; cùm cuivis ejuſmodi præſtigias, niſi obice tempori poſito, latiùs evagaturas, & funeſtum exitum habituras, facilè conſtaret. Decretum enim erat 29. Maii in ſecretiori Imperatoris conſilio, ut poſt ſex dies extra Imperatoriæ Majeſtatis ditiones *Devus* & *Kellæus*, cum tota familia, diſcederent ſub ſummi diſcriminis ſubeundi periculo, ſi contra veniſſent. Convaſatis ergo omnibus rebus, ille ſe ſumma cum feſtinatione extra proripuit, tutiori loco nova, quid jam hîc importuno & moleſto tempore præſtari oportuerit, conſilia initurus.

Erphurdiam, *Thuringiæ* urbem, profectus, cùm in iſta urbe ædes conducturus eſſet, à Senatoribus, ad quos exilii fama pervenerat à tali hoſpite metuentibus, licèt illis à D. *Roſenbergio* commendatus, repulſam tulit, illic tamen venia, donec aliò commodiùs eundum foret, commorandi conceſſa. Huc autem *Puccius*, habitis priùs cum Nuncio colloquiis, & à quo Syngraphum, in qua *Devum* ſociumque individuum, ſi *Romam* ire vellent, ibi omni cum humanitate ac charitate tractandos eſſe, fide data, ſuſcepit, accepiſſet, poſt menſem aut circiter appellens, multa de iſtius Nuncii erga illos benevolentia præfatus de itinere *Romam* ineundo, multis argumentis in medium productis & præſertim hoc palmario, quod *Deus in actione quadam illos* Romam *ituros pronunciaſſet*, perſuaſum volebat. Sed *Devus* non ita deſipiebat, ut ſeſe in inſidias ab hoc exploratore ſtructas daret præcipitem. Altercationes alterutrinque agitatas hîc immiſcere planè piget. Cùm verò *Devo* perfidia *Puccii* magis magiſque ex hiſce alloquiis innoteſcere cœpiſſet, illum, tum ob hanc, tum ob alias cauſas, putà ob acrem diſputandi impetum contentioſumque pruritum, ob futilitatem & imprudentiam in arcanis, nulla venia impe-

tra-

trata, retegendis temerè admiſſam, ob indebitum in res neutiquam ad illum pertinentes penetrandi deſiderium & curioſitatem, & denique ob mores, uxoribus illorum neutiquam gratos, prorſus indignum, qui in iſta ſancta ſocietate diutiùs maneret, & meritò, juxta monitum priùs ab Angelis acceptum, exſcindendum eſſe judicavit. Ne verò illum malo animo à ſe prorſus alienum redderet, literas Nuncio tradendas ipſius curæ commiſit. *Caſſellis* poſtmodùm divertens, ignominioſam hanc proſcriptionem, *Roſenbergii* tum literis refocillatus, tum pecuniis adjutus, æquo animo tulit, & talem nactus Patronum & Advocatum, plurimaque apud Imperatorem gratia pollentem, de futuro in *Bohemiam* reditu bonam in animo ſpem alere perrexit. Quod tandem ejuſdem repetitis interceſſionibus ex parte effectum erat, decreto eouſque revocato, ut *Devo* reverti liceret, modò intra fines ambitumque terrarum D. Burgravii deinceps continendus, non aliorſum & ultra vagaretur. Benigniſſimè igitur ad arcem *Trebonæ*, hæreditariam *Roſenbergii* ſedem, uti ad tutiſſimum aſylum, invitatus, menſe Septembre, lætus properat ibi, Dæmonum conſortio, jam longum intermiſſo, ſumma cum libertate gaviſurus. 1586.

Finitis ſex, in quibus ex juſſu Magiſtrorum nullæ apparitiones factæ fuerant, menſibus, actiones conſuetæ denuò renovari cœperant, in quibus dæmones ludos & delicias facientes, *Roſenbergium*, horrendis hiſce ſacris admotum, & præ nimia mentis facilitate non ampliùs ſui compotem, vanis promiſſionibus effaſcinarunt, fœdus nimirum cum illo ab iſthoc die quo primùm aderat, ineundum, & cœleſte myſterium illi quoque revelandum eſſe. Sed cùm munus iſtud, quod apud Imperatorem cui erat à ſecretioribus conſiliis, geſſit, aliaque publica negotia illum inde avocaverint, & in Aula Cæſarea protenus adeſſe juſſerint, ſi qua difficultas, ſi quod dubium, è quo ſibi non eſſet facilè expediendum, putà de ſucceſſione *Polonica*, & mediis, quibus illud regnum faciliùs obtineri poſſet, de chryſopoetico, quo donatus erat, pulvere & an quippiam iſtius theſauri Cæſari eſſet communicandum, aliiſque rebus graviſſimi momenti occurriſſet, hæc oracula ſciſcitari conſultiſſimum duxit, ut quomodo ſe gerere deberet, certiſſimè informaretur. Has quæſtiones aliaſque de uſu & multiplicatione iſtius pulveris, *divinitus*, ut credidit, *conceſſi*, deque illo *ex methodo Dunſtani* conficiendo, item de quibuſdam privatis domeſticiſque rebus è charta coram oraculo prælectas propoſuit *Devus*: vafra autem & ambigua reſponſa, ſolutiones, conſilia, quibus illius veſaniæ illuſum erat, hîc referre planè piget. Ita pro more mendaciis diabolicis faſcinatus in erroribus inſomniiſque ſuis amplexandis & reti-

nendis obduruit *Devus*. Non negaverim, illum hactenus à turpi ſcelere purum, probitati ſtuduiſſe, orationibus ad Deum intentum, ingentem ſanctimoniam, & Chriſtianæ religionis reverentiam in mediis hiſce, quibus circumveniebatur, illuſionibus, præ ſe tuliſſe. Sed en obſtupeſcendum deploratiſſimi ingenii & diabolicæ tyrannidis in illum exercitæ ſpecimen & exemplum! Apparuit in cryſtallo columna candida, ſuper cujus ſcapo *Devi*, *Kellæi*, uxorumque capita ſub eadem corona imminente adunabantur, corporibus intus incluſis, in ſignum arctiſſimæ unionis inter illos hoc emblemate ſanciendæ, quam Chriſtiano & pio ſenſu intelligendam eſſe voluit *Devus*, contra verò mentem pſeudo-angelorum, qui iſta de re conſulti, non de ſolo ſpirituali amore & unitate animorum, ſed de carnali quoque & promiſcua conjunctione & concubitu interpretati ſunt, &, ut id fieret, expreſſiſſimè mandarunt. Exhorruit *Devus*, dicendo, illam manifeſtam divinæ legis & Evangelii violationem fore: ſed reprehenſus, quod de hoc novo mandato, an à Deo eſſet, dubitare auſus eſſet, tandem poſt longam diſceptationem ceſſit. Uxor, hujus propoſiti particeps facta, lacrymabunda contremuit, in iſtud flagitioſum facinus nunquam conſenſura: ſed ſtrophis mariti expugnata, *arcanis Dei conſiliis*, ſic deluſa ſenſit, obſequi penè invita ſtatuebat. Interim cùm reluctarentur, nec animo quieto eſſe poſſent, repetitis juſſibus à ſuis Præceptoribus, & præſertim à perſonato *Raphaele* nomine Dei, imò & ab ipſo *Chriſto*, quæ horrendum eſt dictu, conſilium iſtud Angelorum illis dictatum & traditum in illorum fidei probationem, ab illo prodiiſſe aſſerente, neutiquam verò doctrinam, quæ ad illos ſolos ſpectabat, aliis mortalibus, publicari oportere; & iſtud, quod illi ἀνομίαν, ſive *iniquitatem* nuncupant, *cum lætitia perſequendum & faciendum eſſe*, pro ſumma auctoritate mandante, ita enim impiiſſimè blaſphemavit, incitati, quatuor hi ſolenne cum Deo, ſubſcriptis nominibus tertio Maii 1587. ineunt fœdus, iram offenſi Numinis deprecantes ſe, non ex laſcivia carniſque ſtimulis, ſed ex ſolo divini mandati intuitu, ex fide & obedientia, prout *Abrahamus* in propoſita filii mactatione olim fecerat, conſenſiſſe. O deplorandam ſtupiditatem! O execrandam inſaniam! Incredibile videretur, hominem Religionis Chriſtianæ inſtitutionibus inſtructum, imò aut levi moralium virtutum ſenſu imbutum, adeò cæcutiiſſe, & ad extremam hanc fatuitatis & vecordiæ lineam pervenire potuiſſe, niſi id *Devus* amplo commentario explicatum miriſque elucidatum circumſtantiis literis mandaſſet. Tantum verò puduit hujus promiſcuæ conjunctionis, ut, quò certiùs & firmiùs, ne cuiquam mortalium unquam pateret, caveretur, omnes in hoc eodem fœdere impiè ineundo, dira impre-

ca-

catione coram Deo ſolenniter habita cuicunque ex iſtis quatuor revelanti, & ſingulis quoque aliis quibus hoc horribile ſecretum revelabitur, ſubitaneam mortem in illo ipſo momento infligendam eſſe obteſtati ſint.

Hactenus ex itineris & actionum Diario, publici juris facto: ſchedæ, quæ ſequi debuerant, rerum pòſt *Trebonæ* viciniſque locis (ibi enim *Devus* ultra per ſeſquiannum moratus eſt) geſtarum narrationem complexæ, interciderunt.

Regina *Eliſabetha* miſerta *Devi*, qui aut præ pudore aut præ metu, patriam, à qua ſe clam ſubduxerat, repetere non auſus eſt, nolenſque labem Genti *Anglicanæ* ex facinoribus unius aut plurium transfugarum ulteriùs inuri, illum in *Angliam* reverti, nulla interpoſita excuſatione aut mora, literis per nuncium miſſis, juſſit. Ille verò natale ſolum domeſticoſque lares ex favore & indulgentia Principis reviſendi cupidiſſimus, lætus capeſſit iter, & magnis periculis & expenſis defunctus, anno 1589. deſinente, poſt ſex annorum abſentiam ædes ſuas *Mortlakianas* feliciter attigit.

Cum verò *Devus* poſt reditum, non ſine mœrore expertus vidiſſet, ex una parte memoriam rerum anteactarum ex animis eorum, quibus priùs innotuiſſet, non exoleviſſe, ſuſpiciones, parum, dum aberat, ſopitas, jam denuò erumpere & redaccendi; atroces cenſuras & criminationes ſibi in Aula impactas; dicteria in triviis à vulgo in ipſum jactata; à quo, ſi forte occurriſſet, pueri in plateis ludentes, tanquam à Mago, quem Anglicè appellamus *as conjurer*, quaſi territi, aufugere ſolebant: Præſules autem alioſque Eccleſiaſticos ob illicitas, quibus ſe à juvenilibus annis devoverat, artes, maximè infenſos; ex altera parte, reditus imminutos; nullam damni, à tumultuante plebe invecti, reparationem adhuc factam; rem domeſticam in pejus ire: ſe primo acceſſu à Regina placido vultu exceptum, nondum aut penſionis annuæ aut cujuſpiam opimæ dignitatis compotem; denique omni ad alendam familiam ſubſidio mox deſtituendum, & fame periturum, ni Reginæ, & amicorum benevolentia, ſubmiſſis pecuniis, ſubinde ſubveniſſet; quò hiſce malis ingruentibus commodiùs obviam iretur, ſupplicibus libellis 9°. Novembris 1592. utpote tædioſa per triennium exſpectatione fatigatus, & ad incitas redactus, Reginæ exhibitis obnixiſſimè petiit, ut duos treſve Commiſſarios, qui de rebus illius ipſi ex æquo repræſantandis, ſumma exploratione & rigido examine habito, cognoſcerent, delegare dignaretur. Annuente illa & jubente, duo clariſſimi viri, D. *Joannes Wolleius* Secretarius ab Epiſtolis Latinis, & D. *Thomas Gorgius* à Veſtiario Reginæ, poſt ſeptimanam unam aut alteram in ædibus *Devi* comparuere, qui-

quibus vitæ & ſtudiorum per quinquaginta annos tranſactorum compendium, (a) à ſe antea elaboratum, inque capita methodicè digeſtum, documentis, probationibus & teſtimoniis ad rerum fidem, quando opus erat, faciendam è libris, literis, ſchediſque in menſa præjacentibus, in medium productis, prælegebat. In quo, paſſim de meritis erga patriam, bonas literas, ipſamque Reginam, de fruſtratis violatiſque promiſſis toties repetitis, de damno, quod ex ædium & Bibliothecæ direptione ſuſtinuerit, & de præſenti rerum ferè omnium inopia, amplum in modum diſſerens, tandem nomine ipſius, Uxoris, ſeptemque Liberorum humillimè & obnixiſſimè exorat, ut apud Reginam vellent intercedere, ut pro clementia, benignitate, & miſericordia ipſius par remedium huic intolerabili malo adhiberetur.

Sed neque Regina, neque Conſiliarii, neque Præſules ex præjudiciis, alta mente repoſitis, hiſce importunis precibus quicquam conceſſere. Perſpectum igitur habens *Devus*, unde durities iſta originem duxerit, quo ſe ab omni Magiæ, qua laboravit, criminatione, & ſuſpicione purgaret, literas Apologeticas ad D. Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ineunte anno 1595. ſcriptas edi curavit, in quibus coram Deo & coram illo Archipræſule ſolennem in modum, *periculo damnationis animæ ſe ſola bona, licita, honeſta, Chriſtiana, & divinitùs præſcripta ratione & methodo in ſtudiis Philoſophiæ* (hoc enim nomine impiam ſuam curioſitatem obtegere uſque placuit, uti longè antea ſe *pro bono Chriſtiano Philoſopho* venditare ſolitus fuerat) proſequendis hactenùs uſum fuiſſe, & etiamnum uti: ſe hac Apologia agere, *non tam ut ore oblatrantium obturato, ſtultis, impiis, falſiſque rumoribus, calumniis, & fabulis ubique per* Angliam *ſparſis, iretur obviam, quàm ut bonis probiſque viris, ex longo ſtudiorum curriculo, & ex ſerie, numero, & argumentis librorum*, quos per quadraginta annos conſcriptos ibi recenſet, *inde ſatisfieret.* Interim ne unicum quidem verbum de commercio cum *ſpiritibus*, ſive in *Anglia*, ſive extra *Angliam*, habito proferti; libroſque ſua manu exaratos *de doctrinis & revelationibus Angelorum* vafrè celat. Aliter ſuam ipſius tum ſtultitiam & vecordiam, qui ſibi adeò craſſè imponi paſſus eſt, tum impietatem, qui horrenda iſta arcana, in illis libris comprehenſa,

(a) Exſtat MS. in Bibliotheca *Cottoniana*, ſub Vitellio. C. VII. quod, dum in conficiendo iſtius celeberrimæ Bibliothecæ Catalogo occupatus reperiſſem, illico ab Amanuenſe meo exſcribendum curavi: hinc hujus vitæ deſcribendæ prima occaſione derivata: utpote tunc temporis penitus neſcius, aliud hujus autographi exemplar alibi exſtixiſſe.

ſa, Deo boniſque Angelis adſcribere auſus fuit, apertè prodidiſſet. Unde nemini mirum ſubeſſe debet, ſi ex hac perſuaſione, licèt falſiſſima ineptiſſimaque, in imis medullis defixa, in iſtam vecordiam prolapſus, ad tremendam iſtam adjurationem, qua æternam animæ ſuæ perniciem devovet, niſi verum dixerit, adhibendam, in læſæ famæ defenſionem impelleretur.

Regina verò, ſive ſpecioſa hac apologia emollita, ſive potius, ſumma erga ſenem penè ſeptuagenarium (quem *Philoſophum ſuum* appellare facetè ſolebat) jam ad incitas redactum, & numeroſam familiam, miſeratione tacta, illum iſthoc anno literis patentibus viceſimo die Maii datis, ſigilloque Regio munitis, ad præfecturam Collegii *Manceſtrienſis* in provincia *Lancaſtrienſi*, *Hugone Beloto*, illius Deceſſore, paulo antè Epiſcopo *Ceſtrienſi* conſtituto, provexit. 1595.

Hic non tantum commodè, ſed lautè jam per ſeptennium vixit, magna quidem famâ, ſed non æque bona, utpote atris cenſuris, infamibuſque ſuſpicionibus, ex arcanæ Philoſophiæ, quod continenter præ ſe ferebat, ſtudio exagitatus: muneri obeundo, tanta cum induſtria, prudentia, & manifeſta religionis profeſſione, ut nullus inde de ſcandalo dato criminandi pateret locus, intentus. Non enim in hunc cenſum rixæ, quas cum ſociis, ſive de pecuniis, ex annuis reditibus ſuccreſcentibus, inter ſe partiendis, ſive de regimine, non ex ſolo ipſius arbitrio, ſed mutuis conſiliis moderando habuit, quod ſæpe inter optimos quoſque uſu venire ſolet, referri debent. Municipes autem & agricolæ de illo adeo inſulſè, dicam, an altum, præter morem ſentiebant, ut ſiquos crederent in iſta regione obſeſſos aut ſagarum faſcino tortos, ad illum tanquam ad potentiſſimum Exorciſtam, ſalutari ope implorata, confugerent, donec hoc credulæ plebis elogio in probrum verſo, hanc poteſtatem in Dæmonas ſibi adſcriptam procul à ſe eliminaverit; interim benignè monens, ut de providendis tantorum malorum, junctis precibus & jejuniis expugnandorum, remediis *Miniſtros* Sacrorum irent conſultum. Ne verò ſuſpiciones iſtæ ubique creditæ, nulla verſutia, obteſtationibus nullis hactenus obterendæ, fidem quoque apud novum Regem adipiſcerentur, quod ipſi in magnum tum dedecus tum damnum ceſſurum *Devus* non potuit non arbitrari, libellos ſupplices, ſimul cum Apologeticis literis, jam denuò recuſis, 5°. die Junii 1604. R. *Jacobo* in manu exhibendos curavit, in quibus ſe ab omni magiæ crimine purum & integrum eſſe iterùm maximo ſtudio obteſtatur: ſeſe coram ipſo, Conſiliariis, ordinibuſque regni tum coactis examinandum offerens de illis rumoribus & ſuſpicionibus, quibus per univerſam *An-*

gliam uſque laborabat, ac, ſi aliquid cum Dæmonibus commercium habuiſſet, ſub pœna mortis aut vivicomburio, aut lapidatione, aut vivi corporis ſepelitione immiſericorditer infligenda, ſi magiæ objectæ reus calculis Adſeſſorum & Judicum deprehenderetur. Ita in falſiſſimâ impiaque ſui opinione, de familiaribus ſuis Amicis, quos bonos eſſe Angelos à Deo miſſos credidit, non iſthoc infami Dæmonum titulo dehoneſtandos, pertinaciſſimus deliruſque perſtabat. Sed ſereniſſimus Rex, quo nemo artes Diabolicas, qualicunque velo obtectas, aut ſolidiori judicio, vel acriori zelo, execratus eſt de illo ejuſque vitæ inſtituto & ſtudiis à D. *Roberto Cecilio*, Comite *Salisburiæ*, & *Angliæ* Theſaurario, cujus ſapientiſſimis conſiliis, in arduis regni negotiis innitebatur, informatus, hominem, ut videtur, deſpexit, planèque indignum Regali gratia & favore, pro pietate & eruditione ſua judicavit.

Tandem igitur, ſive ex tædio, ſive confectæ ætatis malis fractus, ſive potius improperiis dicteriiſque, ipſi petulanter ingeſtis, obrutus, *Manceſtriam* menſe Novembre A. 1604. reliquit, reſervatis ſibi, licèt abſenti, ſolvendo, Præfecturæ proventu & ſalario, ædes proprias *Mortlaci* ſitas repetiturus.

Menſe Martio A. 160$\frac{5}{6}$ *Devo* calculo aliiſque ægritudinibus laborante, extrema paupertate oppreſſo, perplexiſque ſauciæ mentis angoribus agitato, qui novum horumce oraculorum interpretem & *Inſpectorem*, *Bartholomæum Hickmannum*, jam nactus fuerat, (in cujus locum, ſi fortè abeſſe, aut in *Anglia* non morari contigerit, intimus *Devo* amicus, *Joannes Ponteſius*, nuper ex *Polonia* redux, chymicis experimentis, curioſiſque artibus addictus, ſubſtitui obnixè rogavit) perſonatus *Raphael*, ſolus, uti in ſequentibus actionibus, comparens, illum bono eſſe animo, & de recuperanda valetudine ſecurum fore juſſit, & mox promiſſionibus de certa Lapidis Philoſophici & libri S. *Dunſtani* cognitione & intelligentia renovatis, item de miraculis ab ipſo edendis, ut de aliis divinæ ſapientiæ myſteriis & arcanis ipſi revelandis; neminem mortalium aut unquam præter *Enochum*, habuiſſe, aut habiturum, tales tantoſque cœleſtium rerum ſcientiæ gradus, quos de futuro ſpondet, iteratis actionibus, ut Patriâ relicta, exteras regiones, rebus compoſitis, quàm primùm potuerit, peteret Dei nomine mandavit ſe in ipſius perpetuum comitem, ſicut olim fuerat *Tobiæ*, deſtinari; *Sarisberienſem* Comitem à Diabolis, quos nominat, exagitatum in illum pro Mago habitum, implacabili odio ferri, inſidiaſque ad illius certam perniciem ſtruere; ideo ex *Anglia* feſtinandum eſſe, ſi ſalvus eſſe vellet. Interim *Devus* multa dubia ſolvenda proponit, puta de alienis pecuniis, deque

ſuis

ſuis vaſis argenteis furto ſublatis, de theſauro abſcondito inveniendo, de commeatu comparando, de ſociis itineris, & præſertim de regione & urbe, qua eundum, & maximo commodo conſiſtendum eſſet: cui inter cætera, quæ planè omittenda cenſeo, reſponſum erat, totum illud, ſive *Germaniam*, ſive quamcunque aliam regionem elegerit, ſoli ipſius arbitrio referendum eſſe: ubicunque eſſet, ſibi proviſum & proſpectum fore, & quicquid faciendum maximè conveniret, ibi edocendum eſſe. Harum actionum, quæ Martio præcedente cœperant, ultima ſeptimo Septembris peragebatur. Sed non longè poſt, dum omnia itineri inſtituendo neceſſaria pararet, miſerrimus *Devus*, adhuc propriis ædibus adfixus, morbo magis magiſque recrudeſcente, vitæ curſum, octogeſimo primo ætatis anno, explevit. Ita quidem fatalibus iſtis illuſionibus, quibus animum per quinquaginta annos innexuiſſet, abſque aliquo deploratiſſimæ fatuitatis ſenſu, immortuus videtur, & intra cancellos Eccleſiæ parochialis, de cujus fabrica & reparanda & ornanda benè meruerat ſepultus jacet. Cujus nomen, apud omnes poſteros manſurum, alii ob ſummam in Mathematicis peritiam cum honore legent; alii ex intuitu humanæ infirmitatis, & ex nimiæ credulitatis excuſatione miſerabuntur; alii verò ob impium novæ religionis in mundum invehendæ, zelum ſtudiumque odio, horrori & execrationi habebunt.

Hactenus hiſtoriam vitæ & ſtudiorum *Joannis Devi* ſtrictim quidem & preſſè deſcripſi. Cùm verò multa, quæ utriſque illuſtrandis ſuppetant, ne ſeries narrationis, iis paſſim inſertis, interrumperetur, prudens & de induſtria omiſerim, ea in hac appendice, uti in commodiori loco, brevi quoque compendio, recenſebo.

Quod ad genus paternum attinet, de nobili & antiqua ſtirpe, originem è *Wallia* ducente, cum excuſatione, imo & jure merito, prout moris eſt, gloriari potuit *Devus*, ſi *Rodericum* magnum, & *Hoelem Dha*, i. e. *bonum*, *Wallia* Principes utroſque celebratiſſimæ apud Gentem ſuam famæ, & immortalis memoriæ, deinde *Rheſum*, alioſque magni nominis viros, longa ſerie, (ſi ſchemati genealogico ab ipſo producto fides ſit adhibenda) ad uſque *Davidem*, *Joannis* noſtri proavum, continuatos, inter majores ritè numeraverit. Hic verò cognomentum *Dey*, quod Britannicè ſignificat *Niger*, in familiam primus tranſtulit: quod mox molliori ſono prolatum *Dee*, ad filium *Bedonem* ſigniferum, nepotem *Rolandum*, & pronepotem *Joannem* tranſibat. Sed cùm ſupervacanei eſſet laboris, & à re prorſus alienum, in horum omnium ſtudiis, geſtis, vitæque accidentibus, ſi juſta ſuppeteret materia, indagandis recenſendiſque diutiùs immorari, unicum tantùm è ſeris nepotibus me-

morabo. Is eſt *Franciſcus Dee*, *Bedonis* abnepos, olim Collegii S. *Joannis* Evangeliſtæ in Academia *Cantabrigienſi* ſocius, qui per aliquos Eccleſiaſticarum dignitatum gradus, factus Decanus Eccleſiæ *Ciceſtrienſis*, tandem ad ſedem Epiſcopalem *Petroburgenſem* regnante R. *Carolo* primo, promovebatur. Vir quidem verè venerabilis, de ſede ſua, & de Collegio, quo educatus fuerat, præclarè meritus, piam efflavit animam A. 1638. De *Arthuro*, filio noſtri *Joannis* natu maximo, poſtea dicendum erit.

Licèt *Devus* à quibuſdam in libris editis & à noſtratibus in familiaribus colloquiis de illo habitis communiſſimè appellatus ſit *Doctor*, ſive Medicinæ, ſive, ut aliqui ſomniant, Theologiæ: certò tamen conſtat, illum laurea, quam olim in Academia *Cantabrigienſi* conſecutus fuerat, Magiſtri contentum, ſuperiorem gradum & titulum in Academiis, ſive noſtris, ſive exteris, neque ambiiſſe, neque capeſſiviſſe. In inſtrumentis de prædiorum ad Collegium, cui præfuit, attinentium elocutionibus, ut ex Regiſtro patet, ſemper nuncupatur *Magiſter Artium*: nec obſtat, quod in rotulo membranaceo in quo omnium Cuſtodum iſtius Eccleſiæ Collegiatæ, à D. *Thoma LaWarc* Sacerdote, & poſtea Fratre natu ſeniore abſque prole maſcula ex vita decedente, Barone Parlamentario ſub R. *Henrico* quinto, fundatore, uſque ad *Joannem Devum*, nomina & inſignia gentilitia coloribus depicta longa ſerie continentur, ſupra propria ipſius familiæ Anglicè inſcriptum ſit, *M. Joannes Dee, Doctor in Mathematicis*, ex altera parte: *Ille eſt hoc tempore Cuſtos, uti per aliquot antecedentes annos: Ille eſt Mathematicus Regius*: cùm hic titulus, honoris cauſa, ob ſummam illius in ſcientiis Mathematicis peritiam delatus, nunquam publica auctoritate, qua aliarum facultatum Profeſſores Doctoratu inſigniuntur, illi ceſſerit.

Cùm *Devus* orbiculum iſtum cryſtallinum, quem interdum *Anglicè the Shew-ſtone, or Skry-ſone*, interdum *Lapidem Manifeſtationis*, *Lapidem Sacrum*; & *myſticum*, ac denique *receptaculum* nuncupat, poſt finitas actiones intus ſæpiſſimè in adverſa parte aurea cortina, interdum etiam albo velo dæmonum præſtigiis obductum, ſibi ab Angelo in manus traditum fuiſſe inſulſè credidiſſet, nemini mirandum videbitur, illum cœleſte hoc munus, *gemmam ſuam*, uti paulò ante mortem appellavit, ſummo honore & reverentia habuiſſe: ne igitur temerè & quaſi impuris manibus, dum huc illuc pro re nata transferri oportuerit, tangeretur, aut in pavimentum ex rotunditate materiæ, aut ex lævore vitri fortè caderet, machinulis ex auro compactis, quibus ſedi ſuæ infixum manebat, affabrè adaptatis, maximè cavebat. Fide verò priùs data & quidem concep-

ceptis verbis, *Neminem ex malis ſpiritibus*, quorum fraudibus & illuſionibus aliter obnoxii eſſe potuiſſent, illum *ingreſſurum eſſe*, quando *Kellæus* cum Angelis extra cryſtallum in liquido aëre quaſi fluitantibus ſeſeque librantibus ſermones conſerere maluiſſet, hac de cauſa, ne ipſis fraus inde fieret, interceſſit *Devus*, qui tamen poſtea falſus eſt, quendam dæmonem forma magni moloſſi nigri coloris, ſe pro bono Angelo oſtentantem, intus apparuiſſe: quem ideo ingeſtis convitiis *canem inferni* nuncupavit. Sed hiſce dubitationibus ſubinde in animo admiſſis, & toties fraude dæmonum evaneſcentibus, promiſſione à ficto *Michaele, nullam rem immundam vas iſtud unquam in futurum ſubituram*, renovata, *Devus* in priſtinam relabitur veſaniam, licet mox quidam Dæmon *filii, in quo populi terræ erunt maledicti*, i. e. *Antichriſti*, ut ipſe interpretatur, *parens* ſe in eodem cryſtallo viſendum exhibuiſſet.

Proximo loco memoranda venit *menſa Fœderis*, Anglicè *League Table, or Table of Covenant*, cujus totam fabricam, quoad formam & dimenſiones, unà cum variis lineis, figuris, & characteribus, in plana ſuperficie inſcribendis, prout ab Angelis directoribus, præſertim à *Gabriele* edoctus fuerat, fuſè deſcribit. Figura autem iſta, quæ centrum menſæ occupat; ex quadris oblongis, in quarum ſingulis decuſſatis ignoti characteres ſignantur, conſtans, appellatur *ſigillum Dei*, nunquam niſi cum ingenti reverentia inſpiciendum, cui in omnibus actionibus Lapis myſticus erat ſuperimponendus. Illa ipſa menſa, quam *Magicam* verè appellare poterimus, in Bibliotheca *Cottoniana* etiamnum exſtat: nec ulteriori illius deſcriptione opus erit, cujus icon æri inciſa ante harumce actionum hiſtoriam, à D. *Cauſabono* editam habetur.

Ad hanc menſam ſpectabat peculiaris *ſacer*, uti appellatur, *apparatus*, putà ſtragulum, candidum linteamen inſtratum, pluteus, candelabrum, cereus, in tempore actionis ardens, pulvinaria, quibus rubræ cruces intextæ, quæ omnia Oratorio hiſce horrendis ſacris devoto pro more repoſita erant: quod nemini præter myſtas impunè ingredi licuit, ſi illorum fabulis aures faciles adhibeamus. Cùm enim in *Devi* ſacellum in ædibus *Mortlakianis* hiſce uſibus deſtinatum quidam *Laſcovii* famulus temerè irrupiſſet, ob hanc impiam *Sanctuarii* prophanationem, illum poſt paucos menſes ſubmergendum eſſe horum rituum violatorum irati vindices denunciarunt.

Præter famoſum iſtud cryſtallum ſupra memoratum, quod *primo ſanctificatum & præcipuum* appellatur, veriſimile videtur, alios etiam vitreos orbes minoris formæ, quorum frequens uſus apud Magos, uti fertur, obtinet, *Devo* ſuppetiiſſe: an verò arte facti, aut unde allati

fuerint, non quicquam, quantum ſciam, in opere edito indicavit.

Si mores exterioremque vitæ cultum contemplemur, non quicquam ipſi in probrum & ignominiam verti poſſit: utpote ſobrius, probus, affectibus ſedatis, compoſitiſque moribus, ab omni luxu & gula liber, juſti & æqui ſtudioſiſſimus, erga pauperes beneficus, vicinis facilis & benignus, quorum lites, utriſque partibus contendentium ad illum tanquam ad ſapientem arbitrum appellantibus, moderari & decidere ſolebat: in publicis ſacris cœtibus & in orationibus frequens, articulorum Chriſtianæ fidei, in quibus omnes Orthodoxi conveniunt, ſtrenuus aſſertor, zelo in hæreſes, à primitiva Eccleſia damnatas, flagrans, inque *Puccium*, qui virginitatem B. *Mariæ* ante partum *Chriſti* in dubium vocavit, acerrimè invectus: licèt de controverſiis inter Romanenſes & Reformatos circa reliqua doctrinæ capita non adeo ſcrupuoſè ſolicitus, quin ſibi in *Polonia* & *Bohemia*, ubi religio iſta dominatur & viget, Miſſæ intereſſe & communicare licere putaverit; in *Anglia*, uti antea, ita poſt reditum, omnibus Eccleſiæ *Anglicanæ* ritibus conformis. Omnes igitur non ſine cauſa mirabuntur, virum ejuſmodi dotibus moribuſque præditum in tantam, quam inſanivit, inſaniam prolabi potuiſſe. Sed quod ſupra dixi, & hîc iterùm neceſſariò repetendum videtur, immodicum ſapientiæ ſtudium, indebituſque ſcientiæ arcanorum Dei & naturæ amor illum hiſce malignorum Spirituum illuſionibus maximè obnoxium reddidere. Hos pro ſuis *Magiſtris* & *Inſtitutoribus* agnovit: Deo ſolenne ob ipſius *ad hunc beatum ſtatum* & conditionem, ipſi peculiarem, *vocationem* & *electionem* gratias agit: oratque Deum, ut *tam ſanctis hoſpitibus dignus ſit*. Tam altum nimirum in ipſius medullis inſederat, hæc impia fallaxque opinio, quod eſſent boni Angeli, ut nullis rationibus, argumentis nullis, evelli unquam potuerit. *Kellæus* hac ex parte ſapientior, qui interdum diſertim aſſeruit, illos eſſe dæmonas, & ſæpè quidem dubius animi, quicquam commercii cum iis habere nolebat; imo & omni futuræ interpellationi obſignatis tabellis renunciavit: ſed toties à *Devo* reprehenſus, quod hiſce cœleſtibus revelationibus diffidiſſet, & ejuſdem animâ in pignus & vadimonium oblata, importunis precibus & obteſtationibus, ægrè & penè invitus, ad impium iſtud, quod obibat, miniſterium retractus. Non diffitendum eſt, *Devum* iſtiuſmodi malas ſuſpiciones in animo ſubinde aluiſſe. Norat enim, Pſeudo-Angelos, virum illuſtriſſimum, D. *Henricum Sidneium*, R. *Eliſabethæ* à ſecretioribus conſiliis, qui *Hiberniæ* regnum, illius nomine & auctoritate, prudentiſſimè & feliciſſimè gubernaverat, fatis conceſſiſſe, cùm adhuc in vivis eſſet, & per multos annos poſteà ſuperſtes, tanquam ex certiſſimo

&

& infallibili oraculo proferentes, turpiter mentitos: quod crimen falſi cum illis objeciſſet, hac excuſatione, aut *Kellæum* illorum verba malè intellexiſſe, aut quendam malignum ſpiritum, dum illi aberant, vitream ſphæram occupantem, hanc fabulam & mendacium dictaſſe, in legitimam illorum innoxiæ veritatis probationem & argumentum acceptâ, facilè cum hiſce impoſtoribus redibat in gratiam. Noverat miſerrimus *Devus*, & quamplurimis exemplis convictus, faſſus eſt, malos ſpiritus, in aliis, quibus miris offuciis horrendum in modum illuderetur, operari ſolere: horumque quoque apparitiones in cryſtallo ſuo, contra quam ab initio promiſſum fuerat, antea factas fuiſſe: in quibus miros joculareſque ludos, inſtar circulatorum & agyrtarum, egere: quorum unum pro per ridiculo & ſtolido dæmone habitum, *mendacem* ipſe appellavit: quem prolato in opprobrium proverbio, *mendacem oportet eſſe memorem*, illinc abire juſſit: & tamen hæc omnia fraude dæmonum menti de veritate actionum ſcrupulos ſubtili artificio injicere cupientium, ipſis objecta fuiſſe inſulſiſſimè ſtatuit; nec quicquam mali, de *Amicis ſuis ſpiritualibus*, uti appellat, ſuſpicari voluit. Hi verò, ne qualicunque modo ab hac fatuitate liberaretur *Devus*, magnoperè ſibi laborandum eſſe cenſuere; ſæpenumerò enim, ingeſtis aſſeverationibus, ad omnem dubitationem eximendam, inculcant, *ſe eſſe bonos Angelos & nuncios Dei adminiſtros, in quorum ſocietatem ille &* Kellæus *admiſſi erant, & demum haſce illuminationes à vocibus & præſentia ſanctorum Angelorum fluere*: imo Pſeudo-Uriel ad fidem certiùs faciendam, invocato Dei nomine, *per cœlum & terram* jurat, *ſe eſſe verum Urielem, lumen & ſervum Dei*: de hiſce divinis revelationibus, ipſi & *Kellæo*, quos *Prophetas & in adventum Domini ſanctificatos eſſe dicit, traditis, certiſſima fide conſtare; quodcunque ab ipſis communicatum fuerit, certò eventurum: nec unam libri hujus prophetiæ literulam perituram*: itemque, *ex hiſce libris veram Apoſtolorum & Prophetarum doctrinam colligendam eſſe*. Identidem dixere & Pſeudo-Raphael, *quamdiu cœlum & terra durabunt, harum actionum memoriam nunquam abolendam*; & Pſeudo-Gabriel, *doctrinam hanc ipſis traditam & tradendam, in univerſarum Gentium uſum ad uſque finem mundi conſcribendam eſſe*.

Hæc falſiſſima perſuaſione inductus *Devus*, non oſcitanter, non temerè, ſubitove aut præcipiti impetu, actionibus ſe ingeſſit, ſed pio, ut videtur, & ſedato affectu, ac mente ſobria paratus acceſſit, & ſi quando actio quæpiam inſignis peragenda eſſet, qualis illa erat, cui interfuit *Stephanus* Rex *Poloniæ*, confeſſione, ut pacatam mundamque conſcientiam haberet, & cœleſtibus hiſce myſteriis capiendis aptior redderetur,

deretur, prius facta, ter feriis Paſchalibus communicavit : oratione ad Deum ſemper præmiſſa, interpoſitis piis ejaculationibus, & ſententiis, & poſt finem ſolenni doxologia & gratiarum actione trinuni Deo reddita.

Quibus autem verſutiis ſtrophiſque illum dæmones deluſerint, quod antea innuebam, hìc diductiùs indicabo.

Ut *Devo* divinæ Sapientiæ arcanis avidiſſimè inhianti, majori certiorique cum ſucceſſu palpum obtruderent impoſtores Angeli, obtendunt, res ejuſmodi, *quæ juſtos & ſanctos hactenus latuere, ipſi retectas fuiſſe & retegendas*; barbaras quaſdam voces ex varia literarum connexione conflatas, ex lingua, cujus familiarem uſum & notitiam in ſuo innocentiæ ſtatu habuit *Adamus*; qua poſt lapſum deperdita, & ex memoria ipſius penitus deleta, Protoplaſtes ille ex Paradiſo depulſus, planè obmuteſcens, linguam Ebræam diſcere coactus fuerit, nulli mortalium, præterquam illi & *Kellæo*, anteà cognita, hauſtas eſſe, triginta regiones, ſitu diſcreto diſpoſitas, inter ſpiritus, qui aërem ab elemento ignis ad terram uſque expanſum incolunt, diſpertitas, & univerſum mundum duodecim Angelorum, qui totidem tribubus præſunt, miniſterio regi inde tabulas tum literarum, tum numerorum, quas *claves apothecarum Dei* eſſe fingunt, componi mandant, numero XLIX. in quibus myſticæ voces Angelorum continentur : unde quoque *perfecta creaturarum Dei cognitio & Cabbala naturæ* erant addiſcendæ : quibus recludendis adaptatas *claves Angelicas* tradendas eſſe : *Enochi librum*, myſticis figuris coopertum, inque tenebras ex humano viſu ſubductum, *verum creaturarum Dei & univerſæ terræ uſum complectentem*, in quo componendo, Angelo dirigente & inſtituente, per integros quinquaginta dies laboravit, *Devo* per *Urielem* replicandum multa quoque alia arcana cœleſtia poſthac revelanda, & præſertim librum continentem *varias nominum Dei invocationes*, lingua ſancta conceptas, deſcribendum eſſe pollicentur: ita ut *Devus* præſtigiis hiſce planè & omninò dementatus, ſibique revelationes à Deo factas fuiſſe inſulſiſſimè perſuadens, quaſdam tum Veteris tum Novi Teſtamenti periochas ad iſtas viſiones & diabolicas enarrationes, ſicut olim divinitus S. *Joanni* Apocalyptæ & *Eſdræ* contigiſſet, comprobandas impiè detorſerit.

Cùm verò *Devus* prænoſcendi futura, quorum certæ cognitioni aſſequendæ humani ingenii & ſagaciſſimæ mentis vires planè deficiunt, deſiderio incenderetur, huic vaniſſimæ curioſitati aliqua ex parte blandiri moremque gerere, aut divinando, aut mentiendo, voluere idem impoſtores. Prædictionum enim in actionibus ubivis ſparſarum ingens pro-

ſtat

ſtat copia, ex qua numero paucas, nullo ſervato ordine temporis, excerpam: nempe, *Rodolphum* Imperatorem anni revolventis ambitu violenta morte interiturum: *Erneſtum*, illius fratrem in imperatoria dignitate ſucceſſorem fore, familiamque iſtam non niſi ad tertiæ generationis prolem manſuram: *Stephanum* Regem *Poloniæ* prælio inito occidendum menſe Septembre A. 1585. Imperium *Turcicum* prorſus evertendum, & vexillum in media *Conſtantinopoli* erigendum, A. 88. centenario quidem omiſſo; ſolem motum in contrarium cœli punctum deinceps mutaturum, quaſdamque ſtellas de cœlo caſuras: Antichriſtum ante tres annos evolutos venturum, (*Devo* interim ſubdubitante, an vaticinium illud de naturalibus annis, an verò de myſticis, ex quadraginta duobus menſibus conſiſtentibus, intelligendum eſſet) *Romam*que penitus evertendam, ne altero quidem lapide ſupra alterum ſuperſtite & relicto: Papam in ſolennibus Miſſæ vitâ exuendum, illumque qui ſubſtituendus fuerit, decimum quintum nominis aſſumendi futurum: Regem *Hiſpaniæ*, duobus annis nondum finitis, è vita exceſſurum: & circa idem tempus *Eliſabetham* Reginam ictu cœlitus immiſſo perimendam: *Curtzium*, qui de *Devo* malas ſuſpiciones aluerat, miſerè periturum: & *Emericum Sontagium*, Secretarium *Laſcovii*, ob fidem læſam, ſeipſum propria manu interempturum: denique (piget enim plura ex hiſce portentis referre) ipſum quoque *Devum* & *Kellaum* è medio tollendos, ſed ſtatim à mortuis reſurrecturos. Hæc omnia ſplendida mendacia fuiſſe, nec cuiquam ex iſtis prophetiis parem eventum, præſtituto tempore, vitæque ſequentis curriculo reſpondiſſe cum manifeſtiſſima experientia edoctus comperiſſet *Devus*, quis non exſpectaverit, illum ab iſta abſurda & impia credulitate, qua tamdiu occæcatus fuerat, jamjam revocandum, tandem iſtiuſmodi demonſtrationibus convictum, à diaboli ſtrophis laqueiſque, quibus per tot annos ad illius voluntatem & arbitrium detineretur captivus, reſipuiſſe? Sed proh deplorandam hominis cæcitatem & vecordiam! Ille planè obbruteſcens, omnique vero rerum divinarum ſenſu & intelligentia vacuus, in ſuis fatalibus erroribus uſque & uſque obduruit.

Cùm ſupra dictum fuerit, *Devum* ſanum rectumque de præcipuis fidei Chriſtianæ articulis judicium ſervaſſe, nemo mirabitur, Impoſtores in aſſerendis ſanctiſſimæ Trinitatis & divinitatis *Jeſu-Chriſti* myſteriis, occaſione data, & frequentes & impigros fuiſſe: aliter enim illum repuliſſent, ſeque ipſos reddidiſſent valdè ſuſpectos. In reliquis verò dogmatibus Theologicis, puta de tranſſubſtantiatione, confeſſione, pœnitentia, inter Pontificios & Reformatos controverſis, doctrinam Eccleſiæ

Romanæ propugnant, in *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque in genere *defectores*, ut ſtatuunt, animadvertentes, monentque illi adhærendum eſſe, ſcripturas etiam legendas, ſed non mala interpretatione pervertendas, aut privato ſenſu intelligendas. Quod *Devo* non diſplicuit, qui ſe *bonum Romanum Catholicum*, utpote in ſolennibus ſacri cultus officiis, dum hac longâ commoratione procul à patria abeſſet, ſeque & ſocium *obedientiſſimos & humillimos ſacroſanctæ Eccleſiæ filios & ſummi Pontificis Romani obſervantiſſimos*, in epiſtola ad Epiſcopum *Placentinum* obteſtatus eſt.

In aliis rebus Theologicis varii argumenti facile eſt intueri in ſingulis actionibus, quotieſcunque de myſteriis revelandis agitur, multa impia & falſa verbis turgidis conceptibuſque, à veritate tam naturæ, quàm religionis maximè alienis, obtecta, ne myſtas ſuos faciliùs ſecuriùſque fallerent, intermiſcuiſſe. Interim in Geographia naturaliſque Philoſophiæ ſcientia parum verſati, & Linguarum *Græcæ* & *Latinæ*, qua in actionibus frequenter uti conſueverint, ſaltem earundem proprietatis & elegantiæ rudes, ut *face* pro fac, Angele mee. Et tamen illi, illi ſunt, quos Devus, tanquam omnium Scientiarum, tam naturalium, quàm divinarum, promos condos ſummo cum affectu & obſequio coluit, & pro infallibilibus Magiſtris pro ſatuitate ſua habuit.

Huic obſtinationi fortiùs inducendæ duo memorandi caſus non parum conducere videntur.

Actione decimo die Aprilis A. 1586. *Pragæ* habita, juſſus eſt *Devus*, ut libros omnes, numero viginti octo, in quibus, ut ſupra memoravi, revelationum, ipſi ab initio ad iſtud tempus factarum, hiſtoriam accuratè propria manu deſcripſerat, afferret, & deinde ſimul congeſtos in ardentem fornacem prope poſitum conjiceret, flammis penitus abſumendos. Huic mandato contra ire neutiquam auſus, quod imperatum fuerat, animo licèt maximè reluctante, citra moram præſtabat, & quidem perquam diligenter, ne aliter violatæ divinæ voluntatis reus peragereturr. Ita omnis iſte labor per tot annos in colligendis hiſce arcanis impenſus, paucis momentis coram ipſius oculis periiſſe viſus eſt. Procul dubio irreparabile hoc damnum luctu, gemitibus, lachrymiſque deploravit *Devus*, tanquam manifeſtum irati Numinis indicium: omni ſpe aut eaſdem revelationes redipiſcendi, aut novas obtinendi, evaneſcente & exciſa. Verumtamen decimo nono ejuſdem menſis die, monitus à ſpiritu, habitum formamque hortulani, qui vineam ædibus vicinam coluit, induto ut illuc cum *Kellæo* deſcenderet, poſtquam loco commodo aliquantulum ſimul conſediſſent, *Devus* philyram candidæ papyri huc

illuc

illuc vento agitatam juxta videns, properoque pede illò contendens, tres è libris combuſtis, ibi ſub amygdala humi ſtratos, non ſine ingenti ſtupore & lætitia reperit, viz. *Enochi librum*, *quadraginta claves Angelicas*, utpote lingua Angelica conſcriptas, & Anglicè verſas, & librum *collectionis triginta aerum*, *cui titulus*, *Liber ſcientiæ terreſtris auxilii & victoriæ*. *Kellæo* ſtatim accedente, ambo flexis genibus ſummas Deo, ob hoc *miraculum & factum*, uti appellant, *memorandum in perpetuum*, gratias agunt, planè obſtupefacti, quod abſque omni coloris aut odoris inducti mutatione ab igne intacti, illæſi & integri ſervarentur.

Paulò poſt, *Kellæus*, præeunte eodem ſpirituali hortulano, ad ædes primùm, januis camerarum, ut obtenditur, ultro apertis, & deinde ad fornacem ductus, ab illo, facie verſus illius oſtium obverſa, reliquos omnes libros, præter unum & alterum mox reſtituendos, ipſi à tergo porrectos acceptoſque *Devo*, hujus apparitionis eventum præſtolanti, reportavit. Hæc omnia in commentarios ſuos, omnibus circumſtantiis accuratiſſimè adnotatis, extemplò retulit *Devus* illiuſque rei præcipua capita & ſummam poſtea in literis ſequente Julio ad ſupra memoratum Nuncium Apoſtolicum tranſmiſit.

Alterum oſtentum, vel quocunque nomine appellandum eſt, quod *Devo Trebonæ* A. 1587. commoranti contingebat, ita ſe habet.

Dum ille viceſimo quarto Aprilis die in Oratorio actioni interfuit, *principale illud Cryſtallum*, de quo tanquam de cœleſti munere gloriari conſuevit; una cum aureo ſuſtentaculo, à quodam ſpiritu paulò ante in ſublime elevatum, extra abripiebatur. At poſt menſem, *Devo* & *Kellæo* in horto ambulantibus, hic duos juxta ripas fluvii vidit gladiis pugnantes, quorum alter alterum objurgat ob neglectum ipſi de reſtituendo Lapide injunctum munus, jubetque, ut eundem ſubter cervical lecti uxoris *Devi* quàm citiſſimè reponeret. Dictum factum, quo intellecto, *Devus* ad cubiculum ſuum ſeſe proripuit, explorato lecto, quo uxor ægra tunc temporis decubuit, ſublatoque cervicali, *pretioſum ſuum Lapidem* lætiſſimis oculis vidit reperitque. Ita hiſce Dæmonum fraudibus & præſtigiis ſibi craſſè imponi paſſus eſt.

Vix quidem dubitandum videtur, aliquam famoſi pulveris chryſopoetici portionem *Devo* & *Kellæo* ſuppetiiſſe: unde verò habuerint, non adeò clarè liquet: neque enim artem hanc mirificam aut hic aut ille, licèt ambo chymiæ ſtudioſiſſimi, grande iſtud arcanum aut propria induſtria, aut à ſeductoribus ſpiritibus fallacibus proceſſibus inſtructi, per multos annos inveſtigare conarentur, unquam adepti ſunt. Ferunt, nec quidem ab omni ſimilitudine & ſpecie veri, vaſculum quoddam, in quo

pulvis iſte incluſus erat, in effodiendis *Abbatiæ Glaſconienſes* in agro *Sommerſertenſi* ruderibus olim repertum fuiſſe; juxta oppoſito libro figuris hieroglyphicis oppleto: in quibus interpretandis & explicandis *Devi* fruſtra defudavit induſtria. Ad fidem verò faciendam ille ſincerè & coram Deo, reſpectu ad theſauri iſtius ſive quantitatem ſive pretium & valorem habito, *omnes Regum Chriſtianorum opes ſimul collectas congeſtaſque non decima iſtius parti æquiparandas* eſſe obteſtatur. At poſtea Aprile 1587. cacodæmon, nomine *Ben*, pulveris in manus *Kellæi* tradendi honorem ſibi aſſumit.

Quicquid fuerit, D. *Roſenbergium*, quandam hujuſce pulveris portionem, (circiter duas uncias) ab iiſdem accepiſſe, ex illius quæſitis in Appendice reperiendis conſtat. Comitem etiam *Averspergenſem*, elixirs, ut videtur, iis communicantibus, compotem, diſcis argenteis, ex vaſis ſtanneis inde tranſmutatis, pro more luſiſſe refert *Devus* filius, de quo mox dicam, qui ultra in familiari cum celeberrimo & eruditiſſimo viro, D. *Thoma Bruno*, *Norwici*, ubi utrique longo uſu & amicitia conjunctiſſimi, artem Medicam profeſſi ſunt, converſatione olim habita, ſæpè aſſeruit, idque quidem interpoſito juramento, ſe hanc *projectionem bis factam vidiſſe*: ut alia ſive τερατωδεύματα, ſive commenta, à noſtratibus, pyrotechniam ad inſaniam uſque excolentibus, in medium produci ſolita, hîc omittam. Nolo in rem facti rigidè nimis inquirere: ſolummodo repoſiturus, filium tunc temporis nonum ætatis annum haud attigiſſe, & prorſus ab omni ratione & fide abhorrere videri, Patrem, ſi iſtiuſmodi ingentem theſaurum ſecum ex *Anglia* detuliſſet, ad ſummam inopiam & incitas redigi potuiſſe, aut adeo improvidum fuiſſe, ut non ſibi aliquantulam partem ad neceſſitatibus, quibus poſtea premebatur & laborabat, anguſtiſque rebus domeſticis commodè ſubveniendum, in patriam redux reſervaverit.

Kellæum Necromanticum, & à longo tempore artibus Magicis *initiatum* fuiſſe, ex ſupra dictis conſtat; quod hoc duplici argumento ulterius confirmari poteſt: tum quod, *Laſcovio* præſente, dæmonas viſibili forma apparituros, ſive illius curioſitati gratificaturos, ſive ex vaniſſimo poteſtatis, quam habuit, in illos exercendæ pruritu, ſuſcitare in ſe ſuſciperet. Sed *Devus* interceſſit, neque horrendum iſtud ſcelus perpetrari ſivit: tum quod reprehenſus à *Devianis* ſpiritibus, quod cum dæmonibus commercium habuiſſet, tantum abfuit, ut id aut excuſaverit, aut negaverit, ut id ſibi omnino licere quaſi gloriabundus acriter contenderet. Moribus erat ſolutis, ingenio effero, turbulento, & ad rixandum maximè proclivi: ſi vel leviuſculè provocatus, ſive ſi res contra votum

&

& exſpectationem accidiſſent, in furorem & rabiem actus: vino indulgens, technis doliſque malis loculos incautorum, quos verbis fallacibus tefellerat pecuniis & gemmis emungens, de cudenda adulterandaque publica moneta ſuſpectus, adeo ut ſcitum de illo deprehendendo è foro judiciali fuerit emiſſum: denique omni vero probitatis & religionis ſenſu vacuus. Hæc omnia triſtis vidit & exploratiſſima habuit *Devus*, animo conſternatus, tum ne in ipſius dehoneſtamentum & dedecus cederet, quod hominem, ejuſmodi moribus ſpurcis incompoſitiſque infamem, ſibi in ſocium adſciviſſet, tum ne *ſanctum illud opus*, cui, ita ille apertis oculis ſomniavit, *ambo ſimul & conjunctim deſtinati erant*, abrumperetur, abiretque in nihilum. Hac de cauſa, licèt perpetuis contentionibus rixiſque vexatus, & flagitiis in oculos incurrentibus graviſſimè offenſus, illum blandis ſermonibus leniſſimiſque conſiliis & hortatibus ad ſanam ſobriamque mentem reducere ſæpè, & quidem maximo opere, anniſus eſt. Ita de *Kellæi* ad Deum converſione & pœnitentia, & de propoſito vitæ juxta virtutis & religionis normam inſtituendæ ſuſcepto, & de dæmonibus ex corpore illius ejectis pluſquam ſemel triumphare videtur *Devus*: ſed falſum eſſe animi repetita experientia comprobavit. *Kellæus* enim, habitu & longo uſu quaſi in naturam mutatis, in priſtinos mores relabitur. Interim lucidis intervallis, quod hîc repeti oportet, ſæpenumerò de viſionibus in cryſtallo factis, an bonorum Angelorum eſſent, dubitat: imo omnia iſta portenta Dæmonum præſtigiis fieri aſſeverat, *Devo* contra cum majori acritate aſſerente: tandemque abdicato *Inſpectoris* munere, nihil cum illis deinceps acturum, ſeria deliberatione habita, apud ſe firmiſſimè ſtatuit, ob id, cùm muneris tamdiu adminiſtrati primo tæderet, voce cœlitus emiſſa, objurgatus. Quo audito Devus totus mœſtitia & horrore oppletus, quaſi jam actionibus futuris finis eſſet imponendus, ſpiritualibus ſuis Magiſtris de novo *Inſpectore* conſultis, illorum conſiliis & juſſu, ad iſtud munus obeundum, *Kellæi*que vices ſupplendas filium *Arthurum* Puerum, anno ætatis octavo nondum exacto, Septembre MDLXXXVII. ſubſtituit, utpote prius, *Kellæo* juxta aſſiſtente, initiandum, & per tres dies continuos, iteratis vicibus, oratione ad Deum, quâ novus Symmyſta *in exercitiis ſuis myſticis uti debuit*, præmiſſa, huic ſacro miniſterio conſecravit. Sed omninò fruſtra: ſpiritus enim illi, quos *fideles ſervos Dei* appellat *Devus*, licèt invîtati, neutiquam comparuere. Tandem tertio die *mirabili fortuna ſive fato divino*, verba *Devi* ſunt, acceſſit *Kellæus* ad illos, nondum aliqua apparitione puero facta, & ad abdicatum munus reverſus eſt. Inde mox ſecuta eſt execranda iſta actio de communi & promiſcuo uxorum concubitu admittendo, quam ſupra retuli. *De-*

Devum jamjam in patriam reverſurum *Kellæus* comitari noluit, ſive criminum ſuorum conſcius, ſive ſpe longiori mora reparandi fortunas concepta. Ideo *Pragam* ſe citò proripuit, *Rodolphi* gratiam quoquam modo conciliaturus: quam & facilè obtinuit, ſive ex pulvere aurifico, quem à *Devo* ſurreptum clam apud ſe retinuiſſe perhibetur. Imperatori, chymicis experimentis addictiſſimo, in manus tradito, ſive ex exquiſita artis Chymicæ, & ex ignobilioribus metallicis foſſilibus, quibus *Hungaria* & *Bohemia* abundant, aurum & argentum faciliori methodo extrahendi peritia. Hinc ipſius Chymicus conſtitutus, titulo & dignitate Baronis in regno *Bohemico* A. MDXC. augebatur. Sed felici hac proſperaque rerum conditione ac vice benè uti neſciebat: quippe qui animo elatus, magnas opes, ut quibuſdam placet, Elixiris beneficio acquiſitas & congeſtas, luxu & vaniſſima magnificentiæ & pompæ affectatione prodegit. Poſtea autem fraudis, qua Imperatorem, benigniſſimum Patronum & Fautorem ludificari pro verſutia ſua voluit, manifeſtus, in arcem conjicitur, ibi perpetui carceris pœnam luiturus. Tandem à Regina *Eliſabetha* in *Angliam* invitatus, aliis elabendi modis fruſtra quæſitis, ex alto ope funis ſecus muros deſcendere dum aggreſſus fuerit, in terram decidit & fractis oſſibus contuſiſque lumbis A. M D XCV. poſt paucos dies miſerè periit.

Supereſt, ut de *Arthuro Joannis* noſtri primogenito, pauca dicam, de reliqua numeroſa illius prole parum ſolicitus.

Ille nuptiis cum lectiſſima femina è nobili familia oriunda, *Manceſtriæ*, durante Patris præfectura, feliciter initis, matureſcente cum annis judicio, Medicinæ & Chymiæ ſtudiis, nunquam deinceps intermittendis, ſe totum devovit. Aliquanto poſt tempore ingenio & eruditione pollens, peregrinandi avidus, *Cæſari Moſcovitico*, qui Medicum *Anglum* eò mittendum expetiverat, à ſereniſſimo Rege, *Jacobo* primo *Britanniarum* Monarcha, commendatus, in iſta Aula per octodecim annos ſumma cum laude moratus eſt. Poſt reditum inter Medicos juratos ſereniſſimi Regis *Caroli* I. recenſitus, fixas ſedes ſequioribus vitæ annis in civitate *Norwicenſi* habuit, ibique confecta ætate ſeptuagenario major, diem ſuum ultimum circa A. 1650. obiit, & in Eccleſia S. *Georgii* ſepultus jacet. Dum *Moſcuæ* vixit, libellum, in quo collectanea præcipui momenti è ſcriptis *S. Dunſtani*, *Artephii*, *Raymundi Lullii*, *Arnoldi de Villanova*, *Riplei*, *Daſtini*, *Bernardi* Comitis *Treviſani*, aliorumque ſelectorum acutiſſimorumque Hermeticæ Philoſophiæ Magiſtrorum, quos perfectam grandis iſtius naturæ arcani cognitionem ſublimi ingenio, & indefeſſa induſtria, afflatu divino adjutis, adeptos fuiſſe adhuc-

dum

dum crepant illorum filii & diſcipuli, ordinata & diſtincta methodo digeſto, corollariis ſingulis capitibus explicationis cauſa annexis, continentur, lingua Latina A. 1629. compoſuit, eo fini, ut hujus *divinæ artis*, uti appellat, ſtudioſi in perſcrutandis naturæ arcanis, ut ut ſub parabolarum, ænigmatum, æquivocarumque phraſium involucris, pro more, obtectis, & in inveſtigando & conficiendo deſideratiſſimo lapide meliùs & faciliùs dirigerentur. Ita ſibi in formandis & per univerſam vitam fovendis iſtis conceptibus mirè placuit indulſitque, ut famoſiſſimum quendam Chymicum, gente *Hungarum*, relicta *Anglia*, adiiſſe duobus ante mortem annis, animo planè haberet, ni ſenectis incommoda interceſſiſſent, hac ſola de cauſa, ut *ſolennem hujus magni operis proceſſum*, ut ille loqui amavit, aggrederetur. *Faſciculum* hunc Chymicum V. C. *Elias Aſhmolius* ſub anagrammatiſmo celans nomen, aſſumptoque etiam *Mercuriophili Anglici* titulo, vernaculo noſtro ſermone A. 1650. edendum curavit, accumulatis in præfatione ſua in Auctorem magnificis elogiis, quaſi, edito hoc egregio ingenii & induſtriæ fœtu, omnes artis Spagyricæ cultores & alumnos ſibi in æternum obſtrinxiſſet. Interim non poſſum ſatis mirari, *Devum* patrem filio tantæ ſpei & in illius pueritia horrendis ſacris initiato, quando in virilem ætatem adoleverit & idoneus videretur iſtorum myſteriorum auditor, ſchedas, *actiones, & conſultationes cum ſpiritibus habitas* complectentes, non oſtendiſſe, aut legendas permiſiſſe; neque enim quicquam ex iſtis ſibi compertum fuiſſe, præſente D. *Bruno* ſupra memorato, profeſſus eſt) niſi forte dici poſſit, illum *Relationes* iſtas mox poſt reditum ex *Bohemia* ſubtus terram aut alibi abſcondiſſe, nunquam ſe vivo in lucem producendas, ne ſi quoquam caſu comparuiſſent, iſthoc prætextu & ex iſtiuſmodi claris indiciis, in illum tanquam Magum & diabolicæ doctrinæ propagatorem, capitali pœna; juxta legum rigorem exigendâ animadverteretur.

In-

Index librorum, quos partim Latinè, partim Anglicè, ſcripſit Joannes Devus.

Impreſſi.

1. PRopædeumata Aphoriſtica, de præſtantioribus quibuſdam naturæ virtutibus Aphoriſmi 120. *Londini* anno 1558.

2. Monas Hieroglyphica ad Regem Romanorum Maximilianum, *Antuerpiæ* 1564.

3. Epiſtola ad eximium Ducis Urbini Mathematicum, Fredericum Commandinum, præfixa libello Machometi Bagdedini de ſuperficierum diviſionibus, edito opera Devi & ejuſdem Commandini Urbinatis *Piſauri* 1570. Exſtat MS. in Bibliotheca Cottoniana ſub Tiberio B. IX. Poſt præfationem hæc habet D. *Uſſerius* Archiepiſcopus Armachanus. *Notandum eſt autem, Auctorem hunc* Euclide *uſum in Arabicam linguam converſo, quem poſtea* Campanus *Latinum fecit. Auctor igitur propoſitionum videtur fuiſſe* Euclides: *demonſtrationum, in quibus* Euclides *in Arabico codice citatur*, Machometus Bagded *ſive* Babylonius.

4. The Britiſh Monarchy, othewiſe called the petty-Navy Royal. A. 1576. Reperitur MS. in muſeo Aſhmoliano.

5. Preface Mathematical to the Engliſh Euclide publiſhed by Sir Henry Billingſleg Knight: where he ſayes many more arts are wholly invented by name, definition, property, and uſe, than either the Grecian or Roman Mathematicians have left to our knowledge. A. 1570.

6. Divers and many Annotations and Inventions, diſperſed and added after the tenth book of Engliſh Euclide. A. 1570.

7. Epiſtola præfixa Ephemeridibus Joannis Feldi. A. 1557. cui rationem declaraverat Ephemerides conſcribendi.

8. Parallaticæ commentationis praxeoſque Nucleus quidam. *Londini* 1573.

Inediti, quorum aliquot reliquit imperfectos.

1. The great volume of famous and rich diſcoveries: wherein alſo is the hiſtory of King Solomon, every three years his Ophirian voyage: the originals of Presbyter Joannes, and of the firſt great Cham and his ſuc-

ſucceſſors for many years following: the deſcription of divers wonderfull iſles in the Northern, Scythian, Tartarian, and the other moſt Northern ſeas, and neere under the North-Pole; by record written 1200 yeares ſince, with divers other rarities. A. 1576. Exſtat in bibliotheca Cottoniana ſub Vitellio: C. VII.

2. The British Complement of the perfect art of Navigation. A great volume, in which are contained our Queen Eliſabeth her tables gubernautick for navigation by the paradoxall compaſs (invented by him A. 1557.) and Navigation by great circles: and for longitudes and latitudes, and the variation of the compaſs finding moſt eaſily and ſpeedily, yea if need be, in one minute of time, and ſome time without ſight of ſun, moone, or ſtarres: with many other neu and needfull inventions gubernautic. 1576.

3. Her Majeſties title royal to many forraigne countryes, kingdoms, and Provinces, by Good teſtimony and ſufficient proofe recorded, and in twelve volume skinns of parchment fair written for her Majeſties uſe, and at her Majeſties commandment. A. 1578.

4. De Imperatoris nomine, auctoritate, & potentia: dedicated to her Majeſty: in Engliſh A. 1579.

5. Prolegomena & Dictata Pariſienſia in Euclidis Elementorum Geometricorum librum primum & ſecundum, in Collegio Rhemenſi. A. 1550. Vide præfationem ad R. Maximilianum Monadi Hieroglyphicæ præfixam. pag. 20.

6. De uſu globi cœleſtis ad R. Edwardum ſextum. A. 1550.

7. The Art of Logic in Engliſh. A. 1547.

8. The thirteen Sophiſticall fallacies, with their diſcoveryes, written in Engliſh meeter. A. 1548.

9. Mercurius cœleſtis. Libri 24. written at Louvaine. A. 1549.

10. De nubium, Solis, Lunæ, ac reliquorum Planetarum, imo ipſius ſtelliferi cœli ab infimo terræ centro, diſtantiis, mutuiſque intervallis, & eorundem omnium magnitudine liber ἀποδεικτικὸς ad Edwardum ſextum, Angliæ Regem. A. 1551.

11. Aphoriſmi Aſtrologici 300. A. 1553.

12. The true cauſe and account (not vulgar) of floods and ebbes: written at the requeſt of the right honourable Lady, Lady Jane, Ducheſſe of Northumberland. A. 1553.

13. The Philoſophical and Poetical Original occaſions of the configurations and names of the heavenly aſteriſmes: written at the requeſt of the ſame Ducheſſe. A. 1553.

14. The Aſtronomical and Logiſtical rules and canons, to calculate the Ephemerides by, and other neceſſary accounts of heavenly motions: written at the requeſt, and for the uſe of that excellent Mechanicien, Maſter Richard Chancellor, at his laſt voyage into Moſcovia. A. 1553.

15. De acribologia Mathematica volumen magnum, ſexdecim continens libros. A. 1555.

16. Inventum Mechanicum, paradoxum, de nova ratione delineandi circumferentiam circularem; unde valdè rara alia excogitari perficique poterunt problemata. A. 1556.

17. De ſpeculis comburentibus libri 6. A. 1557. Aliquantilla pars exſtat in bibliotheca Cottoniana ſub Vitellio C. VII.

18. De Perſpectiva illa, qua peritiſſimi utuntur Pictores. A. 1557. Idem fortaſſe libellus cum illo, qui adhuc ſupereſt in Bibliotheca Cottoniana ſub Vitellio. C. VII. ſub hoc titulo: *Perſpectiva, ſive elegans & utilis libellus de arte menſurandi cum circino & regula.*

19. Speculum unitatis, ſive Apologia pro Fratre Rogerio Bacone Anglo: in quo docetur, nihil illum per dæmoniorum feciſſe auxilia, ſed Philoſophum fuiſſe maximum, naturaliterque & modis homini Chriſtiano licitis, maximas feciſſe res, quas indoctum ſolet vulgus in dæmoniorum referre facinora. A. 1557. (*a*)

20. De Annuli Aſtronomici multiplici uſu. A. 1557.

21. Trochilica inventa. Lib. 2. A. 1558.

22. Περὶ ἀναβιβασμῶν θεολογικῶν. lib. 3. A. 1558.

23. De tertia & præcipua Perſpectivæ parte, quæ de radiorum fractione tractat. lib. 3. A. 1559.

24. De itinere ſubterraneo. lib. 2. A. 1560.

25. De triangulorum rectilineorum areis lib. 3. demonſtrati ad excellentiſſimum Mathematicum, Petrum Nonium, conſcripti A. 1560.

26. Cabbalæ Hebraicæ compendioſa tabella. A. 1562.

27. Reipublicæ Britannicæ Synopſis: in Engliſh. A. 1565.

28. De trigono circinoque analogico opuſculum Mathematicum & Mechanicum: lib. 4. A. 1565. Exſtat in Bibliotheca Cottoniana ſub Vitellio C. VII.

29. De Stella admiranda in Caſſiopeiæ aſteriſmo, cœlitus demiſſa ad orbem uſque Veneris: iterumque in cœli penetralia perpendiculariter retracta poſt decimum ſextum ſuæ apparitionis menſem. A. 1573.

30. Hipparchus redivivus: Tractatulus. A. 1573.

31. De

(*a*) Meminerat longè antea *Devus* in præfatione ad Regem *Maximilianum*, Monadi Hieroglyphicæ præfixa. pag. 11.

31. De unico Mago & triplice Herode, eoque Antichriſtiano A. 1570.

32. Ten ſundry and very rare Heraldical blaſonings of one creſt or cogniſance, lawfully confirmedto certain ancient armes. lib. 1. A. 1574.

33. Atlantidis, vulgariter Indiæ Occidentalis nuncupatæ, emendatior deſcriptio Hydrographica, quàm ulla alia adhuc evulgata. A. 1580.

34. De modo Evangelii Jeſu Chriſti publicandi, propagandi, ſtabiliendique inter infideles Atlanticos: volumen magnum libris diſtinctum quatuor; quorum primus ad ſereniſſimam noſtram potentiſſimamque Reginam Eliſabetham inſcribitur: ſecundus ad ſummos privati ſuæ ſacræ Majeſtatis Conſilii Senatores: tertius ad Hiſpaniarum Regem Philippum: quartus ad Pontificem Romanum, A. 1581.

35. Navigationis ad Cathayam per ſeptentrionalia Scythiæ & Tartariæ litora delineatio Hydrographica, Arthuro Pett & Carolo Jackmanno Anglis, verſus illas partes navigaturis, in manus tradita, cum admirandarum quarundam inſularum annotatione in illis ſubpolaribus partibus jacentium. A. 1580.

36. Hemiſphærii Borealis Geographica atque Hydrographica deſcriptio, longè à vulgatis chartis diverſa: Anglis quibuſdam verſus Atlantidis Septentrionalis litora, navigationem inſtituentibus dono data. A. 1583.

37. The originals and chiefspoints of our antient Britiſch hiſtoryes diſcourſed upon and examined. A. 1583.

38. An adviſe and Diſcourſe about the reformation of the vulgar Julian yeare, written by her Majeſtyes commandment, and the Lords of the privie Councill. A. 1582.

39. Certain conſiderations and conferrings together of theſe three ſentences, antiently accounted as oracles: *Noſce teipſum: Homo homini Deus: homo homini lupus.* A. 1592.

40. De hominis corpore, ſpiritu, & anima: ſive microcoſmicum totius naturalis Philoſophiæ compendium. lib. 1.

41. The compendious Rehearſal of John Dee his dutifull declaration and proofe of the courſe and race of his ſtudious life for the ſpace of halfe an hundred yeares, &c. A. 1592. Exſtat MS. in Bibliotheca Cottoniana ſub Vitellio C. VIII.

42. De horizonte æternitatis. 3. libr. 1. de horizonte: liber Mathematicus & Phyſicus. 2. de æternitate: Liber Theologicus, Metaphyſicus, & Mathematicus. 3. de horizonte æternitatis: liber Theologicus, Mathematicus, & Hierotechnicus.

43. Thalattocratia Britannica, ſive de Britannico maris imperio Col-

lectanea extemporanea, quatuor dierum ſpatio, celeri conſcripta calamo. A. 1597. Septembr. 20. Manceſtriæ.

Hactenus librorum *Devi* titulos ex ipſius indicibus propria manu exaratis, quos etiam ipſe in Epiſtola apologetica ad reverendiſſimum D. *Joannem Whitgiſium*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem* A. 1595. edidit, recenſui. Exſtant autem in Bibliotheca Cottoniana ii, qui ſequuntur.

Correctiones & ſupplementa Sigeberti ex MSS. Codicibus per Joannem Dee ſub Vitellio. C. IX.

De coni recti atque trianguli ſectione illa, quæ *Parabola* ab antiquis Geometris vocabatur ſub Vitellio. C. VII.

Several letters and papers between John *Dee* and Roger Edwards of a Theological argument. Sub Vitellio. ibid.

His bookes and papers concerning his converſation and actions with ſpirits: with the original letters of ſeveral Princes and great men to him. In a box. Theſe printed by Dr. Meric Caſaubon. A. 1559.

Vix operæ pretium videbitur heic addere, verſus quoſdam nullo ingenii ſale aut grato ſapore reſperſos, interdum à *Devo* Anglicano ſermone compoſitos fuiſſe, & ab ipſo ſubinde, ætate pene delira, editos. Ne verò *Nortono*, *Ripleo*, reliquiſque artis Chryſopoeticæ celebratiſſimis Magiſtris, qui iſtiuſmodi arcana ſub parabolis involuta rythmicè publicarunt prorſus diſſimilis haberetur: ille quoque *Teſtamentum* (ſic enim impropriè appellatur) ſive potius breve conſilium quatuordecim verſibus comprehenſum, ad *Joannem Guynne* A. 1568. tranſmitti voluit: quod in Theatro Chymico Britannico ſervari curavit *Elias Aſhmolius*: ubi quoque exſtant duo *Edwardi Kellæi* Opuſcula Rhythmica de lapide Philoſophorum.

In muſeo Aſhmoliano *reponuntur tria volumina varii argumenti.*

In Primo Volumine.

1. COmpendious rehearſal of John Dee, his dutifull declaration and race of his ſtudious life for the ſpace of fifty yeares.

2. Præfatio Latina in actionem primam ex ſeptem habitam X. Aprilis Pragæ, & jam in Latinam converſa ſermonem. A. 1586.

3. Epiſtola ad Gulielmum Camdenum, data Mortlaci, VII. Auguſti 1574.

4. The

4. The Contents of the Chapters of Dr. Dees booke, entitled, *Of famous and rich diſcoveries.*

5. A ſupplication to Q. Mary for the recovery and preſervation of antient Writers and Monuments.

6. A letter from Dr. Aubrey, one of the Maſters of Requeſts to Q. Eliſabeth, to Dr. Dee, upon his peruſal of his booke *of the Britiſh Monarchy.*

7. Bartholomæi de Rekingen, dicti Caricter, Medici Cæſarei Epiſtola ad D. Joannem Dee Londinenſem de cancro curando, data Viennæ pridie natalis Domini 1564.

8. A letter from John Dee then Warden of Mancheſter College, to Sir Robert Cecil, Secretary of State, about ſome diſorders and injuries done to that College, dated at Mancheſter 18. June.

9. Duplex ſchema nativitatis Joannis Dee: unum ex ephemeridibus Tubingæ, alterum ex J. Strecti tabulis calculatum: Londini ab E. Aſhmolio, in privatum, ut puto, ſui & amicorum uſum, editum.

10. Schema natalitium *Edwardi Kellæi* à Devo formatum erectumque (ab Elia Aſhmolio in Theatro Chymico pag. 479. Londini editum, & illius obſervationibus illuſtratum) una cum aliis ſchematibus ejuſdem generis.

11. Several letters and papers concerning ſome notes of the life of Dr. Dee.

Vol. II.

1. A plain diſcourſe and humbl adviſe for Q. Eliſabeth to peruſe and conſider: as concerning the needfull reformation of the vulgar Calender for the civil yeares and dayes accompting or verifying according to the time fully ſpent.

2. A letter of Dr. Aubrey to John Dee about his booke of the Britiſh Monarchy, written 1577.

3. General and rare memorials pertaining to the perfect art of Navigation: annexed to the paradoxall compaſs in plaine. This written A. Ch. 1577. ſola pagina (ſi in pugillaribus rectè annotavi) titulo tenus hic reperitur.

4. An advertiſement to the Reader concerning an Apology for and the praiſes of Dr. Dee written in the yeare 1577.

5. A diſcourſe about the British Monarchy: where there is a project about a petty navy royall and the benefits of it: with ſeveral remarks

APPENDIX,

AD

JOANNIS DEE VITAM

Sereniſſimo ac potentiſſimo Principi ac Domino, Domino RUDOLPHO, *Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, ac* Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, *&c Regi, Archiduci* Auſtriæ, *Duci* Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, *&c. Comiti* Tyrolis, *&c. Domino meo Clementiſſimo.*

OMNIPOTENTIS noſtri Creatoris, Chriſtianorum omnium Imperatorum Feliciſſime, O RUDOLPHE, tam eſt hominibus incognita illa, quæ cuncta diſponit perficitque, Providentia, rataque ipſa rerum ſeries, & coordinatio, à primo ad ultimum, quòd à pleriſque temerè, fortuitò, vel caſu, hoc illove evenire modo, exiſtimentur omnia, quæ extra præterve ſuorum conſiliorum deſignationes fieri conſpiciant. Verùm, quibus eſt mens divinæ veritatis lumine colluſtrata, & ad multiplices longiſque intervallis diſtinctas rerum conſecutiones conſiderandas attentior, evidentiſſimè deprehendent illi quidem, quæ, quibus præcurriſſe, tanquam cauſas occaſioneſque neceſſarias, alio priori, & interdum longè diverſiſſimo, tempore, oportuerat. Atque ut varietatem nunc omittam exemplorum, quæ ex aliorum hominum inter ſe collatis vitis, conditionibus, factiſque adferre poſſim, exemplum ſatis conſpicuum hoc unicum fieri poſſit: Nimirùm illa, incredibilis ferè, quæ inter Sacram Cæſaream Majeſtatem veſtram & humillimum in Deo mancipium me veſtrum, ex multiplicibus utrinque præcurrentibus occaſionibus, jam quaſi inſtare videtur, in unum idemque admirandum quid combinatio divinaque conſpiratio. Ambiverunt me (Juvenem) illuſtriſſimi Imperatores duo: victorioſiſſimus ille CAROLUS QUINTUS, & ejuſdem frater, FERDINANDUS, veſtræ Cæſareæ Majeſtatis Magnificentiſſimus

Ne dicas coram Angelo non eſt Providentia. *Eccleſiaſtes* cap. 5.

mus Avus. Hic, *Poſonii*, *Hungariæ*: ille verò, *Bruxellæ*, *Brabantiæ*. Hic, Anno 1563. Ille autem, Anno 1549. At clementiſſimum Imperatorem MAXIMILIANUM, Cæſareæ veſtræ Majeſtatis patrem, immortali gloriâ dignum, jam tum *Hungariæ* coronatum Regem, invitiſſimo quidem ipſo Tyranno *Turcico*, eodem in *Poſonio*, eodemque Anno 63. in deliciis habere cœpi: illiuſque rariſſimas virtutes, cùm fideliter colere, tum poſteritati eaſdem reddere commendatiſſimas, opere quodam conabar Hieroglyphico.

* Libelli *Monadis Hieroglyphicæ* Theoremate 20. jam ante 20. annos editi.

Quo etiam in labore exantlando, animus mihi præſagiebat, AUSTRIACÆ * familiæ alium fore aliquando aliquem, in quo maxima mea ſpes, & publico Chriſtianorum Statui, res confirmaretur, vel confirmari poterit, optima, maximaque. Veſtræ igitur Cæſareæ Majeſtati, Imperatorum *Romanorum*, ex *Auſtriacorum* Principum nobiliſſimâ familiâ, meâ ætate florentium, QUARTO, adſum, & ego, Triplicis Alphabeti, Litera † Quarta. Atque ita adſum, ut meipſum ad pedes Cæſareæ Majeſtatis veſtræ demiſsè oſculandos offeram: plurimùm gaviſurus, ſi quâ in re Chriſtianæ Reipublicæ, Imperatori tanto talique gratus utiliſve eſſe potero.

† D
Δ
ϒ

Veſtræ Sacræ Cæſareæ Majeſtati ſoli ſi hæc aliquandiu conſtare patiemini, neminique detegere velitis, rem facietis valdè neceſſariam.

CÆSAREÆ MAJESTATIS VESTRÆ.

Humillimus & Fideliſſimus Clientulus

JOANNES DEE.

Pragæ, Anno. 1584.
Auguſti 17.

Illuſtriſſimo Domino, Domino Don GULIELMO DE SANCTO CLEMENTE, *Sereniſſimi atque Catholici* Hiſpaniarum *Regis Negotiorum apud Sacram Cæſaream Majeſtatem, &c. Præfecto, Domino meo obſervandiſſimo.*

EA eſt hominum in terris conditio, Nobiliſſime vir, ut ſibi ſoli nullus natus eſſe videatur: immo neque ſibi ullus omnia ſponte naſcentia, vel ultro ab aliis oblata, quæ ſibi maximè ſunt neceſſaria, recipiat. Mutuæ inde hominum emerſerunt Societates, mutuæ amicitiæ, mutuæ operæ, mutua dona, rerum commutatio, & emptionis, rerumque venditionis contractus: aliique diverſi hominum exiſtunt Status, unde hominum inter homines, & cum hominibus, multiplicia procurantur officia commerciaque. Neque omnium iſtorum ſola eſt utilitas, vel, quæ peribit, voluptas, ſcopus ille, vel finis, quem attingere conantur & ſtudent: ſed aliud aliquibus eſt propoſitum, quod divinius quidem eſt, quod virtutem vel honeſtatem nominare poſſumus; quæ cœlitus demiſſa, hominum informet mentes & ornet, ſibique coaptet: adeo ut ſedibus illas reddat cœleſtibus dignas. Illud, illud ergo eſt, illuſtriſſime vir, quod Excellentiam veſtram tam mihi pridie reddidit attentam, benignam, & perhumanam. Illud eſt, quod veſtram refricabit memoriam, & veſtrum inſigniter acuet ingenium, in causâ meâ ſuæ Cæſareæ Majeſtati tam proponendâ, quàm commendanda: eoque tractanda modo, quo illa tractari arcana debeant, quæ à paucis credantur, & à paucioribus intelligantur: veriſſima licèt ſint, & ex ſeſe utiliſſima. Quò citiùs Cæſarea ſua Majeſtas mirabilem hanc & maximam Dei, non providentiam ſolùm, ſed bonitatem etiam amplexus fuerit, eò citiùs & abundantiùs meæ ad illum legationis conſtabit ſinceritas, bonitas, & utilitas.

Voluiſſem equidem hunc incluſum libellum, litraſque incluſas veſtræ excellentiæ ipſemet attuliſſe. Sed (cum veniâ ſit dictum) ex digiti pedis mei, offensâ cuticulâ, non tam commodè poſſum hodie pedes venire: proinde amico meo hoc onus impoſui, ut cum veſtræ Excellentiæ manuum deoſculatione omnia mea vobis offerat ſervitia: hocque quicquid eſt, pro ſua Cæſareâ Majeſtate, tradere munuſculi.

Pragæ 24. Auguſti 1584.

JOANNES DEE.

Epiſtola altera JOANNIS DEE *ad* RUDOLPHUM *Imperatorem.*

MULTIS, ô ſereniſſime Cæſar, & permagnis ferè omnium creaturarum Dei, immò ipſius Dei, & cœleſtibus haud paucis Myſteriis arcaniſque veſtræ Cæſareæ Majeſtatis juſſu, per me (jam, ante quatuordecim dies) fideliter, ſincerè, & diligenter, quantùm ſex horarum fieri poterat ſpatio, declaratis ac manifeſtatis eidem, cui, eadem penès me videnda, audienda, intelligendaque eſſe voluiſtis: inde nunc, quæ ſit veſtræ Cæſareæ Majeſtati ſimplex, tanquam ab æquo rerum Æſtimatore, facta relatio; vel quod cum relatione adjunctum Judicium: vel, qualis totius proceſſus excogitata cenſura: vel qualis mecum procedendi vobis perſuaſa cautio; vel quale pro Cæſarei veſtri reſponſi formâ, initum captumque conſilium, non ſum tam immodeſtè curioſus, ut expiſcar; neque aliter vel aliâ ratione de ſacræ veſtræ Majeſtatis Cæſareæ prudenti & gratioſâ in præmiſſis reſolutione ſum ſollicitus, quàm, me fidelem, ſincerum, & devotum Dei omnipotentis, & in Deo, propterque Deum veſtræ ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Servitorem deceat. Video tamen, me (dum nullum adhuc ad præmiſſa receperim reſponſum) per tam alti ſilentii (quaſi) ſtimulum aliquantulum impelli, ut ſecundò veſtram Cæſaream Majeſtatem admoneam, ne divinam hanc, & divinitus oblatam miſericordiam, tam inexpectatam, tam magnam, tam inauditam, tam admirandam, tam multiplicem, tam Statui Imperatorio Chriſtianæque Reipublicæ neceſſariam, tam certam, tam paratam, eamque per Dei omnipotentis Cæſareæque Majeſtatis veſtræ fidelem ſervitorem re ipsâ vobis confirmandam & adminiſtrandam, (ſi ſacra veſtra Cæſarea Majeſtas voluiſſet) parvi momenti negotium, vel inventum aliquod humanum, aut fraudem Diabolicam, eſſe, fuiſſe, vel fore, ullo modo ſuſpicemini, vel credatis. Tali enim & tam gravi veſtræ Cæſareæ Majeſtatis errore omnipotentis Dei incendi poſſe furorem vehementer vereor: & ne hanc Dei miſericordiam reſpuentes, ejuſdem indignantem provocetis vindictam, valde metuo. Quapropter, cùm videam, Cœlum ipſum, & cœleſtia talia myſteria, non tali tantæque curæ veſtræ ſacræ Majeſtati Cæſareæ adhuc eſſe, quali quantâque optaſſem equidem: ego potius, quàm ut vel Deus hujus ſuæ priùs inauditæ miſericordiæ, ultroque veſtræ Cæſareæ Majeſtati oblatæ, prorſus nullum penès homines haberet conſpicuum Judicium, argumentum, teſtimonium vel experimentum: & po-

tius quàm mea ſæpe nominata fidelitas, ſinceritas, & devotio, ſive votum erga Deum & veſtram Cæſaream Majeſtatem, omni apud poſteros noſtros careret fide, & veritatis manifeſtæ robore: in Dei nomine, & ad ejus laudem, honorem, & gloriam, & ut veſtræ ſereniſſimæ Cæſareæ Majeſtatis ſatisfaciam deſiderio heroico, de lapide illo benedicto: (*Philoſophorum* vocato *Lapide*) infallibiliter videndo, poſſidendo, & utendo: aſſero veſtræ ſacræ Cæſareæ Majeſtati, lapidem eundem me auxilio favoreque divino conficere poſſe. Et propterea, ſi veſtra Cæſarea Majeſtas, me velit interim ſibi intimè charum habere, & ſi pro dignitate tanti myſterii & beneficii, ſibi à me liberaliſſimè & humillimè exhibendi, gratioſè me tractare dignabitur, (non tamen alio quidem vel altiori me inſigniens titulo, quàm qui veſtræ Cæſareæ Majeſtatis Philoſopho & Mathematico conveniat, his literis ore & corde polliceor, ſancteque coram Deo omnipotenti voveo: opus illud Philoſophicum, omnibus ſuis numeris perfectum, in manus veſtras Cæſareas, & ſine ſumptibus veſtris ad illud opus perficiendum requirendis, ac breviſſimo, quo fieri poterit, tempore, nutu Dei, me daturum. De aliis præterea arcanis, adhuc mihi ſilendum eſſe video. Nunc autem ſacræ Cæſareæ Majeſtatis veſtræ gratioſam, liberam, conſtantemque voluntatem in præmiſſis, non aliter, niſi ex veſtro proprio gtatioſo ore, vel ex veſtris Cæſareis Literis propriis, intelligere cupio. Nullum enim jam noſco dignum & aptum, qui in iſtis aliiſque naturæ & artis Secretis meus penes veſtram Cæſaream Majeſtatem fieri deberet *Mercurius*.

Illuſtriſſimo Domino, Domino Don GULIELMO DE SANCTO CLEMENTE, *Sereniſſimi atque Catholici* Hiſpaniarum *Regis apud ſacram Cæſaream Majeſtatem, &c. Legato, Domino ſuo obſervandiſſimo.*

ILLUSTRIS & Magnifice Heros, multis hoc probari poteſt teſtimoniis & exemplis, quòd illa, quæ præter vulgarium artium & Scientiarum decreta, nova, & ſupra vulgariter ſtudioſorum expectationem, hominibus, licèt piis & candidis quidem, divinitus revelantur myſteria, cum ſummâ difficultate vel intelliguntur à pauciſſimis, vel vix ſine ſuſpicione admittuntur, aut creduntur à pluribus. Aſt qualis in noſtris, (ſi rectæ pièque informatæ noſtris adhibeatur Judicium) eſſe poteſt ſuſpi-

picio? Nam à Deo omnipotente, per multos jam annos, fideliter, ardenter, & conſtanter per preces requiſita Sapientia, una, ſcilicet, quæ penès nos quidem, videtur eſſe radix &, occaſio tanti iſtius doni obtinendi. Aſt in cœleſti ſuo Palatio, ante conditum mundum, determinata & aſſignata erga nos miſericordia & gratia omnipotentis Dei, præcipuum, ſolidum, immobileque hujus tanti Myſterii eſt cenſendum fundamentum: in quo Myſterio talis relucet per potentes fideleſque Angelos iſagogica informatio de arcanis Dei conſiliis, tam in mundi creatione, creaturarumque naturis & vero uſu, quàm in mundi præſentis, moxque futuri, Statu: & præterea, de unius Catholicæ Eccleſiæ, chariſſimæ *Jeſu-Chriſti* ſponſæ, noſtræque piæ matris, ſanctitate, dignitate, & auctoritate, veluti in quâ etiam eſt Sanctorum communio, & peccatorum remiſſio, & de multis nondum per nos revelandis Dei arcanis, magnalibus, & determinationibus: quod tantum abeſt, ut aliquis ſanæ mentis Chriſtianus, actiones noſtras myſticas diabolicas eſſe fraudes, contendere, immò ne ſuſpicari quidem conetur aut poſſit: ut potiùs tale Arcanum Dei propoſitum incredibiliter admirari, Rationem humanam in eiſdem examinandis ſubjugare, & Dei erga electos ſuos admirandam miſericordiam in iſtis eſſe manifeſtam, humillimè & cum ſummo tremore fateri velit. Ego quidem hactenus in iſtis aliud ferè nihil me eſſe invenio, niſi calamum Scribæ, velociter per me ſcribentis. Nam viſa audi|taque in meâ præſentiâ, fideliſſimè, de literâ interdum ad literam, interdum verbatim, interdum pluribus ſimul receptis verbis, ipſo eodem temporis momento, quo traduntur, annotare ſum ſolitus. Aſt jam in quàm multa excrevit noſter talis labor volumina? Ex quibus omnibus illum fructum ſucceſſumque exſpectamus, qualem præfixit ille, cujus nutui cuncta obediunt. Iſtas autem ad ſuam ſacram Cæſaream Majeſtatem literas meas, cùm veſtra Magnificentia opportunitatem inveniet primam, ſi meo nomine humillimè eidem exhibere dignabitur, tum magno mihi divinitus, injuncto levatus ero onere, tum magno à veſtrâ Magnificentia affectus beneficio. Interim verò, dum ſuæ ſacræ Majeſtatis Cæſareæ ad iſtas reſponſum dabitur, (nimirum ſi ad 14. vel 16. dies priùs exſpectandum eſſet) vel, ſtatim poſt acceptum reſponſum, ſi tam expeditè illud recipere poſſum, quàm quod recepi ultimò, ad iter me accingere debeo, propter familiam, libros, & aliquam meam Supellectilem, huc ante hyemis aſperitatem transferendam. Ubi, cum Cæſareæ Majeſtatis gratioſo favore, & ſub ipſius protectione Imperatoriâ, voluntatem omnipotentis Dei implere pro viribus, & ſuæ ſacræ Cæſareæ Majeſ-

Epiſtola tertia JOANNIS DEE, *ad Legatum Regis* Hiſpaniæ.

ILLUSTRISSIME & magnifice Heros, Licèt mea nondum privata curaverim negotia, pro quibus ordinandis multos interim, dum hinc abfuerim, & labores pertulerim, & ſumptus fecerim: tamen nolui literas, ad veſtram Magnificentiam à Nobiliſſimo illo Domino *Palatino Syriadenſi*, miſſas, in multas horas à reditu meo retinere penès me: ne aliquâ ex parte officio viderer deeſſe meo, tam erga veſtram Magnificentiam, quàm ipſum Dominum *Palatinum*. Quantum verò ad myſteriorum incredibilium progreſſum, habeo & quæ dicam, & ſunt, quæ audiam, multa ad veritatis cauſam, invitiſſimis ejuſdem adverſariis quibuſcunque elucidandam. De quibus quando oportunum erit, paratiſſimus ero, cùm audire, tum audiri: eo quidem modo, quo ſinceritati & fidelitati meæ erga Cæſaream ſuam Majeſtatem erit convenientiſſimum. Interim aliquot dierum intervallum liberum requiro, ut tam ædes mihi meiſque conducam, ſi fieri poſſit, accommodas, quàm ut alia ad rem familiarem ſpectantia diſponam. Deus optim. Max. Magnificentiam veſtram ornare beareque dignetur.

Illuſtriſſimæ Magnificentiæ Veſtræ
Obſequentiſſimus,

JOANNES DEE.

Pragæ Ultimâ Decembr. 1584.

Illuſtri & magnifico viro, D. JACOBO CURTZIO *Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ab arcanis Conſiliis, Domino meo plurimùm colendo.*

ILLUSTRIS & Magnifice Vir, Majorine gaudio affici debeam ex bonâ veſtrâ valetudine, & ſalvo meo ad *Pragam* reditu, an ex contumeliis hîc interim, dum abfuerim, contra me confictis, & variis ejacula-

REGIS RESPONSUM.

UT de veſtrâ Perſonâ multa bona audivi abſente, ita jam mihi gratus valdè eſt adventus veſter, & ſi quod ſit, in quo vobis mea gratia & favor poſſit eſſe commodo, non deero me veſtrum fautorem & protectorem exiſtere. Atque de iſtis & aliis majoribus rebus aliquid magis opportuni loquendi tempus poſt feſtos iſtos dies: quo tempore vos ad me accerſi curabo.

† *Nyepolonicze* in Aula Regis *Poloniæ*.

Anno 1585. Maii 23. A Meridie hora circiter 6.

Allocutio brevis Regis Stephani *ad* J. DEE.

EGIT mecum Dominus *Palatinus*, ut vos audirem de rebus iſtis magnis & raris fuſiùs loquentes: quod libenter feci: & tamen hoc conſiderari debet, quòd Prophetæ omnes & revelationes jamdiu & in tempore Chriſti ceſſaverunt. Tamen ſi nihil in iſtis contra Dei ſit honorem, eò lubentiùs ſunt audienda: & ego quidem haud dubito, quin Deus nunc poſſit multis modis ſecreta quædam hominibus detegere, ad hæc uſque tempora, inauditis & inuſitatis.

Reſponſum J. Dee *ad Regem* Stephanum.

Δ Conſidero in oratione veſtrâ Regia tria quaſi capitula, in quibus totius oratio veſtræ eſt medulla. *Primum* de Prophetiarum & revelationum ceſſatione. *Secundum*, an aliquid in noſtris actionibus vel Exercitiis inſit contra Dei honorem: & *Tertium* (quod animo meo eſt valdè gratum) quòd Deo non præſcribatis certos aliquos modos vel tempora, quibus ſua hominibus velit aut debeat ſecreta detegere. De *Primo*, hoc poſſimus veſtræ Majeſtati Regiæ aſſerere quod ille Scripturæ locus haud rectè à plurimis intelligitur: & ab illis peſſimè, qui velint omnimodæ Dei potentiæ & miſericordiæ & ſapientiæ præſcribere certos modos, & tempora certa: aſſerendo nullorum his temporibus eſſe Prophetiam, vel poſt *Chriſtum* fore: quia omnes in *Chriſto* ceſſavere: hoc eſt, quia omnes de illo quæ erant Prophetiæ ſcilicet, de Dei filio in carne venturo, & Meſſiâ vero, & redemptore generis humani futuro, & de totâ illâ,

phetas poſt *Chriſtum* eſſe apparet: & cap. 4. *Et ipſe dedit quoſdam qui-dem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitate fidei in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* &c. ubi tam diu Prophetas fore in Eccleſiâ Chriſti poſt Chriſtum apparet, *donec occurramus omnes in unitate fidei*, &c. quod nondum poſt *Chriſtum* factum fuiſſe benè ſcimus, & jam hac ætate noſtrâ maximè ſumus circa negotium fidei diſcordes, maximè videntur eſſe neceſſariæ non Prophetæ ſolùm, ſed etiam Revelationes valdè expreſſæ de Myſteriis divinis. Et de locutione Angelica * ad *Philippum*, & ejus de loco in locum inviſibili quaſi tranſlatione per ſpiritum Domini, quid putandum eſt? Et de Prophetis poſt *Chriſti* tempora teſtificatur *Actuum* undeci-mum caput, ubi legimus, quod eodem tempore, quo primùm diſcipu-li *Chriſti Antiochiæ* cognominarentur CHRISTIANI, *ſupervernerunt ab Jeroſolymis Prophetæ Antiochiam, & ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram univerſo or-be terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.* Ad ſecundum autem veſtræ Majeſtatis Regiæ capitulum, ſic reſpondeo, quod coram Deo & beatis ejus Angelis aſſero, quod Conſcientia mea nihil adhuc deprehendit, no-tavit, vel dijudicare potuit, neque poſſit in omnibus noſtris Actionibus, vel illarum aliquâ, quod ſit, contra Dei honorem vel gloriam, immo, quod ad Dei honorem & gloriam valde ſpectent, poſcimus.

Ad Ephe-ſios.

*Act. cap. 8. Philippus defertur à loco in locum per ſpiri-tum Dei.

Denique tertio in loco, quòd cum magnâ & verè piâ Regiâque diſcre-tione exiſtimetis Deum omnipotentem iis temporibus poſſe modis ſuis va-riis, hominibus quibuſdam ſua manifeſtare myſteria & ſecreta, valdè lætor: & eò magis, quòd tam ex noſtris præteritis id conſtare potuerit multis actionibus, quàm ex futuris: quibus intereſſe & adeſſe præſens (ſi ita illi viſum fuerit) veſtra poſſit Majeſtas Regia. Et præteritarum noſtrarum actionum libros 24. paratus ſum (quocunque veſtræ ſereniſ-ſimæ Majeſtati placuerit tempore) videndos exhibere, quorum quæ-dam *Latinâ* linguâ, *Græcâ* aliæ, aliæ *Anglicâ* linguâ, ſed ex maximâ parte *Anglicâ* ſunt conſcriptæ ipſæ actiones: Angelorum viz. Dei bo-norum inſtructiones, admonitiones, exhortationes, conciones, Pro-phetiæ & quocunque alio ſunt cenſendæ nomine nobis factæ Revelatio-nes, reales vel verbales, & per ſpatium jam trium ferè annorum à no-bis receptæ & annotatæ.

Oratio ad Deum, qua uſus eſt in Actione, cui interfuit Rex Poloniæ.

† *Nyepolonizæ* in Aula Regia præſente ipſo *Stephano* Rege.

Die Lunæ Maii 27. mane, horam 7. circiter, in cameră privatâ Regis.

OMNIPOTENS, ſempiterne, vere, & une Deus, ô tu miſericors Pater mi, qui me de patriæ meæ funeſtâ contra me conceptâ malitiâ, per Angelos tuos bonos admonuisti, & per eoſdem, inde me cum uxore, liberis, & familiam mea iſtiſque *Duobus, egredi juſſiſti, & egredientes nos ex Syrtibus Maris, quaſi miraculosè liberâſti: Et qui ex Homicidarum & Hæreticorum manibus & fraudibus variis nos expediviſti: & qui multis nos modis (partim nobis cognitis, partim incognitis) à periculis & morte protexiſti, ab eo tempore, quod ad tua ſecreta judicia & negotia teſtificanda, tractanda & promovenda nos vocâſti: ideo propter hanc tuam tantam & tam admirabilem miſericordiam, immortales tibi à nobis deberi laudes & gratias humillimè agnoſcimus. Ot tu Pater noſter clementiſſime qui † *Nos Duos* vinculo tuo divino arctiſſimè copulâſti: & quaſi unum ex duobus eſſe voluiſti: ô tu fortiſſime Deus meus, qui hunc tuum *Lasky*, quaſi Athletam meum cautiſſimum, animoſum, & meum amantiſſimum, nobis adjunxiſti: verùm catholicæ tuæ & orthodoxæ religionis amantiſſimum, & Anti-Chriſtianiſmi omnis acerrimum hoſtem; denique ô Sapientiſſime, potentiſſime, & optime Deus, & Pater meus, qui tuis mox incipiendis Regiis, magnis, mirificis conatibus, quem faciebas, Regem, tandem inveniſti *Stephanum*, tuum futurum bellatorem; qui tuo *Nutui* & juſſis ex animo totis ſuis viribus, & maximo zelo obedire velit: & cui nos honorem & obedientiam ut exhibeam, in mandatis dediſti: & propter quem labores (tibi notos) ut ſubiremus & ſuſtineremus, ſtatuiſti: & ad quem, poſt laborioſas Peregrinationes noſtras multiplices quidem, per 7 Menſes factas, directas aliquas, alias autem (humano judicio) quaſi retrogradas, tua maxima gratia, favore, & auxilio incolumes & ſalvos nos perduxiſti: nos quaſi hîc tuos, tuo nomine & una mente convenientes, tuâ digneris paterna miſericordia, à totius vitæ meæ omnibus purgare ſpurcitiis: & chariſſimi tui filii Domini & Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* intercedentibus meritis, nobis condona, quicquid contra leges tuas ſanctas & juſtas, volentes, vel neſcii, vel negligentes, verbo, facto, vel

In lapide quem Angelus mihi adduxit: & præſcripta erat noſtra actio cum eodem.

*A. l. E. K.

† Δ & E. K.

vel cogitatione ad hanc uſque horam offenderimus, omnes & ſinguli, ut tibi jam poſſimus maſſa pura & azyma offerri: una divina & abundantiſſima fermentanda; & tuæ charitatis igne in cordibus noſtris per te accenſo, quaſi quidam propoſitionis & ſacri in templo tuo efficiamur panes. Et ſit nobis interim Filius tuus Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* Panis vitæ: quem guſtando ſuaviſſimum, & fidei viribus tranſglutiendo vivaciſſimum Manna eundem habeamus nobiſcum in perpetuum. Mitte igitur nunc lucem & veritatem tuam, ô Deus omnipotens ſempiterne, vive, & vere, & tuo *Stephano* (noſtro autem Sereniſſimo, gratioſiſſimoque Regi) appareat, Te Deum noſtrum verum, vivum, omnipotentem, Doctorem Noſtrum in iis Actionibus & Myſteriis eſſe, me autem (licèt peccatis obnoxium) voto & conatu magno, fidelem tuum & ſincerum eſſe ſervum: omniaque tua juſſa mihi maximè eſſe curæ: Noſque ſingulos ſingularibus in te ante mundi exordium præordinatos eſſe muneribus in tuo ſancto ſervitio tractandis.

Epiſtola D. ROSENBERGII *ad* J. DEE.

Magnifico Domino JOANNIS DEE, ad manus proprias.

Magnifice Domine, Pater obſervande, & Chariſſime.

LÆTATUS ſum in his, quæ mihi dixiſti. Cognovi enim quoniam exaudivit deprecationem meam pius pater & miſericors Dominus. Itaque maximoperè deſideravi, ut quàm ſæpiſſimè ea mihi legere, perlegere, & ſemper ob oculos habere poſſim: per amorem Dei oro, ut ſaltem eorum, quæ mihi perlecta, & ad me pertinent, verborum mihi tranſmittas deſcriptionem. Non tantùm mihi multùm gratificabitur, ſed & conſolabor plurimùm,

Obſecro præterea Dominationem veſtram, aſſiduè pro me orare velit, ut confirmet hoc Deus, quod operatus eſt in nobis: & dirigat omnia Conſilia, opera, actiones, immò & cogitationes noſtras ad laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis ſui, commodum multorum, & animæ noſtræ ſalutem. Neque deſinat, pro amore ſuo paterno, quo, uti ſpero, Dominatio veſtra proſequitur me, ſemper in omnibus, quæ pro ho-

more Dei & commodo veſtro à me fieri & debent & poſſunt, admonere & ſignificare. Rem ſummoperè mihi gratam & exſpectationi meæ dignam & conſentaneam faciet. Et cum his me commendo ſuis precibus & orationibus, nec non paterno ſuo amori & cordi. Optimè valeat Magnifica Dominatio veſtra. Dominica, cantate, Anno 1586.

Filius & Amicus veſter ex animo

WILLIELMUS V. *Manu propria*

Rogo, ut meliùs intelligat Dominatio veſtra ea quæ ſcripta ſunt, ut conſideret plus mentem meam, quàm verba. Quia mihi in uſu non fuit à multis annis Lingua Latina, & nemini in hâc re confidere volo.

To the right Honourable, Sir FRANCIS WALSINGHAM *Knight, her moſt Excellent Majeſtie's principal Secretary, my ſingular good Friend and Patron.*

With Speed

RIGHT HONOURABLE SIR.

ALbeit I have (almoſt) in vain come a hundred Miles (from *Prage* to this *Leipſich* Mart) hoping either to meet my Servant there, with anſwer to my former Letters, ſent in November laſt to her Majeſty, (when alſo I wrote unto your Honour, and divers other) and ſo with ſpeed from this *Leipſich* to have ſent again moſt ſpeedily, as occaſion ſhould have ſerved; and now, I find, neither Servant, neither Letter from him, neither word of mouth: yet all this notwithſtanding, and whatſoever the hindrance or delay hereof be, (whether the keeping back of my Letters from her Majeſty, or the manifold and importune, moſt weighty affairs publick hindring or delaying her Majeſtie's moſt gracious,

ous, diſcreet and wiſe reſolution herein: or what other occaſion herein: or what other occaſion elſe hath and doth cauſe this long and wonderful delay of Anſwer receiving: all this notwithſtanding, I thought good, before I ſet up to my Coach, to viſit, and moſt humbly to ſalute your Honour very faithfully, dutyfully, and ſincerely, with great and the ſame good Will, that my Letter ſome years ſince written to your Honour, (but then, a ſtumbling block unto your Honour and other, for the ſtrangneſs of the Phraſes therein) doth pretend; ſo it is, right Honourable, that the merciful providence of the Higheſt, declared in his great and abundant graces upon me and mine, is ſo wonderfull and mighty, that very few, unleſſ they be preſent Witneſſes, can believe the ſame. Therefore how hard they are to be believed there, where all my life and doings were conſtrued to a contrary ſenſe: and proceſſe of death contrived and decreed againſt the Innocent, who cannot eaſily judge?

I am forced to be briefe. That which *England* ſuſpected, was alſo here, for theſe two yeares, almoſt (ſecretly) in doubt, in queſtion, in conſultation Imperial and Royal, by Honourable Eſpies, fawning about me, and by other diſcourſed upon, pryed, and peered into. And at length, both the chief Romish Power, and Imperial Dignity are brought to that point reſolutely, that partly they are ſorry of their ſo late reclaiming their erroneous judgement againſt us and of us, and ſeek means to deal with us, ſo as we might favour both the one and the other: and partly to *Rome* is ſent for as great Authority and Power, as can be deviſed, and likewiſe here all other means and wayes contrived, how by force, or for fear, they may make us glad to follow their humours. But all in vain; for force humane we fear not: as plainly and often I have to the Princes declared: and otherwiſe than in pure verity and godlineſs, we will not favour any (my words may ſeem very marvellous in your Honour's ears: but mark the end, we have had and ſhall have to deal with no babes) I have full oft and upon many of their requeſts and Queſtions, referred my ſelfe to her Majeſtie's Anſwer, thus in vain expected. *Nuncius Apoſtolicus Germanicus*, *Malaſpina* after his year's ſuit unto me to be acquainted with me, at length had ſuch his Anſwer, that he is gone to *Rome* with a flea in his ear, that diſquieteth him, and terrifieth the whole State Romish and Jeſuitical: ſecretly they threaten us violent death, and openly they fawn upon us. We know the ſting of envy and the fury of the fear in Tyrannical minds, what deſperate attempts they have and do often undertake. But the God

of

Epiſtola JULII ASCANII *ad* JOANNEM DEE & EDWARDUM KELLÆUM.

Illuſtriſſimis & Magnificis D. Joanni Dee *&* Edwardo Kellæo, &c. *Dominis & Amicis meis colendiſſimis.*

Illuſtriſs. & Magnifi. D. mei colendiſſimi.

BENEDICTIO Dei Patris & mera gratia, & miſericordia per unicum meritum *Jeſu Chriſti*, illuminatio Spiritus Sancti confirmet nos cum omnibus Chriſtianis, qui magno cum zelo, propter gloriam ejus, crucem, tribulationem, & perſecutionem à rancido atque putido ſcorto *Babylonico* in turbulentiſſimo hujus mundi oceano patimur, ut exemplo *Jeſu Chriſto*, qui eſt in Patre, virtute & auxilio Spiritus Sancti, hæc omnia perferre patienter valeamus ad nominis ſui gloriam & animarum noſtrarum ſalutem. Amen.

Mirum fortaſſis videbitur Dominat. V. quod ignotus ad ignotos ſcribo: imputabitis bonam hujus culpæ partem juſtiſſimo dolori, quem ex rumore ſparſo, & ad me delato, propter D. V. concepi: mirari enim non ſatis poſſum pertinax ſtudium beſtiæ iſtius *Babylonicæ*, quæ nihil intentatum relinquit, nullum non movendo lapidem, quo hominibus veſtræ nationis, præcipuè piis & amantibus Dei, non ſolummodo nocere, ſed & funditus perdere ſtudet. Elapſo enim undecimo die hujus menſis Legatus Pontificius Libellum Supplicationum, ut vocant Rom. Cæſ. Majeſtati obtulit, quo D. V. Necromantiæ & aliis artibus prohibitis inſimulat, aliiſque calumniis graviter accuſat. Copias hujus libelli habere potuiſſem, ſed nimis ſerò hac de re ſum certior factus, nec tutum & abſque ſuſpicione eſt, ab illo qui illum ex Italico in Latinum ſermonem tranſtulit, petere. Quare cùm hæc omnia vana à D. V. ut hominibus Chriſtianis & Philoſophis, certò ſciam, epiſtolam hanc tum leniendi tum admonendi cauſa exarare libuit, ut promptiores & paratiores D. V. ad reſpondendum offendant. Peto itaque ut eo animo ſuſcipiatis, quo ſcripta eſt, ſcilicet Chriſtiano, integro, & candido. Valete meque precibus veſtris *Chriſto* commendate.

POST-SCRIPTUM.

ANte aliquot dies tranſmiſiſſem D. V. Literas, ſed D. V. peregrè profectas eſſe mihi ſignificatum fuit: poſtquam autem à ſervitore generoſo D. à *Bikerſtein*, cognoviſſem (*Ferdinando Hærnik*) D. V. ad hanc noſtram patriam rediiſſe, literis iſtis ſignificarem.

Proſ. A.

JULIUS ASCANIUS VERDEMAN.

Illuſtriſſimo Principi & Domino, Domino Willielmo Urſino, *Hæreditario Domino inclytæ Domûs à* Roſenberg, *Domino in* Crommaw, *Equiti aurei velleris, Cæſareæ Majeſtatis intimi Conſilii Conſiliario, & Regni* Bohemiæ *ſupremo Burgravio, &c. Domino & Patrono meo colendiſſimo.*

ILLUSTRISSIME PRINCEPS, Nihil mihi gratius à Magnifico Domino *Schombergio* narrari poterat, quàm veſtram Celſitudinem proſpera interim frui valetudine, dum ego vario, diverſo, & intricato quodam fuerim jactatus itinere, per montes, per valles, per ſylvas denſiſſimas, per apertos campos, & per nivem profundam, & nob's ferè imperviam: & (ſemper tamen nos protegente Altiſſimo) tandem ſani ſalvique illæſis tam equis quam curru Celſitudinis veſtræ, reverſi ſumus. Pro quo proſpero ſucceſſu ſummas Altiſſimo agimus gratias, & veſtræ Celſitudini infinitas à nobis deberi fatemur. Dum abſum, contra nos neſcio quid falſi incipit iſte Apoſtolicus Nuncius velleviter nimis credere, & temerè conqueri, vel à ſeipſo excogitare perverſè: veré, ſi ita pergant, (habito jam noſtri per biennium experimento ſatis accurato) illi quidem, qui pietate & ſapientia, ſaltem vulgares, deberent ſuperare homines omnes, omnium hominum ſemet declarare maximè invidos, malitioſos, perverſos, ſanguinis humani appetentes, ſuperbos, innocentum

tum carnifices, & piorum in Chriſto calumniatores exitioſos, &c. Verè dico, cogemur pulverem ex calceis noſtris excutere, & alias inmundi partes nos conferre. Et niſi veſtræ Celſitudinis haberemus eam, quam debemus, conſiderationem, & niſi nos ipſos veſtræ Celſitudinis præſidio quocunque armato (quaſi) munitos exiſtimaremus (præter illud invincibile Dei Opt. Max. agmen inviſibile) ſtatim abire ex hoc regno conaremur. Curare etiam debet ſua Cæſarea Majeſtas, ut aliquo modo, & citiſſimè, perſpectum toti huic Regno eſſe poſſit, nos duos non ſolùm verè Catholicos eſſe, ſed etiam veræ pietatis & pacis Chriſtianæ eſſe amantiſſimos. Per literas iſtas non eſt opus, ut plura effundam Spiritus mei fervore quodam. Sed diligentiſſimè & circumſpectiſſimè reſpiciamus nos utrique inæſtimabile Dei, quod nobis utriſque contulit, donum. Sumus enim quaſi tres, ſed in uno Deo, unus quaſi vir eſſe debemus. Myſterium hoc notate J. D. E. K. W. R. Nam qui me habet, habet & E. K. & quem ego meum habeo, ille etiam ipſius mei E. K. cenſendus eſt eſſe. Omnipotens ille Deus, qui cuncta creavit, veſtram Celſitudinem illuſtriſſimam ſuæ divinæ juſtitiæ & gloriæ comminiſtrum & cooperatorem nobis conjungat & diutiſſimè conſervet.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis veſtræ fideliſſimus in Chriſto ſervitor,

JOANNES DEE.

Pragæ, Maii 26.
Anno 1586.

Epiſtola J. DEE *ad* RUDOLPHUM *Imperatorem.*

Invictiſſimæ potentiſſimæque ſacræ ſuæ Cæſareæ Majeſtati, Hungariæ, Bohemiæ *&c. Regi &c. &c. Domino meo clementiſſimo, & Patrono incomparabili.*

ad manus proprias
expeditiſſimè.

PER aliquot jam hebdomadas, Invictiſſime & gratioſiſſime CÆSAR, aures noſtras circumſonabant Rumores varii, quaſdam contra me & ſocium meum præparari accuſationes graves & exitioſas, veſtræ ſacræ

Cæſareæ Majeſtati offerendas fore, vel jam oblatas eſſe: & præterea ſacram veſtram Cæſaream Majeſtatem quorundam perſuaſionibus penè eò perductam eſſe, ut aliquam malam, & nobis periculoſam, de nobis conciperet opinionem. Veſtræ igitur ſacræ Cæſareæ Majeſtati humillimè ſupplicamus, ut auctoritate ſuâ Cæſareâ interpoſitâ, illius, cujuſcunque contra nos exhibiti Libelli, copiam, accuratè & verbatim exſcribi, nobiſque tradi, mandare, gratioſè dignaretur. Sic enim noſtris reſponſis ad accuſationis contra nos confictæ collatis articulos, citiſſimè & clariſſimè intelliget ſua ſacra Majeſtas Cæſerea, quid in præmiſſis, cum juſtitia, ad Dei honorem & Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, arbitrari vel ſtatuere poſſit aut debeat. Et de hoc certiſſimi nos ſumus, favente Deo, (quod adhuc, & nimis diu, aliquorum negligentia, & contra noſtram voluntatem, veſtram ſacram Cæſaream latet Majeſtatem.) Nos, cum veſtræ ſacræ Cæſareæ Majeſtatis perſonæ, tum Reipublicæ Chriſtianæ, per vos longè utiliores gratioreſque eſſe poſſe, quàm omnes, & quotcunque hic noſtri præſentes adverſarii: veluti ipſa docebit veritas, ſi penès veſtræ Cæſareæ Majeſtatis aures proprias eum poſſit habere favorem, ut gratioſè audiri queat. Deus Opt. Max. ſacram veſtram Cæſaream Majeſtatem ſua divina abundantiſſimè illuſtret gratia, brachioque ſuo extento contra Chriſti atrociſſimos hoſtes Imperatorem reddat triumphantiſſimum.

Amen.

Sacræ veſtræ Majeſtatis Cæſareæ
humilis & fidelis Servitor, ad
Dei promovendam gloriam.

JOANNES DEE.

28. Maii 1586.

Illuſ-

Illuſtriſſimo reverendiſſimoque Domino, Domino Epiſcopo Placentino, *apud potentiſſimum & invictiſſimum Romanorum Imperatorem* Rodulphum, *ejus nominis ſecundum, Apoſtolico Nuncio, Domino mihi in Chriſto colendiſſimo.*

Illuſtriſſime & reverendiſſime Domine, mihi colendiſſime.

IN nomine ſanctæ, beatæ, & individuæ Trinitatis, veſtram illuſtriſſimam reverendiſſimamque Dominationem, eâ quâ virum Chriſtianum decet, animi affectione & humilitate ſaluto, non præſumptione aliqua, veſtris manibus oculiſve iſtas meas obtrudens literas, ſed ex iſtius Nuncii veſtri verbis admonitus, non gratas ſolùm, ſed (ferè) exſpectatas fore, haſce aliquot, haud invitus, exaravi lineolas. Quibus cùm non potero 40. annorum continuum & ardentiſſimum vitæ meæ curſum in tam limatioris quàm vulgaris veritatis philoſophicæ indagatione tranſactum, deſcribere, vel adumbrare ſaltem, ſatis præſenti noſtro eſſe poſſit inſtituto, ſi præſenti rerum metamorphoſi, & admirandæ negotiorum noſtrorum actioni, itinerumque circuitioni multiplici, aliquid exprimam, quod maximè quadret.

Divinctus ante aliquot annos * informati, & deinde ex *Anglia* evocati, non ſolum fortiſſima Dei omnipotentis manu, & miraculosè, ex multis magniſque evaſimus maris periculis: ſed etiam, ex variis hominum fraudulentis & truculentis contra nos & vitam noſtram conſiliis & conatibus, liberati hactenus, eidem Deo noſtro gratias laudeſque canimus mente gratâ, mente læta, mente profectò Chriſtianæ, Catholicæ, Apoſtolicæque religionis amantiſſimâ, & (Dei nos confirmante gratia) tenaciſſima futura. Aſt ſuæ, tamen, qui ejuſdem noſtræ piæ matris, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, legitimi etiam cenſentur eſſe filii, nos, fratres ſuos, in omni modeſtia, quiete, pace, & civili juſtitia, inter illos, & coram illis, *Pragæ* converſantes, ſubitò in exilium quoddam ſive exterminium, Cæſareo emitti mandato procurabant; nulla nobis, nulla prorſus, neque privatim neque publicè declarata tam violenti Mandati cauſa, ſed vulgari ſolum, & aulica relatione nobis facta, intelleximus ex libello quodam, per vos ſacræ Cæſareæ Majeſtati exhibito, conflatam contra nos fuiſſe maximam Cæſaris indignationem & quaſi excandeſcentiam

* Ab anno 1581. Δ Anno 1583.

*Anno 1586. 30. Maii. tiam: unde ex Cancellaria *Bohemica*, acerbiſſimum ad nos ſacræ ſuæ Cæſareæ Majeſtatis nomine miſſum ſit *mandatum (nulla in eodem expreſſa ejuſdem mandati cauſa, vel ratione legitimâ) ut infra tunc ſex proximos ſequentes dies, ego, conſors meus, uxores noſtræ, liberi mei omnes, immò & ipſe infans noſter *Michaël Pragenſis* natus, & baptizatus, atque ad matris adhuc pendens mamillas, famuli etiam mei, & ancillæ, mei denique omnes, & domeſtici, ex ipſa *Praga*, atque ita conſequenter, ex univerſo regno *Bohemiæ*, & aliis quibuſcunque ſacræ Cæſareæ Majeſtatis regnis, ducatibus, & terris migraremus nunquam eadem vel eaſdem reverſuri, ſub terribilis infligendæ pœnæ periculo. Nos autem, nullâ interpoſitâ morâ, huic mandato Cæſareo fideliter & humiliter obedire noſmet accinximus, bonaque noſtra mobilia, peregrinationis noſtræ ſupellectilem, tam librariam quàm domeſticam, in duos magnos Currus conjicii curavimus: reliquorum noſtrorum bonorum partem unam, amicis dedimus, & pauperibus diſperſimus & diſtribuimus: partem autem, de facie terræ, propter cauſas Deo non ingratas, pridie ante exitum iſtum noſtrum, per nos deletam eſſe ſciatis. Aſt optimam partem, divino juſſu, decima die Aprilis (quando etiam, de tota hac afflictione & perſecutione noſtrâ, & aliis adhuc futuris eramus divinitus præmoniti) ignis luculentiſſimis flammis commiſimus: quando illa, ejuſdem optimæ partis, quæ nullus unquam naturalis vulgariſque ignis poterat lædere vel conſumere, viſibili angelici miniſterio, ex ipſis ſummis flammis in divinam, angelicamve inviſibilem recipiebantur cuſtodiam. Aſt librorum divinorum theſaurus maximus, tunc, & ibidem, duorum adhuc viventium teſtium diligenti opera, ab ipſis flammis in cineres favillamque converſus eſt totus: renovationem, reſtaurationem, & quaſi regenerationem vel reſurrectionem quandam, per divinam manum, opportuno recepturus tempore. Sacellum denique cum altari, quod omnipotenti Trinitati conſecrandum fore cupiebamus, media ex parte abſolutum, intactum relinquimus. Ego verò, cum conſorte meo, Uxoribus noſtris, liberis meis, & reliquis exulibus, ſive exterminatis, noſtris rhedis tribus avecti, tranſmigrationem hanc, nobis injunctam, die præfinitâ ingreſſi ſumus. Atque nondum ex Imperii *Romani* finibus egreſſi, ita greſſus noſtros diſponimus & de cætero, Deo favente & gubernante, diſponemus: ut toti orbi Chriſtiano clarè apparere poterit, patienter nos hæc qualiacunque tolerare poſſe, aut ſaltem velle: & paratiſſimos eſſe nos, reddere Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Obedientiſſimos etiam nos eſſe, & humillimos ſacro-ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filios, & ſummi Pontificis Romani, & aliorum Eccleſi-

Anno 1586. 10. Aprilis.

Anno 1586. Junii 4.

cleſiaſticorum Præſulum Catholicorum, in Chriſto & propter Chriſtum tam eſſe obſervantes & fore, quàm ipſe, qui Judex futurus eſt vivorum & mortuorum, variis nos eſſe modis haud rarò admonuit. Veſtræ verò illuſtriſſimæ reverendiſſimæque Dominationi hoc à Deo optamus bonum, ut per ſecundas veſtras de tota cauſa noſtra meditationes, noſtræ innocentiæ, ſinceritatis & fidelis coram Deo & hominibus in illa Republica *Bohemica* converſationis noſtræ juſta habeatur ratio: Meæque honeſtæ famæ, exiſtimationiſque (ſine quâ ne vivere quidem cupio) ea fiat in integrum reſtitutio, ut talis poſthac eſſe indicetur indubitatè, qualis ante veſtrum Cæſareæ Majeſtati exhibitum contra nos Libellum, per 30. Annos & plures, in omnibus penè Chriſtiani Orbis tam Academiis, quàm regnis & provinciis, ex Dei immenſa bonitate, gratia abundantiſſimâ, & ſingulari providentia exſtitiſſe, haud obſcuris confirmari poſſit teſtimoniis. Ex his igitur paucis hiſtoriæ ipſius veritatis ſcintillis, veſtræ illuſtriſſimæ reverendiſſimæque Dominationis prudentia magnum ſibi lumen allicere ſive accendere potuit: ad nos, noſtorum animorum affectiones, noſtrorum ita mirabilium & adhuc incredibilium negotiorum progreſſum & ſtatum dijudicandum, & denique de ipſo futuro horum omnium exitu haud leves ſibi contexendas conjecturas: cùm nos ex ſolo Deo omnipotente, & vero, & vivo, in omnibus noſtris pendeamus, & ab ipſo dirigamur & protegamur. Cui ſoli nos ipſos, noſtraque omnia, animæ, corporis, & fortunæ nuncupata bona, tanquam holocauſtum, quotidianis noſtris humillimis & ſpontaneis offerimus precibus: cui denique ſoli ſit omnis laus, honor, gloria, & gratiarum actio nunc & ſemper. Amen.

Fidelis in Chriſto, & propter Chriſtum Servulus,

JOANNES DEE.

Datæ *Erphurdiæ*

Anno 1586. die 26. Julii.

Epiſtolæ

Epiſtola FRANCISCI PUCCII *ad* J. DEE & E. KELLÆUM.

FRANCISCUS PUCCIUS præſtantiſſimis ac Deo dilectis viris, DD. JOANNI DEE & EDWARDO KELLÆO, generoſis *Anglis*, majoribus in Chriſto fratribus, & ipſis tanquam patribus colendis, precatur gratiam & pacem à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, *Amen.*

EX quo à vobis diſceſſi, toto illo itinere, quod octo diebus confeci, vendito *Lipſiæ* equo, haud parum vexatus fuit meus Spiritus, dum animo meo volverim, quot modis Satanas divinum opus retardare & noſtram conjunctionem dirimere, adhibitis exterioribus & interioribus machinis & armis, tentaverit, & adhuc tentare non ceſſet. Neque enim poſſum, niſi ab eo, agnoſcere afflatus illos diffidentiæ, rumores ab invidis hominibus ſparſos, ſuſpiciones nobis injectas, abſque certis indiciis, adverſus fidem non levibus argumentis probatam, atque hujuſmodi impedimenta & offendicula, quibus curſum noſtrum impedire, ac ſanctam amicitiam, divinis auſpiciis inter nos cœptam, convellere ac labefactare malignus ille Spiritus aggreſſus eſt. Itaque in illa luctâ, ne ullo modo manus illi darem, aut fatiſcerem, decrevi me magis ac magis munire certa fide in Deum, ac ſpe & promiſſionum ejus, quas illum ſervaturum non dubito, tum precibus frequentioribus magis inſtare apud Summum Patrem, ut nos quamprimùm donare velit illo Spiritu, quo noſtri humeri montibus ferendis, ut ille inquit, pares evadent; ad hæc auſteriorem vitam inſtituere, nec menſas lautas amicorum adire, ſed panem doloris ſolus comedere decrevi, ne ſim meliore conditione, quàm vos, qui tantoperè affligimini, ut benigniſſimus Dominus quamprimùm vos in integrum reſtituat, atque ad ſolita colloquia piaque exercitia nos unà revocet, & eventu, conſentaneo ſuis ſanctiſſimis dictis, ſingulos noſtrum exhilaret. Hanc viam ſequenti Domini mihi ſpem facit fore, ut vobis & aliis faciliùs meam fidem probem, & multas tentationes vitem, quæ apud hujus mundi homines facilè nos invadunt. Ideo, niſi neceſſitate urgente, aut communibus negotiis, familiaritatem omnem & convictum cum Aulicis fugio, & me hoc modo minùs ineptum pre-

cibus ſentio, meamque vitam & mores in dies emendare conor, ne videar omnino indignus ea Scholâ, in quâ Dominus me erudire dignatus eſt; nec interim cum Publicano illo precari obliviſcor, ut Deus propitius ſit mihi peccatori. Vos, non dubito, me veſtris votis & ſupplicationibus juvabitis, ut vocationi meæ reſpondeam, & in opere Domini vobis adjumento & conſolationi eſſe poſſim: & benigniſſimus ille pater propediem hoc adverſo vento ignem ſuum magis excitari curabit, ac nos majori, quàm unquam antea, jucunditate recreabit. Ac de his hactenus. Quod verò ad noſtra negotia attinet; perveni huc die 24. Julii ſub veſperam, ac ſtatim adivi illuſtriſſimum Dominum Nuntium, cui veſtras tradidi, quas læto vultu accipere viſus eſt: Sed colloquendi non fuit otium, cùm, parata cœna, jam diſcumbere vellet. In poſteriorem diem igitur rejectus, ad Dominum *Carpionem* me conferebam, cùm didici eum ad vos miſſum, quatriduo antè hinc diſceſſiſſe. Dolui admodum eum non eſſe mihi obviam factum, tum ratione veſtrarum, tum mearum literarum, quoniam faſciculum quendam ad me quoque ferebat. Sed quod maximè me torquebat, erat cura de literis illuſtriſſimi Domini *Roſenbergii*, quas ſciebam incluſas Domini *Carpionis* literis, nec eas aperire, aut alii tradere audebam; cùm diſertè eſſet Scriptum illud ad manus proprias. Dum itaque occaſionem quæro & exſpecto, ea ſeſe obtulit, quam mox audietis. Reverſus ſequenti die ad illuſtriſſimum Dominum Nuntium, invenio apud illum Jeſuitam *Italum*, qui mihi fuit à Confeſſionibus; blandè ab ambobus accipior, ſedere jubeor, à Jeſuita nomine candoris & ingenuitatis non parum laudor. Tum lepidè moneor ab illuſtriſſimo Domino Nuntio, ut ipſi adſim in convertendo Jeſuitâ illo: (is enim erat, quicum expoſtulaverat, quod nimis facilè mihi dediſſet, teſtimonia triumphantis Eccleſiæ non ſubjici judicio militantis.) Reſpondeo, me feciſſe, quod in me erat, ut docerem eum præferre cœlum terræ, ac tribunal ſuperius inferiori; ſed cùm id mihi minimè ſucceſſiſſet, ejus eſſe, ſua doctrina & auctoritate, hominem de ſententia illa dejicere. Illuſtriſſimus Dominus Nuncius haud gravatè noſtram ſententiam, hâc in parte, probat, & exemplis confirmat, atque ita concludit, ut ſtatuat, certitudinem videntis & audientis Dominum, aut ejus Angelum, non pendere à probatione eccleſiaſticâ, neque ab illo eſſe rationem repetendam ſuæ revelationis, dum nihil publici muneris exercere audet: Sed ſi incipiat palam profiteri, ſe à Deo doctum & miſſum, ita ut non ipſius ſolùm, ſed aliorum quoque interſit ſcire, quo Spiritu agatur, tunc Eccleſiaſticorum munus eſſe, illius Spiritum examinare & probare, neque ipſum jure poſſe examen hoc detrectare, licèt ſuas revelationes eis ſubjicere minimè teneatur. Nam

Nam ſi ordinaria auctoritas eum admiſerat, benè habebit, nihilque turbarum excitabitur: Sin per injuriam aut inſcitiam aliquam, aut per aliam hujuſmodi cauſam rejicietur, ſuum erit appellare ſuperiorem Dominum, qui ipſum miſit, quo ſuum ſervum & legatum defendat, aut ordinario judice commonefacto, aut alia ratione: quod probabat decreto *Lateranenſis* Concilii, cujus mentionem facit in ſuis literis; ac præterea hiſtoria S. *Franciſci*, qui primùm expulſus ab *Innocentio* Pontifice, mox revocatus fuit, cùm per quietem apparuiſſe Pontifici pannoſus ille, qui *Lateranenſe* templum ſuis humeris fulciret. Addebat præterea, viros Dei non eſſe ſolitos deterreri una aut altera repulſa, & hoc repellendi modo dicebat Præſules aliquando uſos eſſe, ut probarent ſpiritum, & conſtantiam eorum, qui res novas magnaſque proponerent. Ego verò inquam, ut hæc ita ſe habeant, vos hactenùs publicum munus exercere non tentâſſe, & intra privatos parietes, ſumma modeſtia vos continuiſſe. Tum ille, longiori ambitu verborum, ſic de vobis diſſeruit, ut ex veſtris verbis ad ſereniſſimum *Poloniæ* Regem, ad invictiſſimum Cæſarem, & ad illuſtriſſimum Legatum *Hiſpanicum*, jam conſtare diceret, vos aliquid amplius, quàm privatum, moliri, ac ſummo Pontifici, ſedenti in ſpecula ſuper totam Chriſtianam Rempublicam, potuiſſe meritò ſuſpectas eſſe veſtras perſonas, hoc modo Principum animos & interiores aularum receſſus ſcrutantes: idque ratione veſtræ Reginæ, infenſiſſimæ Apoſtolicæ ſedi, & cum ipſo *Turcâ* conſpirantis, nec non ſpiritus familiares habentis, ac præterea ratione veſtræ ſummæ peritiæ in artibus & ſcientiis reconditis, quibus facilè plebi & imperitis imponi poteſt. Cùm enim ſitis magni Aſtrologi, dicebat ille, & facilè vobis ſit habere geneſes Principum, nec non magicas artes calleatis, haud difficulter poſſetis bonorum Angelorum nomine ea proponere, quæ à Spiritu Eccleſiæ hoſte manarent. Ideò ſummum Pontificem, (cui duo illi Principes ſunt maximè obſervandi, utpote qui inter hæreticos vivant & regnent) prudenter feciſſe, qui juſſerit, ut in veſtros mores & doctrinam inquireretur. Accidiſſe autem præter ejus poſtulatum & voluntatem, ut, indictâ cauſâ, expelleremini. Se verò vicem noſtram dolere, & paratum eſſe ad curandum, ut vos juſtificare poſſitis, idque ſibi eſſe in votis, non ſemel aſſeruit. Quapropter hortatus eſt me, ut ad illuſtriſſimum Dominum *Roſenbergium* contenderem, atque ipſius bonam propenſionem erga vos ei ſignificarem. Nam ille à ſummo Pontifice facilè impetrabit, ut cauſa veſtra hîc cognoſcatur; & ſi ille vobis faverit, ut hactenus fecit, ſe quoque ad futurum vobis omnibus officiis, ac primum fore, qui ſe veſtris genibus obvolvat, ſi tales eritis, quales vos

ſi non meriti ſitis quicquam tale: abſurdiſſimum verò, cùm à catholicâ Eccleſia honor potius vobis deberetur. Ac cùm non petatis, niſi ut vobis vos purgare liceat, nihil magis conſentaneum rationi excogitari, nullo alio modo errorem admiſſum emendari, atque hoc negotium benè dirigi & redintegrari poſſe.

Ille mihi legit veſtras literas, id eſt, D. *Dee*; ſed de rebus, ambobus vobis, aliquo modo, communibus: dicit, ſe non credere ea, quæ de divinis monitis & miraculis in illis continentur; petit, ut ipſe declarem obſcuriorem locum de libris combuſtis: audit à me teſtimonium oculatum de illis concrematis, & quomodo vobis audiverim eos eſſe cœlitus reſtitutos, ac denique concludit illis literis eſſe multa laudabilia, multa admirabilia, multa itidem incredibilia; ſed cùm non ſint Deo impoſſibilia, ſe ſuſtinere aſſenſum, nec velle quicquam certi, re non penitus explorata, pronunciare: vobis tamen reſponſurum humaniter, ac daturum mihi literas, quod fecit poſtea die 28, quas literas ad vos cum hiſce mitto. Et quia legendi eas mihi fecit copiam, ſatis jejunas & frigidas mihi eſſe viſas, haud diſſimulo. Tamen quia mentionem aliquam mei fecit, tanquam hominis, cum quo fuſiùs de ſuo animo erga vos egerit, viſum eſt mihi accuratè & particulatim exponere, quid inter nos actum dictumve ſit, ut verba cum factis conferre poſſitis, & pro veſtra prudentia & pietate conſilium capere, & ſi operæ pretium videbitur, reſcribere. Quantùm enim ex ejus ſermonibus colligo, videtur ipſi neceſſarium novum mandatum à ſummo Pontifice, antequam quicquam vobiſcum agat; nec ſe ſcripturum dicit de vobis *Romam*, niſi prius petatis, quod ab ejus ſanctitate cupitis: utpote qui, in hac cauſa, fuerit merus interpres inter Pontificem & Cæſarem nec poſſit, niſi verbis ſui Domini, quicquam promittere & ſtatuere. Idcirco, quantùm videre poſſum, res diutiùs protrahetur, quàm vellemus, niſi Dominus noſter & Pontifex cœleſtis alio modo nobis providerit. Die 28. & 29. inveni illuſtriſſimum D. *Roſenbergium* tam occupatum, ut admitti non potuerim, ſed per cubicularium ſignificavit, ſe valdè cupere, ut colloqueremur, itaque redirem die 30. Interim fui rurſus cum illuſtriſſimo D. Nuncio, mox diſceſſuro ad ſancti *Caroli* Monaſterium, ubi commorabitur, quamdiu hi æſtus ſævient. Et cùm eommodo cecidiſſet in colloquendo, viſum eſt mihi interrogare hominem an probaret meam ſententiam de diſcernendo ex certis notis & terminis verum verbum Dei à ficto & fucato; cùm poſſit Angelus malus transformare ſe in Angelum lucis, & Apoſtatæ falſi non raro ſe transfigurent in Apoſtolos Chriſti.

Dicebam enim duo mihi videri neceſſaria, ut hoc judicium ritè fiat,

memorem fore mei, cùm Dominus me accerſet. Exſpectans igitur aut reſponſum illuſtriſſimi D. *Roſenbergii*, aut aliquid aliud dignum veſtris auribus, non viſum eſt mihi ad vos expreſſum nuncium mittere: monente præſertim Domino *Sevembergio*, vobis eſſe paratas neſcio quas ædes in oppido *Naitu*, in Comitatu *Suarreburgenſi*, & ut exſpectarem reditum Domini *Carpionis*, quem propediem reverſurum ſperabat, ne ſine magna cauſa atque incertus de loco veſtræ Sedis ad vos literas dirigerem. Igitur non parum ſolicitus de vobis & de reditu D. *Carpionis*, ſemel ad minimum in die ejus ædes adeo, atque interrogo, ſi quid de illo ſignificetur, nec quicquam, per multos dies audio. Tandem die 12. Auguſti ſciſcitor D. *Millerum*, an aliquid mihi de Amico dicere poſſit. Reſpondet, ſe quoque exſpectare hominem, atque admodum mirari tam diuturnam moram, præſertim cùm D. *Gregorius*, qui cum ipſo *Carpione* ad vos venerat, ſit triduo ante reverſus. Ego igitur, qui nihil priùs de D. *Gregorii* aut itinere aut reditu noveram, ad illum rectà contendo. *Gallus*, ejus contubernalis humaniter me admittit, jubet exſpectare D. Doctorem, & ad illum accerſendum currit. Sed cùm diutiùs moraretur, ego jam diſceſſurus, video D. *Gregorium* ſeorſum cum ipſo colloquentem, & me torvo vultu intuentem. Saluto illum, & gratulor reditum, ac demum de vobis interrogo. Ille reſpondet, ſe nihil quicquam de vobis aut rebus veſtris ſcire, nec vobiſcum fuiſſe. Tunc ego aliquantulum hæreo, ac tandem dico, ſi nolit quicquam dicere, me æquo animo laturum; ſed jam mihi conſtare, eum vobiſcum fuiſſe. Ille ſtomachatur veſtrum nomen, ac totius mundi fallacias & impoſturas; dicit ſua ſibi eſſe curæ, non veſtra; vos multa quidem promittere, ſed parum præſtare; neſcire ſe, quare conqueramini; ſe per ſeſquiannum vana ſpe lactatum, vobis adhæſiſſe, ut aliquod è minoribus veſtris arcanis diſceret, nec quicquam alicujus momenti percepiſſe. Hic ego: an parvum tibi videtur arcanum illud contra luem veneream? Ille verò ſubridens, à D. *Scoto*, inquit, longè præſtantiorem habeo. Denique his omiſſis, librum meum *Poſtelli* repeto: ille negat ſe habuiſſe; interrogat, à quo audiverim; ac me laudante D. *Dee*, ille rurſus negat ſe vidiſſe; niſi fortè, inquit, ex manibus D. *Sevenbergii*, vis dicere librum neſcio quem ſine titulo: ac denique de reſtituendo nullam ſpem facit. Ego, qui cum illo verba commutare nollem, abeo: ac puerum veſtrum *Staniſlaum* in atrio offendo, & ab illo intelligo, vos *Erfordiam* uſque cum D. *Gregorio* & D. *Carpione* veniſſe, ante octiduum D. *Carpionem* illinc *Bambergam* ad exigendas neſcio quas pecunias, profectum; ſe cum D. *Gregorio* nuc veniſſe. Interrogo an literas aut aliquod verbulum à vobis ad me

fer-

citur diſceſſurus, & neſcio, an recuperare potero literas ad eundem *Carpionem*, in quibus de pecuniolis illis agebatur. Si dubitatis, ne ille diutiùs, quàm par ſit, ſolutionem differat quæſo curetis, ut aliquo alio modo mihi proſpiciatur. D. *ab Oſſa* per 20. dies non vidi, ac Jeſuitis palam dixi, & dico, quandocunque occaſio ſe offert, vobis factam ab ipſis inſignem injuriam; eos plus pendere ab aulis terreſtribus, quàm à cœleſti; timere collationem æquam cum vobis, ac ſuæ cauſæ animum haud obſcurè diffidere; itaque jam ſum eis minus gratus.

Saluto Uxorem D. *Dee*, lectiſſimam fœminam, ac mihi non minus quàm matrem venerandam; nec non conjugem D. *Kellæi*, rarum exemplum juvenilis ſanctitatis, caſtitatis, atque omnium virtutum. Saluto omnes alios veſtros domeſticos ſanctos, voſque inprimis D. D. *Joan.* & *Ed.* deſiderabilia mihi nomina, felices ac beatos in Domino cupio ac precor. Quantum tribuam, & tribuere debeam veſtris precibus, noſtis, eis oro atque obſecro me apud D. Deum juvetis, ut vocationi meæ reſpondeam, & curſum meum hilari animo ac firmo corpore perficiam. Sanctiſſimus ille pater, qui nobis jam ſuſcitavit Paſtorem illum magnum D. *Jeſum*, filium ſuum, mox reverſurum ad ſubigendos omnes inimicos ejus ſub pedibus ſuis, atque extremam manum impoſiturum renovationi rerum, nos omnes ſuo ſpiritu foveat ac recreet, ut læti adventum ejus præſtolari, atque nuptialibus veſtibus lampadibuſque accenſis ornati, ipſi occurrere poſſimus.

Idem Dominationibus veſtris addictiſſimus, atque ex animo Frater.

PUCCIUS

Pragæ xv. Kal. Octobr. M. D. LXXXVI.

Coronienſi dimidium abhinc milliare, & negotiis mihi multa expoſuit, de quibus, uti intellexi, ex ipſo & Dom. veſtris mag. ſignificaverit, uti potui intelligere, ſatis circumſpectè & providè negotia ſunt tractata uſque huc, & ſpero etiam fideliter. Ad omnia iſta reſpondi, prout ſæpiſſimè à me intellexiſtis, & nuper etiam literis, quæ illi dicenda putabam, Dominationi veſtræ ſcripſi. Tota res videtur conſiſtere in adjuvandis aliquibus perſonis pecuniarum aliquo auxilio, & prout & ſcriptum ſive . . . memoriale mihi tradidit, quod tranſmitto Dom. veſtris perlegendum & conſiderandum, & pòſt, mihi remittatur oro. Chariſſimi Domini, ſcitis, quæ ſit voluntas Domini; ſi *proxima actio* & aliæ (mihi videtur) annuunt ipſos adjutandos, fiat ſecundùm ipſius, cujus omnia ſunt voluntatem & miſericordiſſimam diſpoſitionem, & expediantur eò celeriùs, prout cum Domino *Edwardo* locuti ſumus. Ipſi reſpondeant Domino altiſſimo & potentiſſimo de fide, quam ipſi præſtabunt; ſin verò aliter viſum fuerit omnipotenti Domino, fiat ita. Rogo Dom. veſtras Magn. quàm amantiſſimè piis ſuis ad Deum orationibus & mediis à Domino vobis traditis & conceſſis promovere, & adjuvetis Domini Dei noſtri opus & voluntatem exequi.

Socius remanſit in Monaſterio, ut ſupra dictum, & concluſi cum Domino *Schombergio*, ut neque videam neque tractem cum illo, certis de cauſis, quas vobis ſignificabit, & à me etiam intelligetis; tamen ut eò ſit meliùs contentus de duobus vel tribus millibus tallerorum, ipſi procurabitur ad quædam ſibi neceſſaria comparanda in lucro ſperat ipſum benè fore contentum pro tempore, modò cætera, quæ majora ſunt, propter reliqua, ut ſupra ſcripſi, procurentur.

Ego non ſum ab Imperatore vocatus, ſed meam de aliquibus expetivit ſua Majeſtas ſententiam, de quibus reſcripſi, ut decuit.

De actione intellexi Dominationes veſtras paratas ad præſcriptum diem eſſe velle; bene eſt. Semper nos paratos eſſe decet & convenit. Ipſe benigniſſimè, quæ in nobis deſunt, ſua miſericordia & clementia inenarrabili perficiat. Placet mihi ſententia Dominationum veſtrarum; & quæ initio & in proœmio actionis proponere velleris, de quo me informabitis, ad hoc me componam, & exſpectabo humiliter reſponſum.

Quæ proponenda putabam, nulla ſunt alia, niſi illa.

1. Si Imperator de rebus *Polonicis* à me quicquid ſciſcitari vellet, aut ſuſpicione aliquâ de me concepta aut fingendo ſibi aliquid, quomodo me gerere debeam?

2. Si Imperator de ſucceſſione Regni hujus pro fratre aliquid tractare vellet, quomodo me gerere debeam?

3. Si electio *Polonica* ſucceſſura ſit, quid de bonis meis paternis diſponat Dominus, & mihi quid faciendum?

tiones, & alia quæcunque in hac generali Actione, ſuſcipienda, intelligenda, & exequenda, quæ ſua divina Majeſtas pro ſuâ gloriâ & noſtrâ conſolatione maxima fore præviderit & decreverit.

2. Humiliter requirimus, an hîc plenaria hæc tranſigetur Actio: vel an nobis ad *Cromoviam*, cum neceſſariis noſtris rebus, (& quibus illis quidem) properandum fuerit.

3. Has noſtri Domini *Roſenbergii* Quæſtiones 12. generales, & alia quæcunque in eisdem particulariter continentur, humiliter offerimus, tam ejus quàm noſtro nomine, illa & talia exſpectantes reſponſa, quæ & qualia à ſede Majeſtatis Divinæ in ſuorum Servorum conſultationibus procedere, & olim & ſemper ſolent.

4. Et quia in eisdem Quæſtionibus, nulla facta eſt mentio de uſu pulveris, quem ſibi divinitùs conceſſum habet, & aliquoties priùs dictum fuerit, quod in hac Actione informaretur de illius pulveris uſu, nos jam humiliter illam deſideramus informationem.

5. Et quia extraordinarius iſte vehemens favor *Moſchovitici* Principis erga me incognitum jam eſt mihi & multis aliis conteſtatus & manifeſtus, (ago Deo Optimo Maximo gratias quantas poſſum maximas) & quia incertus ſum, ad quem finem Deus illum ejus favorem erga me dirigere velit: humiliter peto, ut mihi à te, omnipotens Deus, informatio detur de iſto fine, & voluntate tuâ in hâc parte, & quomodo ejuſdem Nuntiis reſpondere debeam, ſi qui jam venerint de cætero.

6. An non debeamus nosmet diſponere, (ut aliàs aliquoties præmonitum eſt) ut hîc *Lapidem Philoſophorum* ex methodo *Dunſtani* conficiamus: quæ methodus, quia mihi non conſtat, ſæpe me hactenus fecit videri quaſi in hoc labore tardum, otioſum, vel ignavum. Ubi contra, quàm eſt paratus animus meus, & manus, & pedes, & omnes vires tam animi quàm corporis mei, tu noſti, tuque, ô Deus, teſtis eſto meus.

7. Illa praxis, cum poculo ferreo, canali vitreo, calce &c. nondum nobis ſuccedit; idcirco, ad illius quoque concluſionis veritatem practicam obtinendam libenter ſciremus, quid eſt, quod nos hactenus impedivit, vel quid nobis deeſt ad veram intelligendam, & perficiendam praxim illam.

8. *Thomæ Kellæi* decumbentis valetudinem & ſanitatem tibi, ô Deus, commendamus, & ſupplicamus, ut illi nobiſque propitius eſſe velis: illumque ſanum & ſalvum nobis reddere & confirmare digneris ad nominis tui laudem, honorem & gloriam, ex fideli ejuſdem poſthac ſervitio & officio erga divinam tuam Majeſtatem. Amen.

9. *Joanna*, uxor *Ed. Kellæi* noſtri, omnipotenti divinæ Majeſtati tuæ ſupplicat per me, & ego humillimè, (ejuſdem *Joannæ* nomine) tibi (ô Deus) ſupplico, ut illi velis eſſe miſericors, clemens, & benignus; & ut ejus multiplices ad te preces pro fœcunditate cum hoc ejus marito obtinendâ paternâ reſpicias charitate: & ut illi hoc contribuere velis gaudium, & quaſi ſui fidelis Servitii (erga hunc ſuum maritum) præmium,